3F

MANUALE

OPERARIORUM SOCIETATIS JESU.

MANUALE

OPERARIORUM SOCIETATIS JESU

EDITIO ALTERA ET AUCTIOR OPERIS

CUI TITULUS ERAT

MISSIONARIUS.

COLLEGIT, DISPOSUIT ET EDIDIT

P. AUGUSTINUS HENRIET S. J.

ALMA COLLEGE
060.55
LIBRARY
H395
Alma, California

Constitutiones vero, aliosve hujusmodi libros aut scripta, quibus Societatis Institutum vel privilegia continentur, non nisi ex Superioris expresso consensu (externis) communicet.

Reg. 38 inter Communes.

HAGAE COMITIS.
Typis T. C. B. TEN HAGEN.
1889.

6593

AD SOCIOS.

Prodit tandem diu exspectata, diuque exoptata nova Missionarii editio, sub novo quidem nomine sed scopum eundem intendens. Prodit autem adauctus recentioribus SS. Congregationum Decretis et Resolutionibus, ampliore Societatis Nostrae Privilegiorum elencho, nec non instructionibus monitisque olim missionariis nostris datis. Nihil quidem diligentiae est praetermissum, ut editio haec quam accuratissima evadat; si nihilominus in tam numerosa rerum varietate aliquando deerratum fuerit, lector id humanae infirmitati ignoscat et in charitate errores detectos collectori communicet, ut is pro opportunitate eorum emendationi prospiciat.

Ordinem et distributionem rerum satis exhibet index synopticus, cui addidi elenchum auctorum et operum quae in decursu libri citantur, quo facilius consuli possint.

Ex indice synoptico autem apparet, omnia quae operariis nostris

profutura esse videbantur tribus contineri partibus, quarum *prima* complectitur GRATIAS, FACULTATES, PRIVILEGIA SOCIETATI NOSTRAE CONCESSA; *secunda* tractat rationem EXERCITIA SPIRITUALIA tradendi, sive per modum secessus, sive per modum missionis; et *tertia*, quae inscribitur FORMULARE, indicat formulas benedictionum, quas Nostris peragere licet, aliarumque caerimoniarum quae in missionibus occurrunt. Has formulas ita in unum congessimus et excudi curavimus ut missionarius eas pro commodo suo in distincto volumine compingere possit.

Scribebam Neomagi die 19 *Martii* 1889.

AUGUSTINUS HENRIET S. J.

INDEX SYNOPTICUS.

I. FACULTATES ET GRATIAE SOCIETATI JESU CONCESSAE.

CAPUT I. pag.

Facultates et gratiae concessae a Leone XII. 1

§ 1. in perpetuum 3

§ 2. ad 20 annos 6

CAPUT II.

Constitutio „Apostolicae Sedis" 10

§ 1. Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae 11

§ 2. Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae 13

§ 3. Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive ordinariis reservatae 15

§ 4. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae . . 15

§ 5. Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae . 16

§ 6. Interdicta latae sententiae reservata 17

CAPUT III.

Aliae gratiae a S. Sede Societati Jesu concessae 20

I. Litterae Leonis PP. XIII. „Dolemus inter" 20

II. Elenchus alphabeticus nonnullorum privilegiorum 22

CAPUT IV.

De privilegiis ex communicatione cum aliis Ordinibus etc. . . . 56

CAPUT V.

Indulgentiae Societati Jesu concessae.

§ 1. Summarium Indulgentiarum et privilegiorum Societati Jesu a Summis Pontificibus concessorum 58

Prima pars.

Indulgentiae et privilegia ipsis Religiosis concessa 59

Secunda pars.

Indulgentiae concessae omnibus Christi fidelibus, ecclesias seu capellas Soc. Jesu visitantibus 65

Tertia pars.

Indulgentiae pro Societatis Jesu ministeriis concessae 71
A. Pro doctrina christiana . . . . . ib.
B. Pro exercitiis spiritualibus 73
C. Pro sacris missionibus 74
D. Pro communione generali 76
§ 2. Indulgentiae et privilegia alia Societati universae concessa . 78
§ 3. Indulgentiae concessae Provinciae Neerlandicae 79
§ 4. Quae ecclesia dici potest nostra in ordine ad lucrandas indulgentias 80
§ 5. Regulae juxta quas Indulgentiae transferuntur una cum festo cui adnexae sunt . . . . . ib.

CAPUT VI.

Indulgentiae Religiosis revocatae et concessae 83

CAPUT VII.

De facultatum communicatione cum Nostris 85
§ 1. Per Provincialem . . . . . ib.
§ 2. Per Superiorem Domus 88
§ 3. Facultates omnibus sacerdotibus Soc. J. concessae 90
§ 4. Facultates adm. R. P. Generali reservatae . . . . . ib.

CAPUT VIII.

De Facultatibus personalibus seu privatis 91

CAPUX IX.

De usu Indultorum cum vel sine recognitione Episcopi 92
§ 1. Quoad indulta personalia . . . . . ib.
§ 2. Quoad indulta localia 93
§ 3. Quoad indulta generalia 94

CAPUT X.

Servanda in edendis Summariis Indulgentiarum et precibus quae habent indulgentias adnexas. 95

CAPUT XI.

Facultates concessae a RR^mis et Ill^mis D.D. Archiepiscopo et Episcopis Neerlandicae 97
§ 1. In Archidioecesi Ultrajectensi . . . . . ib.
§ 2. In Dioecesi Harlemensi 98
§ 3. In Dioecesi Bredana 99
§ 4. In Dioecesi Buscoducensi . . . . . ib.
§ 5. In Dioecesi Ruraemundensi 100
§ 6. In Dioecesi Leodiensi 101

CAPUT XII.

Casus reservati ab Episcopis in Dioecesibus Neerlandicis . . . ib.
§ 1. In Ultrajectensi et Buscoducensi . . . . . ib.
§ 2. In Bredana 103
§ 3. In Harlemensi 105
§ 4. In Ruraemundensi . . . . . ib.

II. DE TRADENDIS EXERCITIIS S. P. N. 108

Sectio I.

De tradendis exercitiis per modum secessus . . . . . ib.

CAPUT I.

Qualis esse debeat, qui tradit exercitia . . . . . ib.

CAPUT II.

Quales sint oportet, quibus exercitia plene tradantur. 109

CAPUT III.

Exercitia viris ecclesiasticis quomodo tradenda . . . . . ib.
§ 1. Praeparatio remota . . . . . ib.
§ 2. Scopus intendendus 110
§ 3. Exercitia quomodo instituenda 111
§ 4. Monita ad Praesidem 112
§ 5. Officium confessarii 113
§ 6. Officium instructoris . . . . . ib.
§ 7. Breviarii recitatio . . . . . ib.
§ 8. Indulgentiae concedendae et publicandae . . . . . ib.
§ 9. Ordo diei . . . . . ib.
§ 10. Examen status conscientiae. 116

CAPUT IV.

Exercitia quomodo Religiosis tradenda 122

CAPUT V.

Exercitia quomodo laicis tradenda 123

CAPUT VI.

Relatio de exercitiis traditis 124

Sectio II.

De missionibus.

CAPUT I.

De praestantia missionum 124

CAPUT II.

Quae a missionario sunt observanda 125

CAPUT III.

Monita ad confessarios 127

CAPUT IV.

Monita circa conciones 130

CAPUT V.

Quae tractanda in missione 132

§ 1. Pro missione octo dierum 133

§ 2. Pro missione majori . . . . . ib.

CAPUT VI.

Monita quae initio missionis danda sunt et postea repetenda . . 135

CAPUT VII.

Examen conscientiae 136

CAPUT VIII.

De Praeside missionis 142

§ 1. Curanda ante missionem . . . . . ib.

§ 2. Praeses sub initio missionis 144

§ 3. Praeses durante missione 145

§ 4. Praeses in fine missionis 146

CAPUT IX.

Missio parvulorum 148

CAPUT X.

De renovatione missionis 150

Sectio III.

Industriae caerimoniae, formulae quae tempore missionis usui esse possunt 150
Monita praevia . . . . . ib.

CAPUT I.

Solemnis missionis inchoatio 152

CAPUT II.

Campanarum sonitus 153

CAPUT III.

Cantus sacer . . . . . ib.
Leges ecclesiasticae circa cantum in ecclesiis 154

CAPUT IV.

Altare missionis et ecclesiae ornatus 157

CAPUT V.

Missae solemnes 158

CAPUT VI.

Preces publicae . . . . . ib.
Leges ecclesiasticae quoad usum formularum precum in publico. 160

CAPUT VII.

Admonitiones. 161

CAPUT VIII.

Indulgentiarum promulgatio 162

CAPUT IX.

De benedicendi ritu in genere 168

CAPUT X.

De benedictione coronarum etc. 170
§ 1. Monita ad benedicentem . . . . . ib.
1. Summarium indulgentiarum quas SS. D. N. Leo PP. XIII impertitur etc. 171
2. Decreta S. C. Indulgentiarum hanc facultatem (benedicendi coronas etc.) spectantia. 175
3. Servanda circa materiam ex qua objecta benedicenda confecta esse debent. 176
4. Servanda circa formam earum rerum . . . . . ib.
5. De formula qua sunt benedicenda 177

§ 2. Monita danda populo 178
§ 3. Summarium indulgentiarum quae coronis S. Birgittae sunt concessae 182
§ 4. Quae curanda a Praeside missionis ante benedictionem . 183
§ 5. Ritus solemnis benedicendi coronas etc. 184
§ 6. De coronis Crucigerorum. 185
§ 7. De rosario Dominicanorum 186

CAPUT XI.

De scapularibus 190
§ 1. *De scapulari in genere* 191
I. De forma materiali scapularis . . . . . ib.
II. De scapularis gestatione 194
III. De benedictione et impositione scapularium et de facultate Nostris circa ea data 195
IV. De receptione in confraternitatem scapularis et nominum inscriptione. 198
V. De facultate benedicendi scapularia 200
§ 2. *De scapulari B. V. de Monte Carmelo* 203
I. Origo, dignitas et privilegia . . . . . ib.
II. Quae sunt praestanda ut quis privilegium sabbatinum adipiscatur 206
III. Conditiones adimplendae ut quis lucretur indulgentias scapulari de Monte Carmelo concessas 207
IV. Gratiae et indulgentiae 208
1. Summarium earum approbatum a S. C. 1 Dec. 1866 . . . ib.
2. Aliae gratiae et indulgentiae 210
V. Solemnitas benedictionis scapularium 212
§ 3. *Scapulare coeruleum seu conceptionis Immaculatae B. M. V.* 213
I. Origo, leges, finis . . . . . ib.
II. Summarium indulgentiarum etc. 215
§ 4. *Scapulare nigrum seu septem Dolorum B. M. V.* . . . 220
I. Origo, leges, finis . . . . . ib.
II. Summarium indulgentiarum 221
§ 5. *Scapulare album seu SS. Trinitatis Redemptionis captivorum* 224
I. Origo, leges, finis . . . . . ib.
II. Summarium indulgentiarum 225

§ 6. *Scapulare rubrum seu pretiosissimi sanguinis Christi* . . 230
I. Origo, leges, finis . . . . . ib.
II. Summarium indulgentiarum 231
§ 7. *De simultanea collatione scapularium* 236
§ 8. *Alia scapularia* . . . . . ib.

CAPUT XII.

Caerimoniae missionis parvulorum 237
§ 1. Renovatio solemnitatis primae communionis . . . . . ib.
§ 2. Renovatio promissionum baptismalium 238
§ 3. Dedicatio puerorum B. M. Virgini 239
§ 4. Benedictio puerorum . . . . . ib.

CAPUT XIII.

Benedictio et erectio crucis missionis 239
§ 1. Praenotanda . . . . . ib.
§ 2. Ritus benedicendi crucem 240
§ 3. In missionis renovatione 241

CAPUT XIV.

Actus reparationis 242

CAPUT XV.

Inimicorum reconciliatio 243

CAPUT XVI.

Communio generalis adultorum . . . . . ib.

CAPUT XVII.

Exercitium viae crucis 244
§ 1. Praestantia et utilitas ejus . . . . . ib.
§ 2. Exercitium publicum viae crucis 246
§ 3. Instructio ad populum de rite peragenda via crucis privatim 247
§ 4. Instructio pro iis qui domi viam crucis peragunt . . . 249

CAPUT XVIII.

Erectio et conservatio viae crucis 251
§ 1. De facultate requisita . . . . . ib.
§ 2. Servanda circa tabulas viae crucis 256
§ 3. Servanda circa cruces 257
§ 4. Observanda circa ritum erigendi stationes viae crucis. . ib.

§ 5. Sanatio defectuum 259
§ 6. Mutationes quae tollunt vel non tollunt indulgentias . . ib.

CAPUT XIX.

Renovatio promissorum baptismalium pro adultis 262

CAPUT XX.

Promulgatio Legis 264

CAPUT XXI.

Dedicatio parochiae B. V. Mariae 265

CAPUT XXII.

Benedictio papalis 266

CAPUT XXIII.

Monita danda in conclusione missionis 270
§ 1. Generalia . . . . . ib.
§ 2. Monita particularia 272

CAPUT XXIV.

Solemnis commemoratio Fidelium Defunctorum 274

CAPUT XXV.

Pia missionis vel exercitiorum recordatio . . . . . ib.

III. FORMULARE.

Continens varias orationes pro benedictionibus, quae in hoc libro recensentur et pias aliquas praxes.

I. Benedictio ad omnia 277
II. Benedictio crucis 278
III. Benedictio imaginum Jesu Christi, B. V. Mariae et aliorum Sanctorum seu statuarum et numismatum . . . . . ib.
IV. Benedictio coronarum, etiam S. Birgittae 279
V. Benedictio rosariorum B. Mariae V. 280
VI. Benedictio habitus, ac receptio confratrum B. V. Mariae de Monte Carmelo 281
VII. Ritus benedicendi et imponendi scapulare coeruleum in honorem Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae 285
VIII. Ritus servandus in receptione confratrum et impositione habitus Societatis septem dolorum B. M. V. 287

IX. Benedictio coronae septem dolorum B. M. V. 289
X. Benedictio et impositio scapularis Ss. Trinitatis . . 290
XI. Benedictio scapularis rubri pretiosi sanguinis J. C. . . 292
Benedictio cingulorum seu vittarum 293
Benedictio coronarum pretiosi sanguinis 294
XII. Formula brevis benedicendi et imponendi scapularia SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Immaculatae conceptionis et septem dolorum B. M. V. 295
XIII. Renovatio promissionum baptismalium pro pueris . . . 297
XIV. Akte van toewijding aan de Allerh. Maagd 301
XV. Ritus pueros benedicendi 302
1. Benedictio infantis 304
2. Benedictio pueri ad obtinendam super ipsum misericordiam Dei 305
3. Benedictio puerorum cum praesertim in ecclesia praesentantur 306
4. Formula benedictionis puerorum et puellarum in festis Sanctae Infantiae 308
XVI. Ritus benedicendi crucem missionis 309
XVII. Akte van eerherstelling 313
XVIII. Exercitium viae crucis 315
XIX. Methodus pro erigendis stationibus viae crucis . . . 322
XX. Vernieuwing der doopbeloften 328
XXI. Antiphona et oratio post dedicationem parochiae B. M. V. 330
XXII. Ritus dandi Benedictionem Papalem 331
Indulgentiae promulgendae ad finem missionis. . . . 334
Acclamationes in conclusione missionis 335
Versiculi et orationes post „*Te Deum*" 337
XXIII. Ritus solemnis admittendi in sodalitatem 338
XXIV. Benedictio Apostolica in articulo mortis 340
XXV. Formula benedictiones cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus 343
1. Formula publica.
2. Formula brevis in confessionali 345
XXVI. Modus benedicendi aquam S. Ignatii 346
XXVII. Benedictio aquae S. Francisci Xaverii 347
XXVIII. Benedictio cingulorum in honorem S. Josephi sponsi B.M.V. 348

XXIX. Benedictio candelarum in festo S. Blasii E. et M. (3 Febr.) 351
XXX. Oratio „En ego, o bone et dulcissime Jesu" 352
XXXI. Formulae ad pie recitandum rosarium 353
1. Formulae praemittendae singulis decadibus . . . . . ib.
2. Formulae praemittendae singulis salutationibus. . . . 355
XXXII. Formulae pro erectione et aggregatione Congregationum B. Mariae V. 363
1. Formula ad petendum consensum ordinarii loci . . . ib.
2. Formula ad petendam erectionem etc. ab Adm. R. P. Praeposito Generali Soc. J. 365
XXXIII. Formulae pro erectione et aggregatione congregationum Bonae Mortis 367
1. Formula ad petendum consensum Ordinarii loci. . . . ib.
2. Formula ad petendum erectionem etc. ab Adm. R. P. Praeposito Generali Soc. J. 368
XXXIV. Breve „Exponendum nobis" quo Gregorius PP. XVI indulgentiam plenariam concedit pro exercitiis missionis
Latina lingua 370
Vernacula 371
XXXV. Breve „Injuncti Nobis" quo Gregorius PP. XVI indulgentias concedit pro precibus ad obtinendam perseverantiam.
Latina lingua 372
Vernacula 373

Addenda.

Breviarium 375
Indulgentiae in festis SS. Petri Claver, Joannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez 376

Index Alphabeticus.

INDEX AUCTORUM ET OPERUM

juxta abbreviationes quibus indicantur.

Acta. Acta S. Sedis etc. Romae typis polyglottae officinae S. C. de Propaganda fide. Numerus qui additur indicat volumen operis.

Comp. privil. Compendium privilegiorum Societatis Jesu ex editione Instituti Pragae excusa anno 1757.

D. cum numero aliquo. Indicat Decretum. S. C. Indulgentiarum, quod sub indicato numero reperire est in opere sequenti.

Decr. Auth. Decreta authentica S. C. Indulgentiis etc. praepositae edita jussu et auctoritate SS. D. N. Leonis PP. XIII Ratisbonae etc. typis Friderici Pustet 1883. (Collegit ea P. Schneider S. J.)

De Herdt. Si nihil additur, intelligitur ejus opus: „S. Liturgiae Praxis juxta ritum Romanum etc." Lovanii typis van Linthout et Soc. 1851.

Si vero additur **Praxis**, intelligitur opus ejus: „Praxis liturgica Ritualis Romani," editio altera. Lovanii ut supra 1876.

Direct. Directorium in exercitia spiritualia S. P. N. Ignatii, Tomo VI Instituti Soc. J. 1829. Avenione editi.

Epit. Instit. Epitome Instituti Societatis Jesu. Prati in Etruria etc. 1882

Falisc. Resolutiones authenticae. S. C. Indulgentiarum. Lovanii typis C. J. Fonteijn. 1862.

Ferrar. Vide Luc. Ferrar.

Gonlenv. Compendium praecipuarum Rubricarum ad usum PP. Soc. Jesu. Editio altera. Namurci, typis viduae F. J. Douxfils 1877.

Instr. Belg. Instructiones variae quas Praepositus Prov. Belgicae Missionariis dedit annis 1842, 1843 et 1847. Continent 1° quaedam monita; 2° quaedam puncta religiose servanda. **Arch. Prov.**

Instr. Congr. Rescriptum SS. D. N. Leonis XIII et instructiones a R. P. Vic. Gen. de Congregationibus B. M. V. et Bonae Mortis. Hagae Comitis, T. C. B. ten Hagen. 1885.

Instructio altera emendata de iisdem Congregationibus.

Instr. Instructio de stationibus S. Viae Crucis edita auctoritate Rev^mi^ Bernardini a Portu Romatino. Ad Claras aquas. 1884.

Kerckhove P. van de. Soc. J. Manuale Missionum. Editio altera, auctior et emendatior. Gandavi e prelo C. Poelman etc. 1870.

Lanc. Nicolai Lancicii e Soc. J. opuscula spiritualia. Antverpiae 1650.

Lehmk. Theologia moralis auctore P. Augustino Lehmkuhl, editio tertia. Herder Friburgi Brisgoviae 1886.

Libell. Facultates, benedictiones et indulgentiae Confraternitatis SS. Rosarii curis Rev^mi^ P. Fr. Josephi Mariae Larocca totius Ordinis FF. Praedicatorum Magistri Generalis editae. Romae. 1882.

Mélanges théologiques par une société d'Ecclésiastiques Belges. Liège, J. G. Lardinois, 1847 etc.

Nampon de la Comp. de Jesu. Manuel du Missionaire. Lyon, Paris 1847.

N. Bull. Bullarium Soc. J. seu Litterae Apostolicae et varia Rescripta et Indulta S. Sedis. 1886 Florentiae ex typographia a SS. Conceptione.

N. Rev. Théol. Nouvelle Revue Théologique. H. et L. Casterman.

Pagella. Coroncina in onore del Sangue preziossimo di N. S. Gesú Cristo. Roma 1857.

Pagella Germ. De communicatione et usu facultatum Soc. J. (pro Prov. Germaniae). Romae ex typographia S. C. de Propaganda fide 1883.

Prinz. Resolutiones seu decreta authentica S. C. Indulgentiarum etc. ab Aloisio Prinzivalli etc. Romae ex officina Societatis Aurelianae 1882 et Bruxellis H. Goemare eodem anno. Editio prior sed minus accurata operis supra indicati: **Decreta authentica** etc.

Raccolta di orazione e pie opere etc. Roma tipografia della S. C. di Propaganda fide. 1877.

Idem opus in gallica lingua et a S. C. Indulgentiarum approbatum

8 Jan 1878. Ibidem editum. Paginae hujus editionis indicantur uncinis ( ).

Recueil d'instructions etc. sur le scapulaire (B. V. M. de Monte Carmelo), par le P. Brocard de S. Thérèse. Poelman, Gand 1875.

Rescr. authent. Rescripta authentica S. C. Indulgentiis etc. praepositae, nec non Summaria Indulgentiarum, quae collegit et cum originalibus in archivio S. C. Indulg. asservatis contulit Josephus Schneider S. J. Soc. et S. C. Indulgentiarum etc. Consultor. Ratisbonae etc. typis Frederici Pustet. 1885.

Rit. Rom. Rituale Romanum auctum et castigatum, cui amplissima accedit benedictionum et instructionum appendix, Juxta novam editionem Romanam anni 1876 a S. Rit. C. approbatum. Ultrajecti. Vidua J. R. van Rossum. 1879.

Schneider. Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch. Nach dem Französischen des Antonin Maurel... Achte, von der h. Ablasscongregation approbirte und als authentisch anerkannte Auflage. Paderborn, Ferdinand Schöningh. 1884.

S. C. Sacra Congregatio Indulgentiarum.

S. R. C. Sacra Rituum Congregatio.

V. Voce.

APPROBATIO.

Cum opus, cui titulus est: MANUALE OPERARIORUM SOCIETATIS JESU, a P. *Augustino Henriet* nostrae Societatis sacerdote compositum, aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Hagae-Comitis, 25 *Martii* 1889.

FREDERICUS HEYNEN,
Praep. Prov. Neerlandicae S. J.

I. FACULTATES ET GRATIAE SOCIETATI JESU CONCESSAE.

CAPUT I.

Facultates et gratiae concessae a Leone XII. Brevi „Plura Inter", diei 11 Julii 1826.

Quum Breve illud sit Documentum gravissimi momenti, juvat illud integrum et ad litteram referre, adjectis tamen notis, quibus auctoritate Adm. R. P. N. Joannis Roothaan usus earum facultatum olim fuit determinatus. Quas vero ex eis R. P. Petrus van Lil, Provincialis Belgicae, ad quam tunc temporis et Neerlandia pertinebat, communicaverit, infra Cap. VII recensebimus.

LEO PP. XII. (1)

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Plura inter et egregia, quae summi consilii Pontifex Pius VII Praedecessor Noster cum ante suam ex Urbe deportationem, tum post ejus reditum pro rei Christianae bono perfecit, illud profecto, quod Societatem, cui a parente S. Ignatio Jesu nomen inditum, (siquidem ipsi per speciem sese obtulit Deus eum sociosque Jesu filio bajulanti crucem commendans) instaurandam curavit. Neminem porro latet, quot quantaque in christianam praecipue rempublicam commoda ex hac ipsa Societate, quae virorum et pietate et multiplici doctrinarum laude praestantium fecunda nutrix, profecta et in posterum etiam profectura speramus, cum vix novellis defixa radicibus ingens ramos late pandit. Equidem praeter alia non solum in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia, verum etiam in Italia, ac transalpinis, remotisque regionibus, ubi peramanter excepta nihil non aggreditur ac movet, ut juvenes et adolescentes piis ac liberalibus disciplinis mature imbuti nostrae proximaeque aetatis ornamento sint futuri.

(1) Bullarium novum p. 330.

Dum vero idem Praedecessor Noster omnia ejus collegia, domos, provincias, alumnosque in suam ac Sedis Apostolicae tutelam, praesidium et obedientiam omnino recepit, sibi et Romanis Pontificibus Successoribus reservavit ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constituendam et communiendam opportuna viderentur. Quod operis procul dubio perfecisset, nisi aetate jam gravis, curisque in regenda Ecclesiae navicula diu multumque jactata confectus, ab Deo evocatus, in ejus sinum complexumque advolasset, promeritam coronae gloriam accepturus. Itaque Nos, qui, etsi impares, ex aeternae mentis inaccesso consilio in suprema pontificia amplitudine et specula collocati sumus, Nostri muneris esse ducimus id ipsum promovere, ut Societas Jesu novis firmetur praesidiis, ejusque alumni totidem in agro Domini operarii, partem sibi concreditam magno animo conentur excolere, utilesque plantationes, quas Pater coelestis conseruit, uberius rigatae accipiant a Christo Jesu incrementum ad salutem.

Quum igitur sedulo perpenderimus, petentibus Societatis Jesu alumnis, privilegia ac facultates, quibus ex praedecessorum Nostrorum Pauli III et Julii itidem III indulgentia S. Ignatius auctus fuit ante celebrationem Sessionis XVII^ae^ et insequentium usque ad postremam vicesimam quintam Concilii Tridentini; itemque alias eidem Societati a Romanis Pontificibus S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII tributas, eas quidem adlegendas existimavimus, quas tum ex ejusdum Concilii decretis, ac deinceps ex variis praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, tum ex temporum inclinatione et hodierna Romanae Ecclesiae disciplina Nobis visum est expedire. Quapropter auctoritate Nostra apostolica easdem ipsas innovamus, confirmamus, ac iterum concedimus ex harum Litterarum praescripto, a quo ne transversum quidem unguem discedi praecipimus. Quinimo Societati Jesu, ejusque alumnis gratificari cupientes, et in primis Generali Praeposito, ut Praesuli ac eorum Praefecto qui e sua familia Evangelii causa in longinquas regiones mittuntur, hisce facultatibus nonnullas alias ex benignitate Nostra adjungere non gravamur.

Illae autem sunt hujusmodi videlicet:

§ 1. Facultates et Gratiae in perpetuum concessae.

1. „Primo Religiosis viris in Societatem Jesu cooptatis veniam facimus, qua Christiani populi sacras confessiones possint excipere, verbum Dei annunciare, Sacramenta administrare, assentientibus ac probantibus quibusque locorum Ordinariis Praesulibus, in quorum dioecesi, vel quasi dioecesi eos versari contigerit.

2. „Possint praeterea ordines qua minores qua majores accipere, etiam extra tempora, ac interstitiis nequaquam servatis, a quocumque sacro Antistite cum Cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci Praesulis, in quo id fiet.

3. „Nec non de ejusdem sententia possint ecclesiae Societatis Jesu a quolibet Episcopo vel Archiepiscopo benedici et consecrari.

4. „Peculiaribus autem rationibus permoti, volumus ut Societas ejusque alumni nullibi teneantur cujuslibet Praesulis rogatu visitandi onus aut religiosarum mulierum virginumque curam suscipere.

5. „Eis item liceat a censuris ac casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvere, exceptis iis, qui continentur in Bulla Coenae Domini.

— „Vota simplicia commutare, numquam vero vota castitatis, Religionis, trium peregrinationum ad sacra Beatorum Apostolorum limina, ad Sanctum Jacobum in Compostellis et ad Hierusalem; eaque vota, in quibus agitur de praejudicio vel jure tertii."

Nota: *Facultas haec communicatur cum omnibus Superioribus et cum iis, quibus ipsi indulserint.*

6. „Hora ante auroram, horave post meridiem divinis operari. (1)

7. „Ac peracto Sacrificio, seu ante illius celebrationem, aut alias, Eucharistiae Sacramentum ministrare (2).

8. „Atque etiam eos, qui irregularitatem occultam tam ad suscipiendos, quam ad exercendos ordines incurrerint, in foro conscientiae tantum, ab hoc impedimento absolvere."

Nota: *Communicatur cum omnibus Superioribus et quibus ipsi indulserint.*

---

(1) Communicatur omnibus Superioribus. *Epit. Inst.* P. IV. n. 9. p. 187.

(2) In ecclesiis nostris non-parochialibus S. Communio non distribuitur in die Dominica Paschatis. Paulus III „*Licet debitum.*" Et *Instit. Prag. Comp. Privil.* voce „*Eucharistia*" § 8.

9. „Decernimus insuper ut ab animadversione, e Societatis legum praescripto irrogata, nefas sit extra Societatem provocare.

10. „Ut Societatis alumni confiteri nequeant animae noxas, nisi iis, qui a Praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi.

11. „Ut nemini, qui in Societate vota nuncupavit, ad aliam sacram familiam, praeter Carthusiensium, liceat transire.

12. „Ut irregulares, qui Societati dant nomen, (nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et simul excepta irregularitate quae oritur ex infamia juris vel facti) possint promoveri ad sacros ordines, et ad quaecumque Societatis officia."

Nota: *Reservatur Praeposito Generali, ad quem recurrent Provinciales in casibus occurrentibus.*

13. „Ut tironum magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat, ne Praesules sacras excipiant alumnorum confessiones.

14. „Ut Societas ex ejus consuetudine, constitutionibus ac se gerendi modo omnibus privilegiis perfrui possit, eis sacris familiis, quae mendicando vivunt, sive ut vocant, Mendicantium, generatim tributis." (1)

Nota: *Cum in hac materia plura sint incerta et in contrarias partes dividantur auctores, Praepositi Provinciales et qui eorum vices gerunt caute admodum incedant, iis solis facultatibus utantur et cum suis inferioribus illas solas communicent, quibus ex Doctorum auctoritate constat per recentiora decreta, aliasve S. Sedis dispositiones non fuisse derogatum. Prae caeteris consulendus S. Alphonsus de Liguorio.*

15. „Demum ut Christi fideles templa Societatis adeuntes, semel in anno, die festo tituli eorum cujuslibet, plenariam indulgentiam valeant lucrari.

16. „Praepositum vero Generalem, uti Praesulem, potestate donamus iis e Societate alumnis, quibus id opportunum ducit, *a*) veniam tribuendi qua in domestico sacello legitime erecto perlitent.

---

(1) Imo ex Regula generali Regulares communicant etiam in privilegiis non Mendicantium etc. Ita communissime ait S. Lig. De Privilegiis Cap. I, n. 9. et Luc. Ferraris voce Privilegium. Art. I. n. 23.

b) „Justis de causis eosdem alumnos a jejunio et vetitis cibis dispensandi.

c) „Adversa valetudine laborantibus divinum officium in pias alias preces commutandi.

d) „Item indulgendi, ut si aequum est, horae matutinae, peracto Sacrificio, recitentur.

e) „Iis alumnis, quibus expedire existimet, facultatem faciendi, cujus vi libros prohibitos queant legere.

f) „Postremo hujusmodi facultatibus omnium Societatis domorum, collegiorum in qualibet Provincia praesules muniendi.

Nota: n. 16. *Communicatur omnibus Superioribus; quoad tamen facultatem legendi libros prohibitos, solis Provincialibus et Superioribus Provincialium potestate utentibus.*

(17.) „Post haec statuimus, ut Generalis Praepositus sacris ubicumque missionibus praesit, quibus suae Societatis alumni, ad catholicae religionis commodum et animarum salutem, operam navabunt.

„Quare ei liceat ad nunciandum Jesu Christi Evangelium suos mittere alumnos ubi praecones isti desiderantur, ac praesertim ubi ecclesiasticorum operariorum numerus sit adeo exiguus, ut parvulis panem quaerentibus non sit qui frangat; necnon earumdem missionum Praefectos constituere.

(18.) „Et quo uberiores fructus inde possint referri, ipsi Praeposito Generali eas impertimur facultates, quae continentur formulis a suprema Inquisitionis Congregatione ex praedecessorum Nostrorum voluntate jamdiu confectis, quaeque juxta locorum distantiam, sacra efflagitante Congregatione Christiano nomini propagando praeposita, a Nobis hujusce laboriosae provinciae Praefectis tribuuntur, ad eos a Praeposito Generali, ab hisce ad alios tanto ministerio addictos delegandas.

(19.) „Praefecti vero aliique Christianae veritatis nuntii in regionibus Ordinariorum Praesulum jurisdictioni subjectis, id muneris, nisi ex eorum venia, nequeant exercere; si vero inibi nulla sit ecclesiastica jurisdictio, eodem munere libere perfungantur.

„Ut autem ex hac Nostra indulgentia omne dubium quod a formularum discrimine, quas commemoravimus, oriri posset omnino arceatur, easdem ipsas facultates, quibus pro Ecclesiae bono ipsum

Praepositum instruimus, hic singillatim enumerandas censemus, iisdemque verbis expressas, quas Congregatio Christiano nomini propagando praeposita in eis concedendis solet usurpare, nimirum ":

§ 2. Facultates et Gratiae ad 20 Annos concessae.

I. „Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera; et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et Religionis.

II. „Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum; et in secundo, tertio, et quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia; quo vero ad praeterita, etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam; et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

III. „Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

IV. „Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

V. „Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

VI. „Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet II, III, IV, V, non concedantur nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat; et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

VII. „Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et Baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti."

VIII. „Benedicendi paramenta, et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; (1) et reconciliandi ecclesias

(1) Pro propriis ecclesiis tantum uti saepius S. C. R. declaravit. Lucius Ferr. Bibl. voce: Benedicere art. 1, n. 19. Superiores eam facultatem aliis delegare non possunt ex Declar. S. C. 14 Nov. 1618. Inst. Prag. p. 276.

pollutas, aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

IX. „Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses, deliquerint; nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hanc fuerint relapsi; et hos in foro conscientiae tantum.

X. „Absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae contentis. (1)

Nota. *Adm. R. P. N. litteris* 5 *Julii* 1875 *notum facit:* „*etiam nobis revocatam esse facultatem absolvendi a casibus reservatis in Bulla Ben. XIV quae incipit.* „Sacramentum poenitentiae" i. e. *facultatem absolvendi a peccato calumniae sollicitationis et attentatae absolutionis complicis, quae facultas Decreto* 27 *Junii* 1866 *a S. Congr. S. Officii etiam in Quinquennalibus Episcoporum suppressa fuit.* (2)

XI. „Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

XII. „Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

XIII. „Consecrandi calices, patenas, et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel sedes vacet.

XIV. „Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, tempore jejuniorum, et praesertim quadragesimae.

XV. „*a*) Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; — *b*) per horam unam

(1) In recentioribus formulis habetur: «Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo in Bulla «*Apostolicae Sedis moderationi*" diei 12 Oct. 1879 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi." Acta Sactae Sedis VII p. 302.

(2) Confer Acta Sanctae Sedis, III p. 499 et seq.

ante auroram, et aliam post meridiem; — *c*) in altari portatili; — sine ministro, — sub diu, — et sub terra, in loco tamen decenti, — etiamsi altare sit fractum, — vel sine reliquiis Sanctorum; — et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus ac aliter celebrari non possit. Hujusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime et ex gravissimis et urgentissimis (1) causis, in quo graviter tam conscientia Praepositi Generalis, quam Praefectorum missionum, nec non missionariorum ipsorum oneratur.

XVI. „Deferendi S. Eucharistiae Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem (lumine) retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

XVII. „Induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire vel permanere non poterit in locis missionum.

XVIII. „Administrandi omnia Sacramenta etiam parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad Sacramenta parochialia in dioecesibus ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, aut eorum Vicarii, vel in parochiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia.

XIX. „Benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas numismata *medaglie* vulgo nuncupata, et applicandi indulgentias hujusmodi benedictionibus a Nobis impertiri solitas Christi fidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt ad formam instructionis, quae per S. Congregationem de propaganda fide missionariis, quibus haec facultas a Nobis conceditur, una cum concessae facultatis instrumento distribuitur. (2)

XX. „Et praedictae missionariorum facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur: ac per viginti annos tantum a data praesentium concessae intelligantur. Quod si forte contigerit indicatum viginti annorum tempus Sedis vacantis tempore expirare, nunc pro tunc

(1) Gravissimae causae hic tamen non ita rigorose sunt sumendae. Cfr. Lehmkuhl Theol. mor. II, n. 212 seq.

(2) SS. D. Leo PP. XIII d. 17 Nov. 1883 addidit in perpetuum facultatem adnectendi coronis Indulgentias Brigittinas. (Arch. Prov.)

omnes et singulas prorogatas decernimus usque ad novi Summi Pontificis electionem, ad quem debeat Praepositus Generalis, ut missionum Societatis Jesu Superior quam primum recurrere pro earumdem facultatum innovatione."

Nota. *Praepositi Provinciales, caeterique superiores Provincialium potestate utentes has secundae seriei facultates, quae numeris I, VIII, (sed quoad s. paramentorum et utensilium benedictionem dumtaxat), item IX, X, XI, XIV, XVIII indicantur, cum suis subditis Sacerdotibus communicare poterunt, dummodo tamen de illorum doctrina et discretione ita constet, ut nullus abusus, nulla Ordinariorum offensio sit timenda; illam pariter quae n°. XII continetur caute tamen et legitimum impedimentum strictius potius quam laxius interpretando; Illam denique, quae n°. XIX ponitur, Praepositis Provincialibus, Superioribusque atque per hos cum iis Patribus, qui ad sacras missiones aut Exercitia aut ad Verbum Dei praedicandum excurrunt; item cum uno alterove in unaquaque domo communicandam concedimus. Caeteras autem facultates Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis ubi similes a S. Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solent.*

Sequitur reliquum Brevis:

„Caeteras autem facultates ac privilegia in hisce litteris contenta tam Societati Jesu, suisque alumnis, quam Praeposito Generali ut illius Praesuli ex benignitate apostolica in perpetuum concedimus et indulgemus.

Decernentes easdem litteras semper firmas, validas, et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios ac S. Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus felicis recordationis Pauli III, Julii III, Sancti

Pii V, Gregorii XIII, et Urbani VIII, praedecessorum Nostrorum apostolicis litteris, nec non omnibus et singulis illis, quae ab ipsis in suo cujusque diplomate non obstare decretum est, caeterisque contrariis quibuscumque.

„Interea vero dum Societatis Jesu alumnos peramanter in Christo complectimur, et Apostolicam eis omnibus benedictionem impertimur, Deum enixe oramus atque obsecramus, ut patrum et majorum suorum exempla imitantes, omnia ad Dei gloriam sint relaturi.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die undecima Julii millesimo octingentesimo vigesimo sexto, Pontificatus Nostri anno tertio.

J. Card. Albanus.

Hae facultates vicennales Soc. J. prorogatae sunt a Leone XIII die 14 *Julii* 1885 *usque ad* 27 *Jan.* 1906. *Litt. R. P. N. Vicarii.*

—

CAPUT II.

Constitutio „Apostolicae Sedis"

Quum hac Constitutione novus Censurarum elenchus editus novaque circa eas dispositio facta sit, non abs re erit illam hic totam communicare.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promul-

gatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

§ 1. Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propu-

gnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicae Legatos, vel Nuntios aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis, ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sacculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo,

si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

§ 2. Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745; *Ubi primum* 2 Julli 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel

utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coriphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici, violare jubentes aut ausu temerario violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum* 2 Januarii 1569.

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX

Quae ab hac Sede, pridie nonas Novembris 1591; Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592 et Alexandri VII *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, iisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

§ 3. Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis vel Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

§ 4. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas deripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae*, De Reb. Ecc. non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Const. *Universi*, 20 Augusti 1622; et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

§ 5. Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum

contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

§ 6. Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus et privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV, c. VI de reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginem Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris, Pontificatus nostri vigesimo quarto.

M. Card. Mattei Pro-Datarius. N. Card. Paracciani Clarelli.

Visa de Curia

Loco † Plumbi. *Dominicus Bruti.*

J. Cugnoni.

Vide super his omnibus Theol. Mor. P. Lehmkuhl, II, n. 920—1001.

CAPUT III.

Aliae gratiae a S. Sede Societati Jesu concessae.

I. LITTERAE LEONIS PP. XIII.

»Quibus quum Instituti nostri approbationes, confirmationesque a Decessoribus suis factas ipse approbat et confirmat, tum privilegia ac facultates, quae legitime revocata non fuerint, denuo largitur et concedit.» *Litt. Adm. R. P. N. Vic.* 19 *Jul.* 1886.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dolemus inter alia, quibus cor nostrum in tanta rerum perturbatione angitur, injurias et damna illata religiosis Regularium Ordinum familiis, quae a sanctissimis institutae viris, magno usui et ornamento tum catholicae Ecclesiae, tum civili etiam societati commodo et utilitati sunt, quaeque omni tempore de religione ac bonis artibus, deque animarum salute optime meruerunt. Propterea Nobis est gratum, oblata occasione, laudem quae iisdem religiosis familiis jure meritoque debetur, tribuere, et benevolentiam qua eas, uti et Praedecessores Nostri, complectimur, publice et palam testari.

Jam vero, quum noverimus pluribus abhinc annis novam inchoatam esse editionem operis cui titulus „Institutum Societatis Jesu" eamque a dilecto filio Antonio Maria Anderledy Vicario Generali ejusdem Societatis Jesu assiduo studio absolvendam curari, ejusdemque operis adhuc desiderari librum, in quo Apostolicae litterae praefatae Societati, ejusque Institutori Sancto Ignatio de Loyola aliisque Praepositis Generalibus datae habentur, hanc arripiendam censuimus occasionem exhibendi Nostrae erga Societatem Jesu, egregie de re catholica et civili meritam, voluntatis testimonium. Quare incoeptam operis praedicti editionem in decus utilitatemque ejusdem Societatis cessuram probamus, laudamus, eamque continuari et ad finem perduci cupimus. Utque vel magis Nostra in Societatem Jesu voluntas perspecta sit, omnes et singulas litteras Apostolicas, quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Jesu, per Praedecessores

Nostros Romanos Pontifices a felicis recordationis Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, nec non omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis Constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta hisce litteris confirmamus, et Apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus.

Idcirco decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et iis ad quos spectat et spectare poterit plenissime suffragari. Non obstantibus Apostolicis litteris Clementis PP. XIV, incipientibus „Dominus ac Redemptor" in forma brevis die XXI Julii anno MDCCLXXIII expeditis, aliisque quibuscumque, licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus; quibus omnibus ac singulis ad praemissorum effectum tantum specialiter et expresse derogamus.

Sint hae litterae Nostrae testes amoris, quo jugiter prosecuti sumus et prosequimur inclytam Societatem Jesu, Praedecessoribus Nostris ac Nobis ipsis devotissimam, fecundam tum sanctimoniae tum sapientiae laude praestantium virorum nutricem, solidae sanaeque altricem doctrinae; quae graves licet propter justitiam persecutiones perpessa, nunquam in excolenda vinea Domini alacri invictoque animo adlaborare desistit. Pergat igitur bene merita Societas Jesu, ab ipso Concilio Tridentino commendata et a Praedecessoribus Nostris praeconio laudum cumulata; pergat, in tanta hominum perversitate contra Jesu Christi Ecclesiam, suum prosequi institutum ad majorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem; pergat suo ministerio in sacris expeditionibus infideles et haereticos ad veritatis lucem traducere et revocare, juventutem christianis virtutibus bonisque artibus imbuere, philosophicas ac theologicas disciplinas ad mentem Angelici Doctoris tradere. Interea dilectissimam Nobis Societatem Jesu peramanter complectentes, Societatis ejusdem Praeposito Generali et ejus Vicario singulisque alumnis Apostolicam impertimus benedictionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Julii MDCCCLXXXVI, Pontificatus nostri anno nono.

M. Card. Ledóchowski.

—

II. ELENCHUS ALPHABETICUS NONNULLORUM PRIVILEGIORUM ETC.

Praeter gratias supra Cap. I relatas Societati nostrae plures aliae tum a Leone XII quum ab aliis Summis Pontificibus fuerunt concessae et nuperrime a Leone XIII confirmatae, ex quibus praecipuas hoc loco colligemus quae videlicet operariis usui esse possunt. Ut autem Lector eas facilius possit reperire, eas alphabetice recensebimus.

Absolvere.

1. Omnes confessarii Societatis, utpote jurisdictione a Summo Pontifice, mediantibus suis Superioribus donati, possunt, modo approbati fuerint ab Ordinario loci (1), absolvere quoscumque utriusque sexus Christi fideles ad eos undequaque accedentes, (adeoque etiam peregrinos vel vagos). Leo XII n. 1 p. 3 et n. 19 p. 5 et Paul. III „*Cum inter*". *Novum Bullarium Soc. Jesu* p. 8.

Attamen quoad absolvendos *Religiosos* aliorum ordinum attendi debet, num habeant facultatem confitendi extra suum ordinem; alioquin hos Nostri absolvere nequeunt.

Quoad *Alumnos* et *Familiares* vide infra; et quoad *Nostros* etiam infra v. *Confessarii.*

2. Quoad *casus reservatos.* Nostris concedi potest facultas.

1°. A papalibus simpliciter reservatis. Leo XII n. 5. *supra p.* 3 et Paul. III „*Cum inter*". *N. Bull. p.* 8.

2°. A papalibus specialiter reservatis cum restrictione quoad haeresim et excepto casu complicis et falsae denuntiationis. Leo XII n. IX et X. *supra p.* 7.

3°. Ab episcopalibus jure communi reservatis, qui habentur supra c. II p. 15, S. Alph. l. 7 n. 99. Pro reliquis indigent Nostri licentia Episcopi. Clem. X „*Superna*" § 7 et Prop. damn. Alex. VII, 12ª.

3. *Privilegium speciale pro tempore Recessus* concessum a Ben. XIV,

1) Quoad hanc approbationem vide Clem. X *Superna* 21 Jun. 1670.

„*Quantum secessus*", *N. Bull. p.* 301 et „*Dedimus sane*". *N. Bull. p.* 304. In priore Brevi dicit: „Superioribus cujusvis collegii, vel domus vel secessus ejusdem Societatis, pro tempore existentibus, et uni vel pluribus dictae Societatis Sacerdotibus . . . . ad audiendas quoque Christifidelium confessiones ab Episcopis Ordinariis locorum approbatis, prout unicuique Superiori magis expedire in Domino visum fuerit, quoscumque tam saeculares quam cujusvis Ordinis et Instituti Regulares, in quolibet collegio, domo aut secessu, vel publica etiam ecclesia seu capella, saepedicta spiritualia Exercitia peragentes, eorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque ipsorum peccatis, excessibus ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, et cuicumque, etiam Sedi Apostolicae (non tamen per litteras die Coenae Domini legi solitas) reservatis, in foro conscientiae tantum . . . . absolvendi facultatem . . . . concedimus et impertimur." *N. Bull. p.* 303.

Nunc vero relate ad casus Sedi Apostolicae reservatos post Constit. Pii IX „*Apostolicae Sedis*" standum est facultatibus vicennalibus Leonis XII, n. IX et X; relate ad ceteros casus sive episcopales sive reservatos in Ordinibus religiosis uti possunt Nostri hac facultate.

In Brevi „*Dedimus sane*" extenditur haec facultas in perpetuum concessa; 1°. „Ad omnes et singulos Societatis religiosos alumnos, ubique locorum sive missionarios in actu missionum quarumcumque, sive in quibusvis tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis, et piis locis et aedibus, vel saecularibus vel regularibus quorumcumque Ordinum, Institutorum, collegiorum seminariorumque, nec non quarumcumque Congregationum et Sodalitatum, et monasteriorum monialium oblatarumque et conservatoriorum virginum ac mulierum, de Superiorum licentia, spiritualia hujusmodi exercitia, vel *diem* quem appellant *praeparationis ad mortem*, tradentes sacramentalesque confessiones, tempore vel occasione eorumdem exercitiorum excipientes; et 2°. ad Sacerdotes iisdem a Superioribus adjunctos socios, ut praemittitur sub iisdem omnino modo et forma etc." *N. Bull. p.* 305.

In more positum est, ut qui exercitia peragunt „per dies *decem*, *octo*, *quinque* in singulos annos, et per diem unum semel in mense pro exercitio, quod appellant praeparationis ad mortem, piis meditationibus tranquillam operam navent." *N. Bull. p.* 301. Attamen Ben. XIV

tempus durationis non definit; et ubi concedit Indulgentiam plenariam pro hisce exercitiis, nihil requirit quam ut „per *quodcumque dierum spatium* semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense ea exercitia peregerint." *N. Bull. p.* 302. Vide infra Cap. V., *Summarium Indulgentiarum;* parte 3ª.

Admissio, vide *Novitii.*

Aedificia, vide *Domus.*

Aggregare, vide *Congregatio.*

Altare.

1. Erigere et addere licet Superioribus in locis a Provincialibus approbatis ex Paul. III et Greg. XIII *N. Bull. p.* 17 *et* 57 et Leo XII n. 16. (Cfr. Gatticus, *de usu altaris portatilis* Ep. 10 n. 4.)

2. In locis Missionum in altari viatico celebrare. Leo XII, n. XV et Greg. XIII. *N. Bull. p.* 76. Item in altari fracto et sine reliquiis. Leo XII. n. XV.

3. In cubiculis infirmorum. Vide *Infirmi.*

Altare privilegiatum.

1. Unum concessum in singulis ecclesiis Societatis. Ben. XIV, *N. Bull. p.* 294. § 8. et Leo XIII, vide infra cap. V n. 56. *Summ. Indulg.* 2. Ex communicatione cum Congr. B. V. M. Missae pro Nostris qui de hac vita migrarunt habent Indulgentiam Altaris privilegiati.

Alumni.

Alumni convictores in nostris collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, quamdiu manent sub obedientia Nostrorum, connumerari possunt inter *Familiares* quoad absolutionem et reliqua Sacramenta, ita ut relate ad eos approbatio et licentia Ordinarii loci non sit necessaria. Id concessum fuit compluribus collegiis Nostrorum et Clericis Regul. de Somascha ut patet in periodico: „*Acta S. Sedis*" *Vol. III p.* 60. Cf. *S. Alph. Theol. mor. l.* 6 *n.* 583 *in fine.*

Apostatae a Societate.

Vide Comp. Privilegiorum et Epitome Inst. P. I. n. 101 et 106 ac P. IV n. 97 et 142.

Appellatio.

Ab animadversione .... nefas est extra Societatem provocare, Leo XII, n. 9 supra p. 4.; et Epit. Inst. P. IV. n. 59. Cf. et Compend. Privileg.

Benedicere.

1. *Quacumque Formula.* Ad preces R. P. Petri Beckx Praep. Gen. S. J. Pius IX indulsit: „Sacerdotibus Societatis facultatem, ubi opus fuerit, adhibendi formulas Benedictionum, quae etsi in Rituali Romano non reperiantur, attamen a S. Rit. C. pro particularibus locis rite approbatae fuerunt, ipsa non exclusa formula qua benedicitur *Cingulum* in honorem *S. Josephi* Sponsi B. M. V..... Contrariis etc". 14 Mart. 1864. *Arch. Prov.* et *Bull. N. Append. p.* 25.

2. *Absque superpelliceo* cum stola sola licet Nostris extra Missam benedictiones peragere, maxime quando fiunt in locis privatis. S. C. Ep. et Reg. 8 Nov. 1588. *Gonlenv. p.* 75.

3. *Aquam S. Ignatii.* „SS. D. N. Pius IX clementer deferens supplicibus votis R. P. Petri Beckx Praep. Gen. S. J..... formulam ad benedicendam aquam a S. Ignatio Confessore nuncupatam, a S. Rit. C. diligenter revisam et correctam,..... suprema auctoritate sua approbavit, indulsitque, ut eadem formula in benedictione praedictae aquae uti valeant Sacerdotes Alumni Societatis ipsius. Quam autem memoratus R. P. Praep. Gen. exquisiverit etiam ab eodem SS. D N., ut in iis locis, in quibus non existant Domus Societatis suae, ad hanc benedictionem delegare valeat alios quoque Sacerdotes de consensu tamen Ordinarii dioecesani, SS. clementer annuit, ut praefata Benedictionis Formula adhiberi possit in illis Dioecesibus quarum Ordinarii a S. Rit. C. ejusdem extensionem petierint, et pro iis tantum locis ubi non adsint Domus Soc. J.—Contrariis etc. die 30 Aug. 1866". *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 29.

At die 11 Aug. 1881 SS. D. N. Leo PP. XIII eidem R. P. Petro Beckx Praep. Gen. S. J. indulsit *ad decennium* „ut concedere valeat quibuscumque idoneis viris ecclesiasticis, singillatim tamen petentibus, facultatem peragendi benedictionem Aquae S. Ignatii Confessoris juxta formulam jam ab eadem S. R. C. approbatam: verum sub conditione, ut nemini ipsorum ea uti unquam liceat, nisi de respectivi R^mi Ordinarii dioecesani consensu. Decreto diei 30 Aug. 1866 aliisque in contrarium disponentibus minime obstantibus". *N. Bull. Append. p.* 35.

Formulam habes infra in Formulari n. XXVI.

4. *Cingulum S. Josephi* ut supra v. *Benedicere* n. 1. Vide formulam benedictionis in Formulari n. XXVIII.

5. *Crucem Missionis.* Praep. Gen. Soc. J. a Pio IX obtinuit: „ut in regionibus variis Europae et extra Europam, ubi mos habet, in Missionis memoriam crucem plantare ..... possint. Die 19 Jan. 1851 ad 2. *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 18.

Et alias: „ut Missionarii Soc. in fine vel decursu S. Missionum, quae ab ipsis peraguntur, benedicere et erigere valeant secus vias Cruces erigi solitas, dum modo in benedictione harum Crucium adhibeatur formula vel in Rituali praescripta vel a S. Sede apposite approbata. Contrariis etc. Die 14 Mart. 1864". *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 25.

6. *Cruces parvas, coronas* etc. ut concessum est a Leone XII n. XIX supra, p. 8.

7. *Coronas Brigittare.* SS. D. N. Leo XIII in audientia habita die 17 Nov. 1883 postulationi R. P. Petri Beckx annuit, ut Nostri facultatem habeant concedendi Indulgentias a S. Birgitta dici solitas, facta ad cautelam sanatione ad praeteritum, siquidem aliqui ex Nostris existimabant se per facultatem superiorem eas indulgere potuisse. *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 37.

8. *Scapularia quinque benedicere et imponere.* Ad preces Praep. *Prov. Neerl.* Pius IX, referente Card. Praef°. S. C. de Prop. Fide, benigne concessit: „potestatem benedicendi Scapularia Confraternitatum *SS. Trinitatis, B. V. M. de Monte Carmelo* (1), *Septem Dolorum ejusdem*, atque *Immaculatae Conceptionis*, nec non *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.;* Fideles utriusque sexus in praefatis Confraternitatibus assumendi cum communicatione privilegiorum et Indulgentiarum iisdem adnexarum, absque eo quod Confraternitates sint erectae in Ecclesiis

(1) Facultas haec quoad scapulare carmelitanum revocata fuit a SS. D. Leone PP. XIII sequenti Decreto: « ut praefatum indultum (sc. scapulare carmelitanum commixtim seu simultanee « cum aliis scapularibus benedicendi et tradendi) in posterum non amplius concedatur, ac illi « omnes, etiam Regulares Ordines vel Congregationes, quibus Indultum ipsum quocumque nomine « vel forma ab Apostolica Sede est concessum, eo tantummodo *ad decennium* perfruantur ab hac « die (sc. 27 Aprilis 1887) computandum ». Ex Secretaria S. C. Indulg. die 27 Aprilis 1887. Acta XIX p. 334.

Ergo a die 27 Aprilis 1897 hoc Scapulare separatim sua propria forma est tradendum.

ubi versari contigerit, aut nomina Catalogo inscribantur (1), aut scapularia, quae ex altari aut suggestu benedici solent, manu benedicentis collo Fidelium appendantur idque etiam extra Missionum solemnitatem". (2)

Haec potestas concessa est Oratori et suis in officio successoribus una cum facultate, ut possint praefatam potestatem sibi subditis Patribus Missionariis, ubi visum fuerit, communicare, attamen cum sequentibus restrictionibus: „*a*) de consensu Ordinarii, *b*) durante tamen munere et *c*) dummodo in locis non adsint Religiosi, quibus ex privilegio proprii Ordinis benedictio et collatio praedictorum scapularium competat". Ex Audientia SS^mi habita die 20 Nov. 1862.

NB. Consensus Ordinarii requisitus est datus ab Ill. Archiepiscopo Ultrajectensi J. Zwijsen, qui tunc simul erat Administrator Apost. Buscoducensis sub die 13 Dec. 1865; ab J. A. Paredis Episc. Ruraemundano, a G. P. Wilmer Episc. Harlemensi, 12 Jan. 1866; ab Episc. Bredano, 12 Maii 1888. *Arch. Prov.* — Pius IX d. 19 Jan. 1851 facultatem Superiori Generali Societatis J. fecit designandi Sacerdotes, qui possint commutare obligationes ad indulgentiam lucrandam, quae dicitur *Sabbatina*, modo deficiant confessarii, qui privilegio gaudeant has obligationes commutandi. *N. Bull. Append.* p. 17.

9. *Oratoria publica, ecclesias, coemeteria propria. Gonlenv.* p 75 et *Comp. Priv.* v. Benedicere § 1, ex concessione Minoribus de Observ., ubi tamen additur: Hac facultate uti possunt omnes Superiores, non tamen publice nec nisi quum Ordinarii abessent, aut id gravate facerent. Vide *Comp. Privil.*

10. *Paramenta.* Vide Leo XII n. VIII, supra p. 6 et Paul. III, *N. B.* p. 17.

11. Palmas, cineres, candelas, commestibilia, aliaque quae non

(1) Ob Decretum die 27 Aprilis 1887 datum, quo Indultum Gregorianum de non inscribendis nominibus eorum qui in confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo recipiuntur revocatum est, jam tutius putarem ut nomina recipiendorum Catalogo Confraternitatis inscribantur quando Nostri illud Scapulare extra Missionis solemnitatem tradunt; quod jam sine dubio est faciendum quando hoc Scapulare non vi hujus Indulti sed facultate aliunde obtenta benedicunt et imponunt.

(2) Hoc Indulto habemus etiam facultatem singula scapularia separatim benedicendi. Et ad usum hujus Indulti non requiritur consensus Superiorum Ordinum quibus haec scapularia propria sunt, non obstantibus Decretis quae hoc jam necessarium declararunt. Haec S. C. Ind., „*mature perpenso Rescripto dici 20 Novembris* 1862 *a S. C. de Prop. Fide obtento*", declaravit d. 9 Aug. 1886. *Archiv. Prov.*

sunt juris parochialis, eaque ubi opus fuerit aliis distribuere. *Gonlenv.* p. 75 et *Comp. Priv.* v. Benedicere § 4 ex concessione Ordini Praedic.

„Quod spectat ab benedictionem mulierum post partum, licet declaratum fuerit, eam non esse de juribus parochialibus in Decr. U. et O. S. C. Rit. 12 Jan. 1704, si tamen in locis sit consuetudo in contrarium, aut prohibeatur statutis synodalibus, ab illa abstineant." *Comp. Priv.* ibidem.

Benedictio Apostolica in articulo mortis.

1. Pro Nostris concessit Pius VII 6 Febr., 1821, R. P. Al. Fortis et suis successoribus, sive per se sive per alios Soc. J. Sacerdotes dandam. *Arch. Neom.* et *Epit. Inst.* p. 490.

2. Pro utriusque sexus Christi fidelibus. *Leo XII n. XI.* supra p. 7.

Benedictio papalis.

In Missionibus tantum. „Ad preces Praep. Gen. Soc. J. ut in exitu Missionum concedere liceat benedictionem quae papalis dici solet; nimirum benedictionem Fidelibus istis tamquam a Summo Pontifice impertitam, quae gratia concessa olim Societati fuit, et qua facultate hodiedum alii quoque Missionarii fruuntur." Pius IX benigne annuit et benedictio ut supra detur cum imagine D. N. J. C. Die 19 Jan. 1851. *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 18. Olim idem concessum ad tempus. *Comp. Priv.* v. Indulg. § 15 et v. Benedicere § 6.

In fine *recessus* dari non potest. Litt. Adm. R. P. N. 27 Maii 1883. *Arch. Prov.* et *Resp. ad Postulata Prov. Neerl.* 1865.

Attamen juxta aliquos exercitia viris in communi data considerari possunt ut Missio, post quae igitur benedictio papalis dari potest.

P. Schneider dicit: „sub nomine Missionis comprehenduntur etiam exercitia octiduana, quando haec toti Parochiae traduntur, non vero quando non nisi Religiosae communitati traduntur."

„Conciones vero Adventus et Quadragesimae, quae per modum Missionis habentur, etiam jus dant ad hanc benedictionem impertiendam. Haec tamen benedictio dari non potest nisi cum licentia Superiorum ecclesiasticorum." *Schneider, n.* 193. *p.* 601.

Nota: Pium IX d. 4 Maii 1851 concessisse, ut Missionarius eam impertire possit per se vel per alium Sacerdotem sive regularem sive saecularem a Missionis Praefecto delegatum. *N. Bull. Apend. p.* 18.

Bonae Mortis Congregatio. Vide infra *Congregatio.*

Breviarium.

A. *Sub Exercitiis in favorem Cleri.* Ex concessione Pii IX 7 Julii 1864: „Sacerdotes aliique Ecclesiastici viri onere Divini Officii recitandi adstricti, sive saeculares sint sive regulares et etiam beneficiati, simul recitantes Officium loci in quo Exercitia Spiritualia obeunt sub directione Patrum Soc. J., hoc ipso obligationi Divini Officii satisfaciunt, quocumque titulo Horas Canonicas ipsi persolvant. *Arch. Prov.* et *N. Bull. Append. p.* 27.

B. Sacerdotes sive clerici saeculares, qui *auxiliares* sunt in nostris collegiis vel convictibus in Officio divino et Missa se plene Nostris conformare possunt. Pius IX, 19 Jan. 1851. *N. Bull. Append. p.* 17. Idem concessum est pro *alumnis* convictus Oenipontani, quamdiu in convictu commorantur. Rescr. Pii IX 23 Dec. 1861, (quod communicari potest aliis convictibus).

C. *Quoad Nostros.*

1. Societas non tenetur horas canonicas recitare communiter et *in choro. Epit. Inst. P. III n.* 10 et *P. V, n.* 76 et *N. Bull. p.* 52.

2. *Anticipare.* Pius IX die 24 Aug. 1853 indulsit: „Sacerdotibus et Missionariis Soc. J. inchoandi Matutinum sequentis diei hora secunda post meridiem, accedente justa causa". Et ex declaratione ejusdem die 25 Febr. 1854, justa causa intelligitur adesse dum Superior vel confessarius eam approbat. *Gonlenv. p.* 72 et *Comp. Priv.* v. *Horae Can.*

Haec facultas in particulari concessa est ad preces R. P. Prov. Neerl. Andreae Consen pro sua Provincia die 26 Aug. 1853. *Arch. Prov.*

3. Recitare Matutinum post Missam. Leo XII n. 16. supra p. 5.

4. Superior potest officium divinum adversa valetudine laborantibus in pias alias preces commutare. Leo XII, n. 16. supra p. 5. et in Rosarium, si quis impeditur quominus breviarium secum deferat. Leo XII. n. XII. supra p. 7. Vide etiam *Comp. Priv.* v. *Horae Canonicae.*

Calices. Vide *Sacra.*

1. Calices et Patenas consecrare quando. Leo XII. n. XIII supra p. 7.

NB. Distantia 2 dietarum aequat 40 milliaribus seu kilometris.

2. Fratres sacristani possunt tangere calices, patenas ac corporalia.

Ex communic. Privil. *Comp. Priv.* v. *Sacra.* Poterunt Superiores hanc facultatem concedere, quando id expediens judicaverint. *Ibid.*

Casus reservati.

1. *Papales*, vide supra cap. I. p. 11 et hic v. *Absolvere.*

2. *Episcopales*, vide infra cap. XI.

3. *In Societate.*

§ I. Casus quorum absolutio reservata est Superioribus Societatis, ex permissione facta a Clemente VIII omnibus Regularibus.

1. Veneficia, incantationes, sortilegia.

2. Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventus egressio fiat.

3. Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

5. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.

6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.

7. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii aut conventus.

8. Furtum de rebus monasterii sive conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

9. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.

10. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personae.

11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

§ II. Casus, quorum absolutio reservata est Superioribus Societatis ex Decreto Congr. V.

1. Perjurium et falsum testimonium in judicio vel extra.

2. Furtum et usurpatio alicujus rei contra votum paupertatis, in ea quantitate, quae efficiat peccatum mortale.

3. Lapsus carnis voluntarius, et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat.

4. Inobedientia expressa, qua quis asserit se nolle parere.

5. Seditio in Superiorem, et divisio a capite in grave nocumentum Societatis.

6. Detractio famae bonaeque existimationis aliorum, et discordiarum seminatio inter fratres.

7. Impedimentum excludens e Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit.

8. Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, quae scilicet acceptio vel missio contineat rationem peccati mortalis.

9. Transgressio votorum simplicium, quae professi emittunt post professionem.

10. Censurae Societatis nostrae, seu peccata quae in nostris Constitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent excommunicationem.

11. Transgressio praecepti de non procurandis externorum intercessionibus.

Haec omnia, cum manifeste erunt mortalia, et in actum exteriorem prodierint, reservantur Superiori Domus vel Collegii (exceptis iis, quae reservantur mediatis Superioribus, ut videre est in catalogo censurarum), et ab alio, nisi expressa licentia illius, absolvi non possunt. *Ita in Epit. Inst. App. n. II p.* 482. Vide etiam *Ordin. Gen. Cap. V. et Epit. Inst. P. IV. n.* 15, 16 *et* 17.

De absolutione horum casuum vide infra v. *Confessarius.*

Collegia.

Privilegia collegiis tributa.

1. *Missa Festiva de S. Joanne Berchmans in collegiis.* Pius IX 23 Nov. 1865 concessit: „ut liceat in collegiorum, seminariorum et scholarum ecclesiis, oratoriis et Congregationibus Soc. J. extra Italiam, ubi scholares tam externi quam domestici convenire de more solent, celebrare festum B. Joannis Berchmans cum Missa propria... in illa mensis Novembris Dominica quae magis libuerit.... dummodo non occurrat Dupl. I^{ae} vel II^{ae} Classis, ac Dominica I^{a} Adventus, servatisque Rubricis". *Arch. Prov.*

Notat P. Gonlenveau: Missae omnes tum privatae tum solemnis, sive a Nostris sive ab externis celebratae, erunt de B. Joanne ut in die 13 Aug. sub ritu dupl. II^{ae} classis. In iis Missis, cum sint non votivae sed festivae, fiet commemoratio festi vel diei octavae et Dominicae occurrentis; non autem diei infra octavam neque simplicis, si missa est cantata. Omittitur etiam *Imperata*, dicitur *Gloria, Credo*, et *Prae-*

fatio SS. Trinitatis, nisi currat Octava habens propriam Praefationem, atque in fine dicitur Evangelium Dominicae. In officio vero nihil fit de B. Joanne. Sacerdotes qui extra praedicta loca, etiam in sacellis privatis nostris celebrant, Missam officio conformem legere debent. Gonlenv. p. 262.

2. In Prov. Neerlandiae.

Missa votiva de Spiritu S. — R. P. Prov. L. van Gulick obtinuit a Pio IX in audientia 27 Nov. 1856: ut initio anni scholaris post ferias autumnales celebrari queat in collegiorum ecclesiis Missa votiva solemnis cum cantu de Spiritu S., ea die quae singulis annis commodius designari potest, dummodo non sit dies festiva de praecepto servanda, neque in ea occurrat aliquod Officium Dupl. 1ae Classis ac Rubricae serventur. *Arch. Prov.*

Juxta P. Gonlenveau idem concessum est Prov. Belgicae. *Comp. Rubr. p.* 50.

3. Praeterea idem Pius IX ad preces R. P. L. van Gulick, Prov. Neerl. concessit die 22 Nov. 1856: ut in die celebrationis illius Missae votivae tum domestici tum alumni, qui rite confessi ad S. Synaxim accesserint, lucrentur Indulgentiam plenariam. *Arch. Prov.*

Communicatio Privilegiorum.

Vide infra Cap. IV. et cap. VII.

Communio, vide *Eucharistia.*

Commutatio, vide *Breviarium*, *Indulgentiae*, *Missio*, *Vota* etc.

Concionare.

1. Verbum Dei annuntiare Nostris licet assentientibus quibusvis locorum Ordinariis. Leo XII n. 1, supra p. 3; ubi vero nulla sit ecclesiastica jurisdictio, de sola Praepositi Gen. licentia. Leo XII. n. 19. supra p. 5. Consensum Ordinariorum requirit etiam Pius VII „*Sollicitudo.*" *N. Bull. p.* 342.

2. Superiori locali licet etiam eos ex Nostris, qui sola tonsura Clerici facti sunt, deputare ad concionandum, modo eos examinaverit et idoneos repererit, Paul. III *N. Bull. p.* 8 et Greg. XIII *N. Bull. p.* 100; quamquam generali legi subjicimur non concionandi sine licentia respectivi, petita benedictione, Episcopi. *S. Alph. de privil. Cap. V n.* 124 et *Comp. Privil.* v. *Praedicatores.*

Additur autem in Comp. Priv. v. *Praedicatores:* „Deputatio approbatorum Provincialibus conceditur et quibus ipsi commiserint. Caeterum per Conc. Trid. Sess. v. Cap. 2, Nostri in ecclesiis nostris, ut praedicare possint, ultra deputationem Superiorum egent benedictione Episcoporum: in alienis autem, egent eorumdem Episcoporum licentia. Ipsis vero Episcopis contradicentibus, Nostri nec in nostris nec in alienis ecclesiis possunt praedicare, ut habetur eodem Concilio, Sess. XXIV Cap. 4, de Reform. (1)

Et § 2 „Etsi ex Bulla *Superna* Clem. X, tom. VII Bullar. Rom. possint Episcopi Praedicatores concionaturos in alienis ecclesiis examini quoad doctrinam subjicere, et licentiam concionandi datam ex novis causis suspendere; non possunt tamen generatim prohibere ne Nostri praedicent in ecclesiis Societatis, ut in § 3 Bullae cit."

Unde Epitome Inst. simpliciter dicit: „Provincialis erit praedicatores constituere, praemissa tamen licentia sive benedictione Ordinariorum, juxta formam Conc. Trid." *Epit. Inst. P. V. n.* 36.

Quando ipse Episcopus concionatur vel solemniter coram se facit praedicare, Regulares in suis ecclesiis vetantur concionari. *Birzarrus, Collect. p.* 246 *et p.* 249. Plura de hac re vide *Mélanges V série p.* 322 *et seq.*

Facultates quas in Prov. Neerl. Provinciales ab Episcopis obtinuerunt infra Cap. XI referemus.

3. „Superpelliceum in concionibus adhibendum est, stola juxta patriae morem; et superpelliceum etiam in lectionibus S. Scripturae, ubi ejus est usus." *Epit. Inst. P. V n.* 44.

Conferentiae Cleri.

„Ordinarii locorum possunt quidem hortari non autem compellere Religiosos confessores non Parochos ad conferentias casuum conscientiae". S. C. Ep. et Reg. 15 Jan. 1682. *Ferr. v. Regulares, Art. II n.* 61. Ita in Resp. ad Postulatum II[m] Prov. Augl. an. 1868. *Arch. Prov.*

Attamen Const. Leonis XIII *Romanos Pontifices* Episcopis Angliae

(1) Episcopi non solent exigere a Regularibus ut benedictionem petant et S. C. Conc. et S. C. Ep. et Reg. admonet Episcopos ne id exigant. Igitur hodidum nec licentia nec benedictio jam petenda est, ut Nostri in nostris ecclesiis praedicent.

facultatem fecit vocandi ad conferentias etiam eos, qui curam animarum exercent in parvis Residentiis.

Confessarii Nostrorum; Confessio.

1. Nostri confiteri non possunt nisi iis qui a Praep. Gen. facultatem habuerint. Leo XII n. 70, supra p. 4; et *Epit. Inst. P. IV n.* 14 ex Paulo III, *Licet.* Et prohibitum est, ne quis contrariam sententiam doceat vel in praxin deducere praesumat. *Resp. ad Postul. II Prov. Taurin. an.* 1868. *Arch. Prov.*

2. Quia vero Clem. VIII decreverat singulis religiosis plures confessarios designari, ex Decr. 51 Congr. V petita et obtenta est ab eodem Pontifice vivae vocis oraculo dispensatio hujus Decreti, nempe ut omnes uni confessario pro tempore deputato confiteri debeant; quod postea Urbanus VIII confirmavit, hac tamen conditione addita, ut singulis annis quinquies aut sexies confessarius extraordinarius designetur, cui omnes indistincte et cum effectu confiteri teneantur. Urb. VIII, *In his*, *N. Bull. p.* 173 et *Epit. Inst. P. IV n.* 14. Nunc vero jam plures a Superioribus designandi sunt confessarii, quos adire omnibus fas sit, Novitiis exceptis, ex Congr. XXIII Decr. 30. § 1.

3. „*Novitiorum* confessarius, tum ex nostris Constitutionibus, tum concessione Clem. VIII, Urb. VIII, *N. Bull. p.* 172 et Leonis XII n. 13, supra p. 4 est ipsorum Magister, licet idem Rector sit; ita tamen ut quotannis, etiamsi Novitii non instent, debeant Superiores majores alium deputare confessarium, qui eorum confessiones *cum effectu* audiat, et nihilominus ipsi possint, si expedire judicaverint, per se vel per alium Novitiorum confessiones semel aut bis in anno audire.

„Mos est praeterea in Societate, ut Novitiis renovationis tempore, facultas fiat, confessarios extraordinarios pro ceteris designatos, adeundi".

Huic Deputatorum judicio censuit Congregatio addendam esse clausulam, hortandos scilicet esse Magistros Novitiorum, ut se quam facillimos exhibeant in concedendo Novitiis, si quando petant, alios confessarios". *Congr. XXIII Decr.* 30 § 2. Confer etiam *Epit. Inst. P. I n.* 86.

Magister Novitiorum habet potestatem ordinariam absolvendi Novitios a casibus reservatis, nisi ejus Superiori aliter videretur". *Epit. Inst. P. I n.* 87.

Si Novitius ab aliqua censura, virtute nostrorum privilegiorum, absolutus fuerit, admoneatur quod, si non perseveraverit, in eandem reincidat. *Epit. Inst. P. I* n. 52. (1)

4. Quod ad *Scholasticos* attinet, optandum est ut, si fieri potest, eorum Confessarius ordinarius sit Pater spiritualis domus etc. *Congr. XXIII Decr.* 30 § 3.

5. *Patrum* vero *tertiae Probationis* confessarius ordinarius secundum Reg. 10 Instr. et Ordin. Gen. Cap. III est ipsorum Instructor. Quum autem notatum fuisset Patres tertiae Probationis non posse adigi ad confitendum Instructori, qui Rector sit, sed posse eos adire Patrem Spiritualem domus, Congregationi placuit ut per Decretum id declaretur. *Congr. XXIII. Decr.* 30 § 4, et *Epit. Inst. P. II n.* 160.

6. *Quoad casus reservatos quis ab eis absolvere possit.*

a) Rectores in Collegiis et Superiores in domibus aut Residentiis et Missionibus, possunt absolvere a reservatis (exceptis iis quae Superioribus mediatis reservantur, ut videre est in catalogo censurarum), subditos suos et etiam hospites, qui in ea domo per spatium unius aut alterius mensis commorantur, et possunt aliis confessariis facultatem absolvendi delegare.

Eamdem facultatem, Superiore absente, etiam uno tantum die, habet is quem sibi in gubernatione domus substituerit, et si nullum substituerit, minister, vel qui domui praeest. *Epit. Inst. P. IV. n.* 18.

b) *Superiores* ipsi absolvi possunt a quolibet ex ordinariis confessariis domus, imo a quolibet e subditis, sed hoc ultimo casu (2) cum onere se sistendi Provinciali. *Ibid.*

c) *Uterque Socius* Provincialis a Superioribus domorum et ab ordinariis confessariis. *Ibid.*

d) *Provincialis* ab his et a Socio. *Ibid.*

e) *Iter agentes* absolvere potest a reservatis confessarius (3) loci ad quem divertunt, vel si is haberi non potest, quilibet alius sacer-

---

(1) Hoc fortasse restringendum est ad poenas ecclesiasticas a quibus Novitius absolutus fuerit virtute antiquorum Privilegiorum.

(2) Ita clare in Ord. Gen. C. VI. § 7, et Epit. Inst. P. IV. C. 1. n. 19 in fine.

(3) Sc. ordinarius Nostrorum, vel Socius idoneus itineris.

dos Societatis approbatus, aut si is quoque desit (1) etiam externus, (2) cum onere tamen se sistendi postmodum Superiori suo. Eodem onere imposito se sistendi Provinciali aut alteri Superiori, in cujus domum brevi poenitens sit discessurus, eum potest absolvere confessarius ordinarius in parvis domibus, ubi quatuor vel quinque tantum de Nostris commorantur." *Ibid. n.* 19.

f) In nostra Provincia mos est, ut Pater spiritualis habeat a reservatis.

h) Ex ordinatione Adm. R. P. Vicarii 16 Maii 1884:

„Tempore quo fit vel saltem fieri solet Renovatio votorum et quando Nostri separatim vel in communi vacant Exercitiis spiritualibus per octo continuos dies, confessariis Nostrorum tam ordinariis quam extraordinariis facultas data est absolvendi a casibus reservatis, in primo casu pro omnibus qui tunc temporis in domo sunt; in secundo pro solis exercitantibus. Idque singulis annis statuto a R. P. Prov. tempore in omnibus domibus, etiam ubi forte nemo sit vota renovaturus, in triclinio promulgandum est." *Arch. Prov.*

Litteris R. P. Heynen Praep. Prov. Neerl. diei 24 Maii 1885 statutum est, ut id fiat: 1o. quod spectat renovationem votorum, quotannis tempore quo fit renovatio; ubi forte nemo vota renovaturus sit, circa festa Circumcisionis D. N. et SS. Apostolorum Petri et Pauli. 2o. Facultates autem confessariis exercitiorum causa concessae promulgentur in triclinio singulis annis initio Exercitiorum, si quidem in communi habentur; ubi autem a singulis privatim fieri solent, annuntientur initio anni.

i) De modo quem confessarius petens a Superiore facultatem remittendi casum reservatum, et quem Superior tenebit illam concedendi, vide *Epit. Inst. P. IV. n.* 21—24.

7. Absque superioris licentia Nostri (nec ulli Regulares) uti possunt privilegio facto per Bullam Cruciatae eligendi sibi confessarium qui absolvat a reservatis. Urban. VIII *N. Bull. p.* 125 *et* 168. Et Gregorius XIII extendit hanc prohibitionem ad concessiones quascumque hujus generis, in jubilaeis, bullis cruciatae, confessionalibus aut aliis quibusvis apos-

(1) Neque digressio fit in aliquam domum Nostrorum.

(2) Sive regularis sive saecularis.

tolicis indultis factas. *N. Bull. p.* 56. Inspice tamen bullas jubilaei, utrum huic privilegio derogetur, necne. *Theol. Mor. P. Lehmk. II, n.* 397.

Congregatio Beatae Mariae Virginis.

1. Praeposito Generali est potestas *erigendi* et *aggregandi* Primae Primariae Romanae alias quascumque Congregationes. *N. Bull. p.* 104, 107, 113, 128, 138, 139, 298. — Etiam eas quae non sunt sub regimine Societatis nostrae. Leo XII 7 Mart. 1825. *N. Bull. Append. p.* 5. et Leo XIII 23 Junii 1885. *Ibid. p.* 40, ubi tamen additur ut horum erectio fiat *cum respectivi Ordinarii consensu*, — qui tamen verbotenus datus sufficit.

2. Congregationes, quae non fuerunt a Praep. Gen. aggregatae, in posterum gaudere non possunt Indulgentiis a Rom. Pont. Primae Primariae concessis. Leo XIII 7 Sept. 1887. *Arch. Prov.*

3. Declarantur *exemptae* a Constitutione Clementina super Confraternitates. Confer Acta II. p. 28 ubi fuse id probatur et *N. Bull. App. p.* 26 ex S. C. Indulg. 29 Aug. 1864; quod privilegium Leo XIII extendit etiam ad Congregationes externas, 23 Junii 1885. *N. Bull. App. p.* 39. Ideo:

4. Possunt esse *plures* in eodem loco. Greg. XIII *Omnipotens N. Bull. p.* 104.

5. In *domibus nostris* possunt erigi absque consensu Episcopi, sed in casu recurrendum est ad Praep. Provincialem, ut videat quid expediat. — *Instr. de Congr.* et *aliud rescr.* Arch. Prov.

6. Praepositi Generalis est Congregationes *domesticas* visitare, Greg. XIII *ut supra*; modo nulla bona immobilia nec certos reditus habeant. *Epit. Inst. P.* V. *n.* 84; et *Comp. Privil.* v. Bona § 10.

7. Eidem competit earum statuta condere, examinare, approbare, immutare etc. Greg. XIII *ut supra* et Ben. XIV: *Laudabile*, ubi id interdicitur congregatis. *N. Bull. p.* 308.

8. Praep. Gen. pro erectione et aggregatione formula propria uti potest, juxta exemplar tamen a S. C. recognitum. — S. C. Indulg. 21 Mart. 1885. *N. Bull. Append. p.* 38.

9. Congregationes quaevis B. M. V. in domibus Soc. Jesu erectae Praep. Generali subjectae sunt quoad dominium suppellectilis, et con-

gregati seu confratres nullum jus, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa, mobilia, ornamenta et suppellectilia quaecumque tam sacra quam profana ad easdem Congregationes nunc et pro tempore quandocumque spectantia et pertinentia, ac pro illarum usu et ornatu empta et emenda habent, nec habere possunt, minusque claves armariorum, in quibus mobilia ac suppellectilia, aliaque praemissa asservantur et custodiuntur, nullo modo, nullave ratione et causa, penes se habere et retinere, ac praetendere queunt, sed duntaxat eas claves retinere valent quae a Directoribus .... traduntur etc. Ben. XIV: *Laudabile. N. Bull. p.* 307.

Hinc patet res Congregationis alienari non posse sine debita licentia.

10. Praep. Generalis potest Congregationes *dissolvere.* Sixtus V: *Superna dispositione. N. Bull. p.* 109. Bona vero suppellectiles (1), et mobilia omnia, in eventu dissolutionis, revertuntur ad plenum dominium Societatis et Collegiorum, nisi aliter constet de voluntate donantium, ut inhaerendo citatis Litteris Apostolicis Greg. XIII, Sixti V, Greg. XV et Ben. XIV: *Gloriosae Dominae*, definivit S. C. Episc. et Regul. in una *Asculana* 16 Martii 1713 et in *Firmana* 2 Dec. 1740. *Comp. Priv. v.* Bona § 10, *Inst. Prag. p.* 279.

11. Juxta morem Societatis Litteris Apostolicis confirmatum Congregationes nostrae bona possidere non possunt. *Ibid.* Bona i. e. immobilia aut certos reditus. *Ordin. Gen. Cap. XXI* § 3.

12. Praesidibus Congr. B. V. permissum est, ut ex rationabili causa alium sibi sacerdotem, qui v. g. majoris solemnitatis causa invitetur, substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia Praesidum munia exercenda. Leo XIII 23 Jun. 1885. *N. Bull. Append. p.* 40. Absentes adscribi non possunt, *Instr. de Congr. Adm. R. P. p.* 13; inscriptio autem novorum sodalium in libro Congregationis est necessaria et semper fieri debet. *Instr. altera de Congr. II. n.* 2. *f.*

13. Leo XIII benigne dignatus est sanare omnes quarumcumque Congregationum, sive B. V. Mariae sive Bonae Mortis erectiones et adscriptiones fidelium ad singula sodalitia, nec non aggregationes

(1) Ita in textu.

quascumque ad Primarias hasce Congr. Romanas, hucusque cum quolibet defectu peractas, ita ut fideles, iis non obstantibus, indulgentias gratiasque concessas lucrari possint. 23 Jun. 1885. *Ut supra.*

14. Summarium Indulgentiarum nuperrime a S. C. approbatum sc. die 23 Jun. 1885 habes in *N. Bull. App. p.* 42.

Huic tamen Summario adde privilegium concessum a Leone XIII, 27 Apr. 1887, quod spectat Indulgentiam concessam pro *conventu hebdomadario.* Quum conventus illi in aliquibus regionibus diebus ferialibus utilius habeantur, iis tamen diebus Sodales, quominus ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae accedant, laboribus impediantur, S. S. decernere dignata est in omnibus regionibus, ubi eadem et alia rationabilis causa obtinet, ad eam Indulgentiam lucrandam sufficere, ut Sodales aliquo intra hebdomadam die, — praecedenti vel eodem die peracta confessione — ad S. Communionem accedant atque in capella Sodalitatis preces praescriptas persolvant. *Arch. Prov.*

Iisce additis, uti et Indulgentia plenaria a Leone XIII Rescripto S. C. Indulg. 23 Jun. 1885 concessa in Festo Purificationis B. V. M., concordat hoc Summarium cum eo quod reperitur in libro: Congregatie-Boek P. Fred. Heynen.

Meminerit Director Sodales lucrari posse:

1°. Indulgentias Stationum, quarum clenchus reperitur apud Schneider, Rescripta auth. S. C. Indulg. n. 314 ex Decreto S. C. 9 Jul. 1777, et apud P. Fred. Heynen op. c.

2°. Indulgentias concessas Numismatis benedictis, modo ea fideliter apud se teneant. Vide infra Parte II, c. X. Indulgentias has etiam recenset P. Fred. Heynen op. c.

15. Praesidem Congregationis in ecclesiis nostris constituit Praepositus Provincialis vel Superior Missionis. In aliis ecclesiis id facit Episcopus.

Formulae ad petendum consensum Episcopi et aggregationem ab Adm. R. P. Nostro describuntur in Formulari sub. n. XXXI.

Congregatio Bonae Mortis.

1. Erigitur, Indulgentiis et debitis facultatibus instruitur a Ben. XIII: *Redemptoris nostri*, nono Kal. Oct. 1729. *N. Bull. p.* 238.

2. Praeposito Generali seu Vicario Gen. potestas est *erigendi* et

Primariae Romanae aggregandi alias quascumque Congregationes in ecclesiis Soc. Jesu. Ben. XIII. *N. Bull. p.* 342; et Pius VII 6 Febr. 1821. *N. Bull. Append. p.* 3; in ecclesiis etiam aliis quae non sunt de Societate. Leo XII 22 Jan. 1827. *N. Bull. Append. p.* 6.

3. Congregationes, quae a Praep. Gen. non fuerunt aggregatae in posterum gaudere non possunt Indulgentiis a Rom. Pont. Primariae concessis. Leo XIII 7 Sept. 1887. *Arch. Prov.*

4. Praep. Gen. potest per se vel per alium pro eis statuta condere, examinare, mutare etc., et eas in ecclesiis nostris erectas visitare. Ben. XIII. *N. Bull. p.* 104.

5. Congregationes Bonae Mortis non sunt exemptae a Constitutione Clem. VIII: *Quaecumque a Sede Apostolica*, 7 Dec. 1604. (*Vide Schneider Decr. Auth. Append. n.* 1. *p.* 433 et confer. *D.* 6 *diei* 19 *Mart.* 1671 et *D.* 388 *diei* 8 *Jan.* 1861.)

Attamen eis concessa sunt privilegia sequentia:

a) ut possint esse plures in eodem loco, non autem in eadem ecclesia, Leo XIII 16 Sept. 1882. *Arch. Prov.* quo Rescripto S. S. simul sanavit omnes defectus qui olim ex non servata canonica loci distantia exstabant. Transmittens hoc Rescriptum Adm. R. P. N. monet ut Nostri hac facultate prudenter et moderate et quum vera est necessitas utantur; et attentos nos reddit ad verba diplomatis „*unam utriusque sexus christifidelium Congregationem erigimus*", ex quo conficitur oportere, ut Congregationes ejusmodi pateant tum viris tum mulieribus.

b) ut Praep. Gen. uti possit ad aggregandas Congregationes formula non undequaque consona illi, quae ex Decreto S. C. Indulg. sub die 8 Jan. 1861 praescripta fuit, sed uti valeat in posterum formula antiqua cum emendationibus tamen in exemplari S. C. exhibito introductis et recognitis. Leo XIII, 21 Mart. 1885. *N. Bull. Append. p.* 38 Sanavit tamen S. S. omnes erectiones sive aggregationes ex quocumque defectu et hucusque indebite peractas praesertim ob adhibitam peculiarem formulam.

6. In reliquis subjacet haec Congregatio praescriptis clementinis etiam in nostris ecclesiis.

a) Quod unica tantum sit in eadem ecclesia, tam saecularium quam regularium.

b) Quod erectio fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus ejusdem. Ipsa autem erectio fit a Praep. Gen.

c) Quod Indulgentiae et privilegia expresse et in specie communicentur.

d) Quod statuta examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint.

Quod si in statutis generalibus a Praeposito Generali datis aliquid majoris momenti immutandum videatur, non solum Ordinarius loci sed etiam ipse Praep. Gen. Societatis erit consulendus, quando nempe agatur de Congr. in nostra ecclesia erecta. *Instr. de Congr. a R. P. Vic. Gen.* 1885, *p.* 12.

e) Quod gratiae et Indulgentiae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.

Ideo diploma aggregationis cum Indulgentiarum catalogo ante promulgationem Episcopo est praesentandum. *Instr. altera de Congr. I. n.* 5.

f) Quod Congregatio eleemosynas excipiat et eroget secundum formam per Ordinarium praescribendam.

g) Quod litterae erectionis et aggregationis non nisi gratis concedantur, exceptis expensis pro pergamena etc.

h) Haec omnia sunt observanda sub poena nullitatis etc.

7. Praesidem constituit in nostris ecclesiis Praep. Prov. vel Superior Missionis; in alienis ecclesiis Ordinarius loci. Ex rationabili causa Praeses alium Sacerdotem sibi substituere potest ad recipiendos fideles. Leo XIII 23 Jun. 1885. *N. Bull. Append. p.* 39.

8. Quominus absentes in Congregationem cooptentur, Decretis S. C. Indulg. dd. 13 Apr. 1878 et 26 Nov. 1880 prohibetur. *Instr. p.* 31. Ut erectio et aggregatio gratis omnino nulla mercede exacta praestantur, ita pro inscribendis quoque sodalibus per se nihil exigi potest praeter ea, quae secundum statuta illius loci approbante Episcopo in expensas pro foliis vel libellis inscriptionis, ornamentis oratorii etc. deputantur.

9. Summarium Indulgentiarum habetur in Bulla erectionis Ben. XIII: *Redemptoris nostri. N. Bull. p.* 240, cui tamen addi debet Indulgentia plenaria in Dominica tertia post Pascha Resurrectionis; et in Dominica tertia Septembris, si vere poenitentes et confessi ac s. communione

refecti Congregationis ecclesiam vel oratorium devote visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis et ibi pro christianorum principum concordia etc. preces effuderint. Pius IX 23 Jan. 1866. *N. Bull. p.* 395.

Summarium prout a S. C. fuit recognitum et approbatum habetur apud P. Schneider *Rescr. auth. Summ. Indulg.* n. 77 p. 638.

Formulae ad petendum consensum Ordinarii et aggregationem ab Adm. R. P. N. describuntur in Formulari sub n. XXXIII.

Coronae. vide *Benedicere.* n. 6 et 7.

Dimissio.

1. Societas suos etiam Professos dimittere potest, nec tenetur ad judicialem probationem ab Urbano VIII praescriptam. *Epit. Inst. P. IV. n.* 118—121; nec forma judiciaria necessario est adhibenda. *Ibid. n.* 136 ex Greg. XIV: *Ecclesiae Catholicae*, *N. Bull. p.* 119 et S. C. 21 Sept. 1627. *Pagella Prov. Germ. p.* 10. *n.* 8.

2. Nec tenetur dimissos sacerdotes alere, nec eis dare congruam nec patrimonium. Ben. XIII. *N. Bull. p.* 237 et *Epit. Inst. P. IV, n.* 149.

3. Ejecti Religiosi incurrunt suspensionem. Constitutio *Sedis Apostolicae* § 5. n. 4. *supra p.* 17. Eam tamen non incurrunt Religiosi Societatis qui non nisi vota simplicia emiserint.

Dispensare vide *Breviarium*, *Irregularitas*, *Jejunium*, *Matrimonium*, *Votum.*

Domus.

1. Quamvis Societati ampla concessa sit facultas novas domus etc. erigendi et accipiendi, Paul. III, *N. Bull. p.* 15, idque non servata distantia canonica 140 cannarum, Pius IV *ibid. p.* 29 et Greg. XIII *p.* 63, requiritur tamen hodiedum ad id praeter consensum Praep. Gen. 1° licentia dioecesani Episcopi ex Conc. Trid. Sess. 25 de Regul. c. 3 et 2° in aliquibus casibus licentia Sedis Apostolicae specialis. Vide Comp. Privil. v. *Aedificia*, *Bona.*

2. Domibus nostris jam legitime erectis possumus collegium pro Nostrorum educatione vel ad alios usus internum regimen et disciplinam regularem spectantes adjungere sine nova licentia Ordinarii loci vel Apostolicae Sedis, si modo salvae maneant fundationis leges forte existentes.

Si vero de collegio vel schola externorum agatur, necessaria est eadem licentia, quae requiritur pro nova domus erectione. Leo XIII: *Rom. Pontif.* 8 Maii 1881.

Ecclesia. Vide *Benedicere.* n. 9.

1. Consecrari potest a quovis Episcopo de consensu Ordinarii loci, Leo XII. n. 3. *supra p.* 3. Confer. *Comp. Priv. v. Ecclesia* § 1. et Paul. III; per quoscumque Episcopos si Dioecesani ultra quatuor menses id facere distulerint. *N. Bull. p.* 14.

2. Reconciliari a quo? Leo XII n. VIII, *supra p.* 6. et *Comp. Priv. ibid.* § 2 ex communic. privil. et Paul. III, *N. Bull. p.* 17.

Eleemosynae.

Eas petere Nostris seu Ordinibus mendicantibus Episcopi etc. inhibere non possunt. Vide *Comp. Priv.*

Episcopus.

1. „Nostri censuris puniri non possunt ab Episcopis, etiamsi agitur de causis, in quibus illis ut Delegatis Sedis Apost. subjicimur. (1) Censuris tamen punire Nostros possunt in paucis casibus, praecipue in iis quos commemorat Greg. XV: *Inscrutabili*; ex gr. 1° si quis Nostrorum delinquit in administratione Sacramentorum erga saeculares; 2° si in praedicatione Verbi divini delinquit, ut si contra voluntatem Episcopi negligat benedictionis petitionem (i. e. ejusdem licentiam); 3° si imagines scandalosas in ecclesiis nostris exponeremus vel non amoveremus." *Pagella Prov. Germ. p.* 11 *n.* 9.

2. Quaestio vero de juribus Episcopos inter et Regulares exemptos est nimis ampla et intricata, quam ut hic pertractari possit. Confer. *Comp. Priv.* v. Absolutio § 4; Excommunicatio § 2 et 3; Aedificia § 2; Excommunicatio § 2 et 3; Exemptio § 1. 2. 15; Praelati, § 2.

Exemptio.

Quoad personas, domos, bona, vide *Comp. Privil.* hac voce.

Eucharistia.

1. Eam *asservare* potest Societas in suis ecclesiis. *Epit. Inst. P. V. n.* 29. Etiam in oratoriis domesticis si Praep. Gen. videbitur, Ben. XIV:

(1) Nota hac de re non esse apud omnes auctores unam eamdemque sententiam, eam tamen plures et graves auctores tenere.

Quemadmodum § 3. *Inst. Prag. p.* 251; *N. Bull. p.* 293. *Comp. Priv.* § 1. *p.* 295.

2. Sine *lumine*, quando? Leo XII n. XVI, *supra. p.* 8.

3. Eam *distribuere.* Leo XII n. 1, 7, *supra p.* 3 et n. VIII *supra p.* 8. Numquam tamen in alienis ecclesiis sine licentia eorum ad quos pertinet, et multo minus in oratoriis domesticis saecularium, nisi id concedatur in Indulto etc. *Comp. Priv.* v. Eucharistia, § 2.

4. Excipitur etiam dies Paschatis, in quo tamen nostris Familiaribus dari potest. *Comp. Priv. ibid.* § 4; quoad *hospites* vide *ibid.* § 4.

5. Eam *deferre* ad aegrotos per modum viatici extra casum necessitatis non licet absque licentia Parochi vel Ordinarii sub poena excommunicationis l. s. *Apostolicae Sedis*, § 2, n. 14. p. 15. Sed nec devotionis causa id facimus sine licentia debita. Confer *Gonlenv. p.* 196, et *Comp. Priv. v.* Eucharistia, § 3 *et* 4.

6. Eam *exponere* non licet extra festum et Octavam Corporis Christi sine licentia Ordinarii. Attamen ait P. Gonlenveau p. 210 id liceret cum venia Superioris Regularis in sacellis domesticis, imo in ecclesia publica pro Familiaribus et Alumnis, modo januae sint clausae.

Extrema Unctio.

Eam dare possumus „infirmis nostrarum domorum." *Epit. Inst. P. V. n.* 32 et *Comp. Priv.* illud extendit ad hospites quoslibet infirmos in nostris domibus. *v.* Extrema Unctio.

Familiares.

Familiares in ordine ad fruendum privilegiis ipsorum gratia concessis dicuntur: ii qui actu addicti sunt nostris obsequiis, intra septa domorum nostrarum continuo habitant et aliquo modo subsunt obedientiae Superioris Societatis.

His a quolibet nostro sacerdote ministrari potest Eucharistia et Sacramentum Poenitentiae, si approbatus saltem fuerit a Superiore ad confessiones Nostrorum. Ita *Comp. Priv. v.* Familiares § 2, ubi et alia privilegia enumerantur. *Paul. III. N. Bull. p.* 14. Confirmatur in *Mélanges IV Serie p.* 112 ubi dubitatur utrum id etiam de Alumnis valeat. Vide supra *Alumni.* Imo ex communicatione Privilegiorum extenditur haec facultas etiam ad hospites quoslibet infirmos. *Comp. Privil.*

Fratres Coadjutores.

1. *Pileus* clericalis ipsis prorsus est interdictus. *Epit. Inst. P. II n.* 174.

2. At de *superpelliceo*, dum inserviunt Sacro jam Congr. I statuit, si quando judicetur expedire, petendum esse a Generali facultatem. *Epit. Inst. P. II n.* 174. Romae inservientes Missae eo utuntur, quo etiam satisfit Rubricae Missalis. *Rit. celebr.* § *II n.* 1.

3. Ex concessione apostolica (ait P. Gonlenveau) possunt annuentibus Superioribus, deferre superpelliceum, quando Missae inserviunt exposito SS^mo^, vel quando ut Sacrista ad altare accedunt, ubi SS^m^ expositum est, quod et Instr. Clementina praescribit. Item quando in Sanctuario horam adorationis peragunt. *Comp. Rubr. p.* 95.

4. *Sacrista* de licentia Superioris tangere potest vasa sacra quando sacram Eucharistiam non continent; item corporalia etc. *Comp. Priv.* v. *Sacra*; sed pallae, purificatoria et corporalia primo lavari debent ab aliquo in sacris ordinibus constituto, ex *Pontif. Rom.* et *S. R. C. Gonlenv. p.* 90. (1)

Fugitivi.

Fugitivi Societatis ipso facto sunt excommunicati. *Epit. Inst. P. IV. n.* 155. Jus Societatis in eos; *ibid. n.* 151 *et seq.* Vide supra *Cas. reserv.* p. 30.

Fundatores ac Benefactores.

Participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum quae tum in ipsis collegiis, tum in reliqua Societate Dei gratia fiunt. Iidem fundatores et eorum liberi, semel in vita et in morte plenariam omnium peccatorum veniam et Indulgentiam consequuntur. *Epit. Inst. P. II n.* 8.

Gradus Doctoratus vel Magisterii.

Quibus conferri a Nostris possit, vide *Epit. Inst. P. II n.* 135 *et* 136, *P. V. n.* 123 *et seq.* et *Comp. Priv. v.* Gradus, et *N. Bull. p.* 33.

Haeretici.

Eos absolvere, Leo XIII n. X *supra p.* 7; — eis praesentibus cele-

(1) Confer tamen S. Alph. l. 6. n. 387 ubi: « Imo probabiliter dicit *Croix* cum *Suar.* et *Pasq.* posse hanc lotionem fieri etiam a clerico tonsurato. »

brare, Leo XIII, n. XV *supra p.* 7; eis conversis Indulgentiam concedere, Leo XII, n. XI, *supra p.* 7.

Hebdomada Sancta.

Licet Nostris in Coena Domini pro commodo infirmorum ante Sacrum solemne etiam unam Missam privatam celebrare, quod concessum est Prov. Germaniae a Greg. XVI, 4 Dec. 1841, et aliis Provinciis communicari potest.

Indulgentiae.

1. Quas Nostri aut ipsi lucrari aut aliis concedere possunt dicetur infra Cap. V.

2. Facultas commutandi opera. Infra Cap. V. variis numeris; et Part. II Cap. VIII. n. 9: 4° et 5° et n. 11: 5° et n. 12.

3. Dispensatio in confessione pro Missionariis. *Ibid.*

4. Unica confessio sufficit ad lucrandas omnes Indulgentias quae occurrunt tempore Missionis a Nostris datae. *Ibid.*

5. Quando domus nostrae non habent ecclesiam adnexam, Nostri Indulgentias domibus vel ecclesiis Societatis concessas et assignatas lucrari possunt in domesticis oratoriis seu sacellis in quibus asservatur SS. Eucharistia. Leo XIII 20 Sept. 1884. *Arch. Prov.*

Infirmi Nostri.

1. Cum illis commutare Breviarium. Leo XII, n. 16, supra p. 4. — jejunium etc. *Ibid.* — opera pro Indulgentiis requisita. *Infra Cap. V.*

2. Ex *Pagella Prov. Germ.* „Praepositus Gen. licentiam potest dare celebrandi Missam in cubiculo infirmi, qui cubiculo exire nequit. Conceditur pro illis locis, in quibus et quatenus eidem facultati derogatum non fuerit per Bullam *Apostolici ministerii* Inn. XIII dd. 13 Maii 1723, nec non per Decr. Conc. Romani an. 1725 tit. 15 cap. 2 (Confer *Comp. Priv.* v. *Altare viaticum* 3) i. e facultas haec concedi non potest in locis, 1° quae ad Provinciam Romanam pertinent, 2° quae tum temporis ad regnum Hispaniarum ejusve ditionem pertinebant". III, n. 3.

3. Eis potest Ben. Apost. cum Indulg. in articulo mortis impertiri. *infra Cap. V*, 3.

Irregularitas.

1. Superiores et qui ab ipso facultatem acceperint possunt dispensare in foro conscientiae tantum super irregularitate tam ad suscipiendos, quam ad exercendos Ordines. Leo XII, n. 8, *supra p.* 3. Intenditur hic irregularitas ex delicto occulto, *Pagella Prov. Germ. I n.* 4, ubi haec facultas extenditur etiam ad Nostros. *Ibid. I, n.* 5. Excipitur tamen ibidem irregularitas ex homicidio et ex abortu. *Ibid.* Et in *Comp. Priv.* v. *Dispensatio* § 5. excipitur irregularitas ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, bigamia et abortu; ubi ad § 1 additur: „circa hanc irregularitatem sublata sunt omnia privilegia."

2. Irregularitas, quae non sit ex delicto, ab omni confessario nostro ad auferendos scrupulos potest dispensari. *Resp. Rom.* v. *Irregularitas. Ad Prov. Milan.* 20 *Jul.* 1591.

3. Recurrendum est ad Praep. Gen. ut irregulares qui Societati dant nomen possint promoveri ad Sacros Ordines et ad quaecunque Societatis officia. Excipitur tamen irregularitas ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et simul excepta irregularitate quae oritur ex infamia juris vel facti. Leo XII, n. 12. *supra p* 4. et *Epit. Inst. P. II. n.* 84.

Attamen juxta S. Alphonsum ad Sacros Ordines non ad praelaturas (1) promoveri possunt qui laborant irregularitate 1° ex homicidio seu mutilatione casuali occulta (l. 7 n. 396), 2° ex bigamia occulta (l. 7 n. 453 et 355), 3° ex defectu famae sive juris sive facti; sive ante sive post ingressum contracto (l. 7 n. 364), 4° ex defectu animi, si ex judicio medicorum vere cessaverit ejus periculum. (l. 7. n. 400). *Pagella Prov. Germ. III n.* 2.

4. Dispensatio super irregularitate a Nostris fieri potest extra Sacramentum, nec obstat quod in privilegio dicatur „in foro conscientiae", quia forum conscientiae et forum Poenitentiae sunt diversa ut docet Rodriguez. *Resp. Rom. ut supra n.* 4.

Jejunium.

Dispensare super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, 1° cum Nostris Leo XII n. 16, *supra p.* 5, 2° cum externis. Leo XII n. XIV, *supra p.* 7.

(1) S Alph. hanc restrictionem *non ad praelaturas* tantum facit l. 7 n. 333 allegando sententiam *Portel.* et *Rodrig.*

Juramenta.

Qui facultatem habet delegatam in votis, juxta S. Alph. probabiliter eandem habet in juramentis, saltem si consensus Provincialis accesserit. *Pagella Prov. Germ. I n.* 3.

Comp. Priv. v. *Commutatio* § 1 ex Greg. XIII etiam extendit facultatem commutandi vel dispensandi vota, ad vota jurata, dummodo commutatio non fiat in praejudicium tertii. Et v. *Confessarius*, § 5. „Confessarii Nostri quaelibet juramenta, sine praejudicio tertii, relaxare possunt Nostris." Vide infra *Vota.*

Jurisdictio.

1. Quam dare potest Praep. Gen. Leo XII n. 17 et 19, *supra p.* 5.

2. Quam Provincialis Prov. Neerl. *infra Cap. XI.*

Jus petendi debitum.

Illud restituere. Leo XII. n. IV, *supra p.* 6.

S. Alph. l. 6 n. 1127. „Possunt etiam confessarii regulares approbati de licentia tamen suorum Provincialium dispensare ad petendum debitum conjugale, propter cognitionem consanguinei conjugis in secundo gradu". Sed requiritur licentia specialis Superioris. *Idem de Priv. n.* 108.

Libri prohibiti.

Eos legendi facultas. Leo XII, n. 16, *supra p.* 4. et *Epit. Inst. P II, n.* 107 et *N. Bull. p.* 53.

Magister Novitiorum. Vide *Confessarius.*

Matrimonium.

1. Dispensare in quibus impedimentis. Leo XII n. II—VII, *supra p.* 6.

2. Matrimonium solemnizare nulli licet nisi in Provinciis illis, in quibus necessitatis causa id a Praep. Gen. permissum fuerit. *Epit. Inst. P. V. n.* 32, vide et *Comp. Priv. v. Matrimonium.*

Ministeria sacra.

1. Quae Nobis propria. *Epit. Inst. P. V n.* 70.

2. Quae et quando exercere valemus. Leo XII. n. 1, 17, 19 et XVIII, *supra p.* 3, 5 *et* 8.

Missa.

A. Quoad Nostros.

1. Dici potest in sacello domestico. Leo XII n. 16, *supra p.* 4.

Quando bis in die? Leo XII n. XV. *Supra p.* 7. Quibus in circumstantiis? *Ibid.*

2. Per horam ante auroram et infra horam post meridiem. Leo XII n. 6. *supra p.* 3. et *Epit. Inst., ex* Greg. XIII *Quanta*; itineris vel alterius legitimi impedimenti causa, *P. IV n.* 9, 3°. et *N. Bull. p.* 72.

Et ex rescripto Greg. XVI 16 Maii 1838 Praepositus Generalis potest facultatem dare, ut Missionarii celebrent hora 2ª matutina sive itineris, sive devotionis propriae vel populi, sive dandae communionis causa. *N. Bull. Append p.* 10.

3. Obtenta est pro Nostris facultas ut Missas *Beatorum* et Sanctorum, quae sunt nobis propriae, celebrent etiam in ecclesiis et oratoriis quae non sunt in nostris domibus, et ubicumque a Nostris celebretur, dummodo concurrat color aut permittatur ibi missa votiva; et etiam si presbyter ex Nostris celebret in ecclesia vel oratorio, ubi nonnisi una aut altera Missa celebretur, atque proinde admirationis causa nulla sit ob diversitatem coloris. S. C. R. 20 Nov. 1873. *N. Bull. Append.* 34. Haec autem facultas concessa est „durantibus tamen circumstantiis praesentibus", sc. ob dispersionem multorum.

In ecclesiis vero et oratoriis publicis quae habent Rectorem proprium putarem regulam de concordantia coloris esse servandam (1) quod confirmatur responso S. C. R. 18 Jul. 1885 „servanda est regula generalis etiam in oratoriis, exceptis mere privatis" *N. Rev. Théol. T.* 18 *p.* 372.

4. In oratorio mere privato Missa semper concordare debet cum Officio celebrantis etiam de Beato nondum canonizato. S. R. C. 12 Nov. 1831; 23 Maii 1835; 16 Apr. 1853; excipe, si agatur Festum Patroni loci, quia hoc festum totum locum afficit, *P. Schneid. Man. Sacerd. p* 264.

5. Regulares possunt in festis principalibus sui Ordinis (S. C. Rit. 22 Nov. 1850) et maxime in festo sui Fundatoris addere Symbolum, etiam quando celebrant in ecclesia aliena. S. R. C. 18 Dec. 1779. *Ibid.* Nobis concessum est ut symbolum dicamus in Missis Sanctorum Societatis. S. C. 22 Nov. 1856. *N. Bull Append.* 16.

(1) Juxta aliquos in publicis oratoriis concordantia coloris non adeo est urgenda.

6. In ecclesiis Soc. J. Missa exequialis *praesente corpore* cum Communitatis assistentia *legi* potest iisdem diebus quibus praesente corpore missa cantata permittur. S. R. C. 9 Maii 1851. *Gonlenv. p.* 53, *Epit. Inst. P. IV n.* 115 et *N. Bull. Append.* 19, ubi solummodo dicitur „etiamsi occurrat officium ritus duplicis".

7. Non possunt Regulares molestari a Parochis, ne in propriis ecclesiis Missas privatas celebrent ante Missam parochialem, idque nec in festis diebus. S. R. C. 21 Apr. 1635. *Schneid. Man. Sac. p.* 264.

Quid Episcopus in hac re possit, vide apud Ferr. v. *Missa* Art. v. n. 30—34; Ben. XIV *Etsi* § 14 et 15. *Ed. Mechl.* 7. *p.* 231 et *Mélanges. IV Série etc.*

B. *Quoad Externos in Nostris ecclesiis celebrantes.*

1. Possunt in festis Sanctorum et Beatorum Soc. J. celebrare Missam de eis propriam, etiamsi de alio Officium sive ejusdem sive diversi coloris ipsi recitaverint. *Resp. VII ad Postul. Prov. Neerl.* 1868 et *Gonlenv. p.* 42 qui addit: etiam Missam de SS. Cosma et Damiano ritu duplici et *p.* 398 etiam de S. Pulcheria et de S. Catharina de Riccis.

2. Possunt se conformare Nostris quoad *Credo* et numerum orationum more duplicium, quando celebrant de Sanctis Ordinis. S. R. C. 11 *Jun.* 1701. *Schneid. Man. Sac. p.* 265.

3. An dicere possint Missam de B. Margareta Alacocq, non constat. Litt. P. Assist. 17 Nov. 1884. *Arch. Prov.*

4. De auxiliariis in nostris collegiis vide *supra* v. *Breviarium*, p. 39.

C. *Audientes Missam.*

1. Audientes Missam in nostris ecclesiis, oratoriis *quibuslibet* uti etiam in sacellis domesticis designatis a Provinciali ad divinum dumtaxat cultum satisfaciunt praecepto Ecclesiae; ex Paulo III *NB. Bull. p.* 14 et communic. privil. *Comp. Priv.* v. Missa § 2 et Oratoria.

Missiones.

1. Facultates Missionariis concessae. Vide *infra cap. VII.*

2. Indulgentiae quas lucrari et concedere possunt. Vide *infra cap. V.*

Moniales.

Ab earum cura et visitatione sumus exempti. Leo XII. n. 4, *supra* p. 3. et *Epit. Inst.* P. IV. *n.* 53 et *P. V. n.* 15. Vide etiam *Comp.*

Prir. v. Exemptio § 10. Nec cogi possumus nequidem ad earum audiendas confessiones.

Novitii.

1. Quum die 25 Jan. 1848 Decretum latum esset „*Romani Pontifices*" quo praecipitur, ut nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii originis tum etiam Ordinarii loci in quo Postulans post expletum 15^{m} annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit, etc.; et eodem die aliud Decretum quo praescribitur modus admittendi Postulantes ad habitum in 14 articulis et ad professionem in 7 articulis contentus. (Vide *Arch. Prov.* et *Bouix de Regul.*, 7, p. IV c. IV § 111). Pius IX die 28 Jan. 1850 attentis particularibus circumstantiis benigne annuit, „ut Societati liceat modo in recipiendis Novitiis atque in admittendis ad Professionem sociis suam agendi juxta Institutum rationem servare, quin praeterea obstringatur observantioni Decreti recens dati (supra memorati) a S. C. super statu Regularium, dummodo cum fide executioni mandentur quae superius (ex Instituto) proposita sunt". *N. Bull.* 15.

Quae R. P. Roothaan in admittendis Novitiis tamquam legem Societatis summo Pontifici exhibuit, sunt sequentia, quae quidem sedulo sunt servanda:

„1°. Ut Candidatus exhibeat authenticum aliquod testimonium quoad vitam anteactam; 2° ut a tribus vel quatuor Patribus accurate de vitae anteactae rationibus examinetur, de motivis ad petendam Societatem, de naturalibus animi mentisque dotibus, de animi comparatione ad observantiam vitae religiosae, cujus potissimae difficultates ei perpendendae proponantur; 3° ut antequam vestem accipiat, agat candidaturam, in qua a Magistro Novitiorum observetur et examinetur.

2. Quoad aetatem Ben. XIV concessit, ut pro gradu clericali admitti possint ad Novitiatum anno 14 nondum expleto, modo non admittantur ad vota, nisi completa aetate a Conc. Trid., praescripta, sc. 16 anno expleto. *Epit. Inst.* P. 1 c. VI n. 100 et *N. Bull.* p. 300; non obstante Decr. S. C. super discipl. Reg. 1685.

Imo Leo XII id concessit pro juvenibus studentibus qui annum 12^{m} compleverunt. *N. Bull. Append. p.* 7.

Licet Constit. Apost. praescribant aetatem 20 annorum pro fratribus

coadjutoribus, Societas tamen ad eam aetatem non tenetur. *Comp. Privil.*

3. Etiam Novitiis possunt communicari privilegia et indulgentiae. *Comp. Privil.* v. Communicatio et Indulgentiae.

4. Eorum vota in saeculo facta (praeterquam Religionis determinatae) tamdiu manent suspensa, dum ipsi in Societate manserint; quod si recesserint, eadem obligatione tenentur qua ante ingressum. (1)

Oratoria.

1. „Provinciali facultas est erigendi oratoria in locis ubi aliqui Nostrorum residebunt, ita ut Provincialis inspectionem loci seu cubiculi alteri quidem committere possit, ipse autem per se post acceptam informationem de loci honestate et decentia locum approbare seu formaliter ad solum cultum divinum deputare debeat. Greg. XIII, *N. Bull. p.* 57.

Hoc valet etiam pro grangiis et domibus ruralibus. Vide *Comp. Priv.* v. Oratoria) Hoc privilegium implicite continetur in facultate concessa a Leone XII n. 16 „veniam tribuendi qua (Nostri) in domestico sacello legitime erecto perlitent".

2. S. R. C. 12 Sept. 1840 declaravit: „Nequit celebrari in capellis sub cubiculis (ubi dormiatur) nisi super Altare habeatur baldachinum aut duplex concameratio". — Imo si habeatur, removeatur, si fieri potest, custodia SS. Sacramenti. S. R. C. 12 Mart. 1836 pro semin. Arborensi. *Gonlenv. p.* 75. (2)

3. Sacella domestica intra parietes domus Soc. J. erecta, quamvis non stricto sensu sint privata, tamen benedici non possunt juxta formulam pro oratoriis publicis in Rituali Romano; possunt tamen benedici formula benedictionis loci. *Gonlenv. p.* 75.

Ordines Sacri vide *Irregularitas.*

1. Eos suscipere a quo etc. Leo XII *n.* 2, *supra p.* 3 et Paul. III *N. Bull.* p. 14; Greg. XIII *Ibid. p.* 84. Addit *Pagella Prov. Germ.*

---

(1) Idem dicendum de censuris, *Paul. III. N. Bull. p.* 13; nisi ab eis soluti fuerint vi facultatum Leonis XII, quia tunc aequiparantur saecularibus, et manent absoluti.

(2) S. Congr. Conc. in una Laquediensi facto verbo cum SSo attentis peculiaribus necessitatis circumstantiis permisit, ut *Ordinarius* annuere possit et valeat, ut in oratorio, quod sub dormitorio situm erat, Missae sacrificium celebrari possit donec de exposita necessitate coram praefato Ordinario constiterit, ita tamen ut nihil a sanctitate divini cultus absonum neque scandalum inspicientibus admittatur et *directe super altare* non extet cubile. S. C. Conc. 7 Jan. 1834. *Causae selectae in S. C. Card. Canc. Trid. Interpretum. Pustet* 1871 *p.* 862.

„per se eos suscipere possunt solum diebus Dominicis et festis de praecepto". II n. 1. Vide *Epit. Inst. P. II n.* 85. „Extra tempora ait Greg. XIII a iure statuta tribusque Dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis". *N. Bull. p.* 83.

2. Nostri etiam non professi ordinari possunt absque titulo beneficii aut patrimonii. *Epit. Inst. P. II n.* 84. Greg. XIII *N. Bull. p.* 52, 84. Greg. XIV *Ibid. p.* 120.

3. „Episcopis ordinantibus non licet de cantus, et caeremoniarum scientia, de idoneitate, de proprii Ordinarii licentia et de aliis quae in ceteris requiruntur inquirere. Hujus autem gratiae communicatio omnino prohibita est". Ex Paul. III, *Licet*, *N. Bull. p.* 14. et Greg. XIII *Pium*, *N Bull. p.* 84 et *Epit. Inst. P. II n.* 85.

Praepositi, Provinciales, Rectores.

In Compendio Privilegiorum hoc nomine subintelliguntur etiam Vice-Praep., Vice-Prov., Vice-Rect., quando nimirum nullus est Prov. Praep. aut Rector, vel adeo longe abest, ut pro rei exigentia consuli non satis commode possit. *Epit. Inst. P. VII n.* 230, ex Comp. Priv. Praefatione.

Omnes Praepositi et Rectores Societatis quoad Religiosos Societatis sibi subjectos possunt per se ipsos generatim idem quod possunt Episcopi Jure ordinario in clericos et laicos sibi subjectos. *Comp Privil.* v. Praelati.

Processio.

1. Greg. XIII voluit Nostros liberos omnino a publicis processionibus seu precibus, nec ab ullis Ordinariis cogi posse, ut illis intersint. Greg. XIII *Quaecumqae Sacrarum. N. Bull. p.* 59 et *Epit. Inst. P. V n.* 78.

2. Si tamen contingeret, ut interesse compelleremur, superpelliceo utemur, *Ibid. n.* 79; locum vero tenebimus nobis designatum ab iis, qui nos vocaverunt. *Epit. Inst. P. IV n.* 81.

Professi.

Ubi in privilegiis fit mentio de Professis tum Societatis tum aliorum Ordinum, advertendum est, juxta diversa Societatis privilegia, quidquid de illis dicitur, intelligi etiam debere de Nostris qui tria vota simplicia post biennium emiserint, nisi forte aliquid in aliquo loco excipiatur. *Comp. Priv. Praef.*

Recollectio menstrua Cleri in Belgio.

Qui huic menstruae recollectioni intervenerint et saltem meditationi ac morali collationi vacaverint, Sacro peracto et fusis ad Deum precibus ad fines consuetos, unaquaque vice plenarias Indulgentias etiam Fidelibus defunctis per modum suffragii applicabiles, ii vero, qui impediti nonnisi alterutri exercitio interfuerint, Indulgentias 7 an. et 7 q. lucrari possunt. Greg. XVI d. 1 Febr. 1832, ad preces P. Joan. B. Boone. *Arch. Prov.*

Sacramenta administrare vide *Ministeria sacra.*

Sacra vasa etc. et **Sacrista** vide *Fratres Coadjutores.*

Scapularia vide *Benedicere.* n. 8.

Scholastici vide *Professi.*

Deficiente subdiacono (vel sacerdote qui subdiaconi vices agat) pro Missa Solemni, data necessitate (quae non debet esse extrema vel gravis, sed aliqua) potest permitti, ut substituatur clericus saltem tonsura insignitus, qui inserviat Missae solemni, sed paratus absque manipulo. S. R. C. 5 Jul. 1698 et 22 Jul. 1848. *Gonlenv. p.* 24.

Sepultura.

Ex jure communi possunt Nostri cum stola et cruce conventus sine Parochi interventu ad commune coemeterium deferre cadaver alicujus defuncti ex Nostris, modo id fiat absque solemni pompa et defunctus recto tramite ad coemeterium deferatur. S. C. Episc. et Regul. 24 Jan. 1846.

Sed Religiosi dispersi quoad funera subsunt Parocho loci. S. C. Episc. et Regul. 16 Febr. 1864. *Acta I p.* 168.

Familiares a Superioribus in coemeteriis nostris possunt sepeliri. Paul. III *N. Bull. p.* 14. Item hospites per communicationem privilegiorum. Vide *Comp. Privil.* v. Extrema unctio.

Societas Jesu.

1. „Ex ipsa Instituti ratione eam esse ordinem mendicantem Romani Pontifices declaraverunt. S. Pius V, *N. Bull. p.* 44 et *Epit. Inst. P. III.* n. 23.

2. Communicat in privilegiis aliorum Ordinum mendicantium Leo XII n. 14. *supra p.* 4. Confer *Comp. Privil.*

Stipendia Missae etc.

Praeposito Generali facultas facta est dandi licentiam admittendi stipendia, jura stolae, etc.

1. iis qui munia parochialia exercent. Leo XII 16 Sept. 1824. *N. Bull. Append. p.* 4.

2. iis qui in Missionibus exteris versantur. Greg. XVI. 13 Maii 1838. *N. Bull. Append. p.* 11.

3. iis qui necessitatem patiuntur. Pius IX, 10 Maii 1859 *N. Bull. Append. p.* 23.

4. Collegiis Americae, Angliae et Hiberniae ad minervalia accipienda. Greg. XVI. 13 Jan. 1833. *N. Bull. Compend. p.* 9.

Transitus ad alium Ordinem.

1. Praepositus Generalis potest licentiam dare transeundi ad quemlibet Ordinem. S. Pius V. *N. Bull. p.* 37.

2. Neminem, sive e professis, sive e coadjutoribus, sive etiam ex iis qui post biennium simplicia vota emiserunt, posse sine Praepositi Gen. expressa facultate ad aliam religionem etiam arctiorum migrare (excepta carthusiensi) quin apostatarum poenas incurrat, Romani Pontifices statuerunt, Paul III. *N. Bull. p.* 13. S. Pius V. *Ibid* p. 37, Greg. XIV. *Ibid. p.* 120 et Leo XII *supra p.* 4. Et ipsa exceptio ordinis carthusiensis sublata videtur per communicationem privilegiorum factam a S. Pio V, quandoquidem hoc privilegio fruuntur Carmelitae discalceati aliique, et diserte pro iis qui extra Europam sunt sublata fuit a Gregorio XIII et Clemente XI. *Epit. Inst. P. IV n.* 152. Confer *Comp.* v. *Apostatae.*

Vestis saecularis.

Quando illum induere liceat, vide supra p. 8 ex Leone XII n. XVII.

Vota.

1. „Facultas vota quaecumque pro tempore emissa (ultra-marinis, visitationis liminum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum in Urbe, et S. Jacobi in Compostella, nec non Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis), in alia pietatis opera *commutandi*," Societati facta est a Paulo III. *N. Bull. p.* 9 et a Leone XII, *supra p.* 3 *n.* 5 ubi excipiuntur vota in quibus agitur de praejudicio vel jure tertii.

2. „*Dispensandi* et *commutandi* vota simplicia in alia pia opera, et

dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et Religionis." Concessit Leo XII *supra p.* 6 § 2 n. 1.

In communicatione hujus privilegii excludit Adm. R. P. pro Nostris vota castitatis et religionis emissa in aliquo Ordine aut Communitate religiosa.

3. Gregorius XIII extendit facultatem commutandi vota etiam ad vota *jurata*, dummodo commutatio hujusmodi in alterius praejudicium non fiat. *N. Bull. p.* 57.

4. Ex jure communi Regulares juxta S. Alphonsum de licentia Superioris dispensare possunt cum conjugibus in voto castitatis sive post sive ante matrimonium emisso non absolute quidem, sed in ordine ad petendum debitum conjugale. *S. Alph. de privil. n.* 108 *et* 109. Recte autem dubitat S. Doctor, num possint etiam ante matrimonium a voto castitatis perfectae dispensare in casu necessitatis ad matrimonium contrahendum. *Theol. Mor. P. Lehmk. Vol. II n.* 654.

5. Quae dicta sunt de votis intelligenda sunt etiam de juramentis. *Ibid.*

CAPUT IV.

De privilegiis ex communicatione cum aliis Ordinibus etc.

1. Gaudet nostra Societas hac communicatione. *Leo XII n.* 14 *p.* 4; et S. Pius V *N. Bull. p.* 45. Greg. XIII *Ibid. p.* 55.

2. Monemur ut in usu illorum privilegiorum caute procedamus; vide *supra p.* 4. *n.* 14.

3. In Praefatione ad Comp. Priv. restringitur ille usus ad ea privilegia, quae in illo compendio comprehensae sunt.

4. „Ut illis uti possimus opus est, ne Instituto Societatis ac beneplacito Praepositi Gen, seu deputatarum personarum refragentur, ut patet ex Litteris S. Pii V". *N. Bull. p.* 45. *Comp. Priv.* v. Communicatio § 4.

5. Ex Decr. Gen. S. R. C. 20 Mart. 1706: Regulares „absque speciali privilegio, sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non

possunt addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et „Confiteor", nec recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus". *In initio Breviarii Rom.* et *Comp. Priv. v.* Communicatio § 8.

6. Gaudet etiam Societas communicatione Indulgentiarum concessarum et concedendarum aliis Ordinibus mendicantibus et non-mendicantibus et piis locis ac Monasteriis. *Summ. Indulg. I.* et *Comp. Priv.* v. „Indulgentia" § 32 ex S. Pio V. „*Dum indefessae*" 7 Jul. 1756. *N. Bull. p.* 46.

7. Excipiuntur Indulgentiae quae ob specialem causam in certo solum Ordine existentem concessae sunt, in his non procedit communicatio, quae solummodo locum habet in indulgentiis propter opera, quae ex Instituto etiam aliorum Ordinum peragenda sunt, concessis. *Schneid. Rescripta p.* 693. Hinc S. C. Indulg. ad 9. „Cum saepius in Bullis S. Sedis legatur: Ordines Regulares minime communicare in Indulgentiis intuitu alicujus particularis Religionis concessis, quid sub verbis illis *intuitu particularis Religionis* sit intelligendum? R. Regulares gaudere privilegiis Indulgentiarum concessarum operibus ex Instituto peragendis". 5 Febr. 1735 *D.* 107. Confer et *D.* 115.

8. Excluditur etiam a communicatione Altare privilegiatum. *Schneid. Rescripta p.* 693, ex *Decr.* 233 ubi: „In communicatione Indulgentiarum nusquam communicatur privilegium altaris." S. C. Indulg. 27 Nov. 1764.

Idem dicendum videtur de facultate dandi Benedictionem papalem, Benedictionem Apostolicam in articulo mortis et Absolutionem Generalem, ut deducitur ex variis decretis ex quibus patet mentem Pontificis et S. C. esse ut usus harum gratiarum restringatur ad personas Ordinis cui nominatim concessae sunt. Confer D. 114, 127, 141, 199, 232, 444.

9. Exemptio Nostrorum ab examine faciendo apud Episcopum qui Ordines est traditurus, declaratur a Greg. XIII. incommunicabilis. *Epit. Inst. P. II. n.* 85.

10. Ad ampliorem hujus materiae notitiam recurre ad Compendium Privilegiorum, ubi: „personae Societatis participes fiunt omnium jejuniorum ac aliorum quorumcumque spiritualium bonorum et piorum operum, quae in omnibus Religionibus, ac ubicunque in toto Orbe pro tempore fiunt". (*ex Comm. Priv.*)

11. In privilegio absolvendi a casibus reservatis nulla existit communicatio inter diversos Ordines. *Theol. Mor. Lehmk. II n.* 411.

—

CAPUT V.

Indulgentiae Societati Jesu concessae.

§ I. Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum Societati Iesu a Summis Pontificibus concessorum. (1)

Quum vetus indulgentiarum Societati Iesu concessarum Summarium, a fel. rec. Gregorio PP. XVI annis 1832 *et* 1838 *ultimo approbatum, incompletum esset atque in duas partes non cohaerentes discerptum, quibus anno* 1882 *appendix quaedam, a S. Congregatione indulgentiarum approbata, adiuncta fuit, visum est novum Summarium, omnino integrum, melius digestum gratiisque a SS. D. N. Leone XIII nuper concessis auctum, eidem S. Congregationi itidem approbandum proponere.*

Porro, secundum hodiernam S. Congregationis praxim, eae tantum indulgentiae praesenti Summario inseri potuerunt, quae Societatis Iesu personis, ecclesiis vel ministeriis propriae, et directe ipsis concessae, inveniuntur. Ideo plures indulgentiae olim Societati concessae, sed postea ad omnes fideles seu ecclesias extensae, omittendae fuerunt: cuiusmodi sunt illae in festo S. Stanislai, S. Aloysii, in dominica Quinquagesimae vel uno duorum sequentium dierum, etc.

Iuvat novo Summario praemittere rescriptum, quod in exordio veteris legebatur: unde citra omne dubium constet, omnia illa documenta, quibus olim indulgentiae concessae sunt Societati, ad plenum vigorem, quantum ad easdem pertinet, fuisse restituta.

SS. D. N. Gregorius PP. XVI, praevia ad infrascriptum effectum derogatione litterarum apostolicarum sub annulo Piscatoris Clementis XIV, sui praedecessoris, incipientium *Dominus ac Redemptor*, dici 21 Iulii 1773 et attentis litteris apostolicis a Summo Pontifice Pio PP. VII sub plumbo datis septimo idus Augusti anno incarnationis

(1) N. Bull. Append. p. 46.

Dominicae 1814, quarum initium *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, benigne concessit ac confirmavit toti familiae Societatis Iesu, ubique terrarum in praesens et in posterum exsistentis, eiusdemque ecclesiis seu oratoriis, ad maiorem Dei gloriam, omnes et singulas indulgentias, in adnexo Summario uti authentico a sacra Congregatione recognito recensitas, servatis servandis in singulis concessionibus praescriptis; non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, speciali quoque mentione dignis. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae, ex secretaria S. Congregationis indulgentiarum, die 22 Decembris 1832.

A. Card. Frosini Praef.
A. Piatti Archiep. Trapezunt. Secr.

—

Prima pars.

Indulgentiae et Privilegia ipsis Religiosis concessa.

Indulgentiae plenariae.

1. — Omnibus Christi fidelibus, qui habitum Ordinis a legitimis Superioribus, causa profitendi in illo, susceperint, *die primo eorum ingressus in ipsam Religionem*, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum susceperint. (Paulus V Const. *Romanus Pontifex*, 23 Maii 1606.) *Decr. Auth. Append. III p.* 443.

2. — Cuilibet novitio, qui poenitens et confessus ac sacra communione refectus, post completum probationis biennium *simplicia vota emiserit*. (*Idem loc. cit.*)

3. — *In cuiuslibet mortis articulo*, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Iesu, ore si potuerit, sin autem corde devote invocaverit. (*Idem loc cit.*) (1).

(1) Hanc indulgentiam assequuntur Nostri etiam sine ullius Sacerdotis assistentia. Quodsi Superiores seu Sacerdotes Societatis rite ad hoc delegati (secundum Rescriptum d. d. 6 Februarii 1821 relatum in novo Bullario Soc. J. Append. p. 2) Nostris in articulo mortis benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria velint impertiri, id fieri debet formula a Benedicto PP. XIV in Constitutione *Pia Mater* generatim praescripta, quae in fine Breviarii invenitur.

4. — Religiosis qui ad presbyteratus ordinem canonice promoti et confessi, *primam Missam celebrabunt*, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra communione refecti eidem Missae interfuerint, aut die Missam similiter celebraverint. (Idem loc. ipso cit.) (2).

5. — Quotiescumque Religiosi de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum in ditiones ac terras infidelium aut haereticorum, ad concionandum aut catholicos docendos, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum, missi fuerint, si poenitentes et confessi ac sacra communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet *quando itineri sese accingent*, *et quando ad provinciam*, *ubi praedicta opera exercenda erunt*, *ingressi fuerint*, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia perfruuntur. (Idem loc. cit.)

6. — *In visitationibus domorum* vel collegiorum, quae secundum Constitutiones Societatis in singulis provinciis fieri solent, Religiosis uniuscuiusque domus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, iuxta mentem Summi Pontificis necnon pro necessitatibus Societatis universae et respectivae domus speciatim devote oraverint. (Gregorius XVI rescripto autographo 2 Aprilis 1832.) *N. Bull. Append. p.* 9.

7. — Omnibus Religiosis Societatis, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet Societatis ecclesiam *die festo S. Ioannis Nepomuceni Mart.*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, ac praeterea eiusdem Sancti protectionem patrociniumque Ordini suo imploraverint. (Clemens XII Brevi *Commissae Nobis*, 22 Augusti 1731.) *N. Bull. p.* 244.

---

(2) Nuperrime (die 16 Ianuarii 1886) SS. D. N. Leo PP. XIII cuicumque Sacerdoti (vere poenitenti et confesso) primum Sacrum facienti, eiusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui (vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti) primo eidem Sacro interfuerint, *plenariam*; caeteris vero Christi fidelibus pie ac devote primae Missae neosacerdotum assistentibus, *indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum* benigne concessit. (*Acta XVIII p.* 462.)

(Indulgentia pro benedictionem recipientibus a Sacerdotibus praesertim Neomystis fuit negata. *Acta XVIII p.* 462.)

8. — Universis Societatis Iesu Religiosis, qui vere poenitentes et confessi ac sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, ecclesiam suae domus sive collegii, *die festo SS Martyrum Cosmae et Damiani* (27 mensis Septembris, quo anniversaria Instituti Soc. Iesu approbatio merito gratoque animo celebratur) devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione necnon Societatis progressu ac felici statu, pias ad Deum preces effuderint. (Clemens XI Brevi *In apostolicae dignitatis*, 17 Novembris 1717.)

9. — Omnibus Societatis Religiosis, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, ecclesiam cuiuscumque domus Societatis *die septima mensis Augusti* (anniversaria restitutionis Societatis Iesu), a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint. (Pius VII rescripto S. C. Ind. 16 Junii 1818.) *N. Bull. Append. p.* 1.

(3) 10. — Iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute ac S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, consequuntur easdem *indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur* in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitaverint. (Paulus V Const. *Romanus Pontifex*, 23 Maii 1606.) (3).

11. — Iidem Societatis Religiosi, qui neque *Congregationibus Primae Primariae* dictis, vel eidem aggregatis seu pro tempore aggregandis fuerint adscripti, neque ipsarum Congregationum oratoria frequentaverint, neque visitaverint, sed eadem pietatis opera, quae sodales earumdem Congregationum praestare solent, exercuerint ac sive proprias publicas ecclesias sive oratoria visitaverint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequi possunt et valent, quas consequerentur si, iisdem Congregationibus adscripti, ipsarum Congregationum oratoria visitaverint. (Benedictus XIV Brevi

---

(3) Has indulgentias singillatim recensitas vide in « Rescripta authentica etc. ed. P. Schneider S. I., Ratisbonae apud Fridericum Pustet 1885. » pag. 240.

Quemadmodum Presbyteri, 15 Iulii 1749.) *N. Bull. p.* 293 (4).

12. — Omnibus Societatis Iesu personis conceditur ut ante altare SSmi Eucharistiae Sacramenti in ipsius Societatis ecclesiis orationes ad Deum pro sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et inter Principes christianos fovenda pace, aut alias pro cuiusque peculiari devotione fundendo, omnes et singulas indulgentias etiam plenarias consequantur, quas scilicet consequerentur, si indulgentiarum ipsarum diebus ecclesias et loca pia iis decorata visitarent in locis, in quibus eosdem Religiosos moram trahere contigerit. (Gregorius XIII Brevi *Cum sicut accepimus*, 23 Decembris 1579, *N. Bull. p.* 77, confirmatum et, quatenus opus fuit, denuo concessum a Gregorio XVI, rescripto S. C. Ind. 22 Decembris 1832.)

Indulgentiae partiales.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, omnibus Societatis Religiosis, qui vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti, in qualibet *prima feria sexta cuiuslibet mensis* propriam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante SSmum Eucharistiae Sacramentum vel Servatoris nostri Iesu imaginem iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint. (Clemens XIII rescripto S. C. Ind. 2 Iunii 1767.)

2. — *Quinque annorum totidemque quadragenarum* in qualibet die, iisdem Religiosis intra claustra viventibus, qui *quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam* ante altare eorum ecclesiae dixerint. (Paulus V Const. *Romanus Pontifex*, 23 Maii 1606.)

3. — Item *quinque annorum totidemque quadragenarum*, Religiosis, qui de suorum Superiorum licentia in itinere exsistentes, aut extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores, *quinquies eamdem orationem dominicam et toties salutationem angelicam* ante quodlibet altare similiter dixerint. (Idem *loc. cit.*)

4. — *Sexaginta annorum totidemque quadragenarum*, iisdem Religiosis qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae

(4) Quas indulgentias vide in novo Bullario S. I. Append. p. 42.

orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra communione ultima dominica mensis huiusmodi refecti fuerint. (Idem *loc. cit.*) (5).

5. — *Trium annorum totidemque quadragenarum* iisdem, qui vere contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in *capitulis culparum* accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient. (Idem *loc. cit.*)

6. — *Centum dierum* Religiosis Societatis, quoties more illius solito in communi *Litanias Sanctorum* recitaverint. (Benedictus XIV rescripto diei 2 Martii 1747; confirmatum et quatenus opus fuit, denuo concessum a Gregorio XVI, rescripto S. C. Ind. 22 Decembris 1832.) (6).

Privilegia.

1. — Societas Iesu, eiusque domus et collegia, Praepositus et personae uti et gaudere ubique possunt, iuxta Societatis huiusmodi Instituti rationem, constitutiones et consuetudines, omnibus privilegiis, indultis, *indulgentiis*, remissionibus, gratiis et litteris *Fratrum et Sororum mendicantium aliarumque Religionum* Ordinibus, Congrega-

---

(5) Nostri hisce etiam concessionibus frui possunt:

Benedictus PP. XIV Brevi *Quemadmodum* d. d. 16 Decembris 1746, concedit omnibus Christi fidelibus, qui quotidie per mensem integrum dimidiam vel saltem quartam horae partem orationi mentali impendunt, *indulgentiam plenariam semel in mense* eo die, quo vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti devote orant pro concordia inter Principes christianos, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione.

Idem S. Pontifex ibidem concedit *indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum*, omnibus illis, qui tam in ecclesiis quam alibi, publice vel privatim modum orationis mentalis docuerint, quoties id egerint, et etiam iis, qui illam addiscunt, dummodo qualibet vice vere poenitentes confiteantur et sacra Eucharistia reficiantur. — Iis autem, qui assidue rationem orationis mentalis docent, quique eadem assiduitate eam addiscunt, concedit idem Benedictus *indulgentiam plenariam*, quam semel in mense lucrari possunt die libere eligendo, quo vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti pro concordia inter Principes christianos, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione orant. (Raccolta di orazioni etc. Roma 1877, pag. 368.)

(6) Quoniam eo tempore, quo concessio haec facta est, litaniae Lauretanae nondum a Nostris una cum litaniis omnium Sanctorum recitabantur, uti nunc fit, ideo possumus nunc etiam sequentibus frui indulgentiis, quas *pro solis litaniis Lauretanis* largiti sunt SS. Pontifices omnibus prorsus Christi fidelibus, nimirum *indulgentia tercentum dierum*, quoties corde saltem contrito et devote recitantur, ii autem, qui eas quotidie ut supra recitaverint, *indulgentia plenaria* gaudent in quinque festis praeceptis B. Mariae Virginis, scil. Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, si in iis diebus vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti ecclesiam publicam visitent ibique secundum mentem Sanctitatis Suae devote orent. (Raccolta pag. 127.)

(His addimus: Pro Litaniis SS. Nominis Jesu in forma a S. C. die 8 Julii 1862 approbata concessit Leo XIII 300 d. Indulg. semel in die, etiam Fid. Def. applicabilem. U. et O. 16 Jan. 1886. *Act. XVIII p. 509.*)

Qua occasione data alias adiungimus indulgentias Nostris utiles atque omnibus fidelibus concessas:

tionibus, conventibus, capitulis, monasteriis, domibus, ecclesiis, confraternitatibus, hospitalibus et aliis piis locis ac personis, tam saecularibus quam Regularibus ac Praeposito Societatique ipsi, necnon eius domibus, collegiis, locis et personis quomodolibet concessis et concedendis: ita tamen ut praedicta omnia Praeposito Generali pro tempore exsistenti concessa esse intelligantur, qui illa per se ipsum vel alium seu alios, ab eo vel eius commissione electos seu eligendos, quibuscumque locis et personis dictae Societatis sub eiusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis etiam simplicibus, degentibus, communicare libere et licite valeat. (S. Pius V Brevi *Dum indefessae*, 7 Iulii 1571; Gregorius XIII Brevi *Decet Romanum Pontificem*, 3 Maii 1575; et Leo XII Brevi *Plura inter*, 2 Iulii 1826.) *N. Bull. p.* 45; 55—352. (7).

(a.) Pro invocatione « Anima Christi, sanctifica me etc. » *tercentum dierum* indulgentia, quoties corde saltem contrito et devoto dicatur; — *septem annorum semel in die*, si a Sacerdotibus post S. Missam dictam et fidelibus post S. Communionem acceptam recitetur; — *indulgentia plenaria semel in mense* omnibus, qui eamdem semel saltem quotidie per mensem recitare solent, eo die libere eligendo lucranda, quo vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti ecclesiam vel publicum oratorium visitabunt ibique per aliquod temporis spatium secundum mentem S. Pontificis orabunt. (Raccolta, pag. 79.)

(b) Pro oratione S. P. N. Ignatii, quae incipit: Suscipe Domine (versio vulgata), SS D. N. Leo PP. XIII Rescripto S. Congregationis Indulg. d. d. 26 Maii 1883 omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui corde saltem contrito ac devote eam recitaverint, indulgentiam *tercentum dierum semel in die* lucrandam concessit. (Rescripta auth. pag. 672.)

(c.) Iis qui cum fervore et corde saltem contrito recitabunt mane et vespere « Ave Maria » cum oratione et aspiratione « o domina mea, » ut a B. V. Maria victoriam in tentationibus speciatim contra castitatem implorent, Pius IX, petente Ioanne Roothaan, Praep. Gen. S. I. concessit *indulgentiam* 100 *dierum semel in die; indulgentiam plenariam* semel in mense iis, qui eamdem ut supra recitaverint quotidie per mensis spatium, eo die, quo vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti visitabunt ecclesiam vel oratorium publicum ibique per aliquod temporis spatium secundum mentem S. Pontificis orabunt; *indulgentiam* 40 *dierum* lucrantur *quoties* in tentatione corde saltem contriti ac devote recitant aspirationem tantum breviorem.

(7) Generalis haec indulgentiarum communicatio iampridem a Leone PP. X Brevi *Dudum per Nos* d. d. 10. Decembris 1519 universim concessa et deinceps a S. Pio V et a Gregorio PP. XIII nobis speciatim applicata, quamquam olim locum habuerit in omnibus localibus atque personalibus indulgentiis, tamen post Constitutionem fel. rec. Pauli PP. V, *Romanus Pontifex* d. d. 23 Maii 1606, vigorem obtinet dumtaxat in antiquis localibus et in indulgentiis, quae Regularibus fuerant ita concessae, ut solis defunctis applicari possent; et post Paulum V, in concessis et concedendis tam localibus quam personalibus. (Theodor. a Spiritu S. de Indulgentiis p. II, cap. II, art. 1, § VI.)

Caeterum cum in hac materia plura sint incerta et in contrarias partes dividantur auctores, Praepositi Provinciales et qui eorum vices gerunt caute admodum incedant, atque imprimis quod ad facultates et privilegia attinet, iis solis utantur et cum suis inferioribus illas solas communicent quibus ex Doctorum auctoritate constat per recentiora Decreta aliasve S. Sedis dispositiones non fuisse derogatum. Prae caeteris consulendus S. Alphonsus de Ligorio.

Privilegium vero illud pro infirmis vel senio confectis concessum variis Ordinibus Religiosis, quo nos adhuc per supradictam communicationem fruebamur, nuper benignitate SS. D. N. Leonis

2. — Omnes Societatis *Missionarii* frui possunt indulgentiis, quae conceduntur etiam cum clausula confessionis et communionis, si forte contingat ut eis Sacerdos desit, cui confiteri possent, ita ut solus tunc actus contritionis et celebratio Missae sufficiat. (Clemens XII rescripto 12 Martii 1738.) Cf. *Rescr. Auth. n.* 100.

3. — Religiosi Societatis residentes in domibus, quae adnexam non habent propriam ecclesiam, indulgentias concessas domibus seu ecclesiis Societatis, lucrari valent *in domesticis oratoriis* seu sacellis, in quibus adservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum. (Leo XIII rescripto S. C. Ind., 20 Septembris 1884.)

4. — Omnibus Religiosis Societatis Iesu conceditur, ut quotiescumque *propriam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem*, quae semel electa nisi in eventu amissionis mutari nequit, ad quemcumque Christi fidelem *in articulo mortis* constitutum deferunt, hic si vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, corde saltem contritus nomen Iesu, ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit atque imaginem illam osculatus fuerit seu tetigerit, *plenariam indulgentiam* consequatur. (Leo XIII Brevi *Expositum Nobis*, 12 Ianuarii 1886.) *N. Bull. p.* 403. (8)

5. — Omnes Societatis Religiosi applicare possunt *in suffragium animarum Purgatorii* omnes indulgentias, quas ipsi lucrari valent, plenarias et partiales, concessas et in futurum concedendas a Summis Pontificibus. (Benedictus XIII rescripto 25 Septembris 1728.)

—

Secunda Pars.

Indulgentiae concessae omnibus Christi fidelibus, ecclesias seu cappellas Soc. Iesu visitantibus.

Indulgentiae plenariae.

I. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui die festo

PP. XIII die 16 Ianuarii 1886 ad *omnes in communitate et sub regula virentes* est extensum, ut scilicet *infirmi aut senio confecti, qui ecclesias aut oratoria visitare aliare pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt, nihilominus eas lucrari valeant adimplendo alia pia opera, Confessarii arbitrio praescribenda.*

(8) Hoc privilegium primo Ordini Clericorum Regularium infirmis Ministrantium a fel. rec.

Circumcisionis D. N. I. C., *aut uno ex septem* continuis praecedentibus aut immediate subsequentibus *diebus*, cuiuscumque eorum arbitrio sibi eligendo die, quamlibet ecclesiam Societatis Iesu seu cappellam visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo XIII Brevi *Expositum Nobis*, 12 Ianuarii 1886. *N. Bull. p.* 403 et *Paul. III*, *N. Bull. p.* 16; *Greg. XIII p.* 74; *Ben. XIV p.* 295.

II. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiam Societatis Iesu feria sexta immediate sequenti octavam solemnitatis Corporis Christi (qua *festum SSmi Cordis Iesu* celebratur), a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante SSmum Eucharistiae Sacramentum vel ante Servatoris nostri Iesu imaginem, iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint. (Clemens XIII Brevi *Ad augendam fidelium religionem*, 26 Maii 1766 et decreto S. C. Ind. 2 Junii 1767.) *Rescr. Auth. n.* 245.

III. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiam Presbyterorum Societatis Iesu, die *festo S. Ignatii de Loyola*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregorius XV Brevi *Splendor Paternae gloriae*, 8 Iunii 1622.)

IV. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Presbyterorum Societatis Iesu, *die festo S. Francisci Xaverii*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Idem loc. cit.)

Alexandro PP. VII directe concessum, quod in veteri quoque Summario nostro legebatur insertum, nuper a SS. D. N. Leone PP. XIII nostrae Societati ideo directe expetendum curavimus, quia de eiusmodi privilegii (quod ob particulare illius Ordinis Regularis virtutis exercitium, ex proprio instituto ei conveniens, elargitum dici iure possit) communicatione non satis certo constare videbatur. (Cf. Theod. a Sp. S. loc. supra cit. quaer. 2o.)

V. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui *duodecima mensis Martii* die, anniversaria canonizationis SS. Ignatii de Loyola et Francisci Xaverii, quamlibet Societatis Iesu ecclesiam vel cappellam devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo XIII Brevi *Expositum Nobis*, 12 Ianuarii 1886.) *N. Bull. p.* 403.

VI. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis domorum vel collegiorem Societatis Iesu, *die festo S. Francisci Borgiae*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens X Brevi *Redemptoris et Domini*, 3 Iulii 1671.) (9).

---

(9) Notentur praeterea sequentes indulgentiae in honorem Sanctorum e Societate nostra concessae, et iam ad omnes ecclesias extensae:

1.) In honorem S. Stanislai Kostkae:

a.) *Indulgentia plenaria* a primis vesperis et per totum *diem festum S. Stanislai Kostkae* (13 Novemb.) omnibus Christi fidelibus, qui ecclesiam aliquam vel publicum oratorium visitabunt, ubi illud festum celebratur, si vere poenitentes, confessi et S. Eucharistico pane refecti per aliquod temporis spatium secundum Sanctitatis Suae mentem orent.

b. *Septem annorum et septem quadragenarum* indulgentiam in unaquaque ex *decem diebus Dominicis* festum S. Stanislai praecedentibus, si ecclesiam vel oratorium visitaverint, ubi devotum hoc exercitium agitur, et per aliquod temporis spatium secundum Sanctitatis Suae mentem oraverint.

c.) *Centum dierum* in unoquoque die *Novenae* festum S. Stanislai praecedentis, si devote et corde saltem contrito ei intersint et ut supra orent.

d.) *Centum dierum semel in die*, si corde saltem contrito et devote semel *Pater* et *Ave* ante imaginem S. Stanislai in aliqua ecclesia dicant.

e) *Indulgentia plenaria*, quam lucrari possunt quicumque praedictum pium exercitium per integrum mensem peregerint, eo die libere eligendo, quo vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti orabunt ut supra. Quodsi in aliquo mensis die ecclesia visitari non possit, idem S. Pontifex declaravit, eo in casu indulgentias praedictas lucrari posse recitando *Pater* et *Ave* ubicumque libuerit.

Praeterea idem declaravit, indulgentias pro festo, novena et decem Dominicis concessas acquiri posse quocumque anni tempore, in quod cum Ordinarii licentia eiusdem Sancti festum transferatur; atque easdem indulgentias extendit ad ecclesias internas, oratoria Seminariorum, Collegiorum, Conservatoriorum, Monasteriorum et Secessuum utriusque sexus.

Tandem f.) concessit *Centum dierum* indulgentiam omnibus illis, qui corde saltem contrito et devote intervenient *recollectioni sic dictae S. Stanislai*, orantes per aliquod temporis spatium secundum mentem Sanctitatis Suae. (Raccolta pag. 326.)

2.) In honorem S. Aloysii Gonzagae.

a.) *Indulgentia plenaria* ab omnibus Christi fidelibus lucranda, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti visitabunt altare S. Aloysio Gonzagae dedicatum, *in die eius festo*, orantes pro necessitatibus S. Matris Ecclesiae et secundum mentem Sanctitatis Suae. — Hoc festum celebrari potest cum permissione Ordinarii quocumque die intra annum, in quocumque loco et altari. *Rescr. Auth.* n. 133.

VII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quarumcumque domorum Clericorum Regularium Societatis Iesu, *die festo S. Ioannis Francisci de Regis*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens XII Brevi *Redemptoris Domini I. C.*, 19 Aprilis 1738.)

VIII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet Societatis Iesu ecclesiam, *die festo S. Francisci de Hieronymo*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregorius XVI Brevi *Cum inclyta*, 17 Martii 1840.) *N. Bull. p.* 363.

IX. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui *die festo SS. Martyrum Iaponensium* Pauli Michi, Ioannis de Goto et Iacobi Chisai Societatis Iesu (5 Februarii) quamlibet Societatis Iesu ecclesiam vel cappellam a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo XIII Brevi *Expositum Nobis*, 12 Ianuarii 1886.) *N. Bull. p.* 403.

X. — *In qualibet ex decem dominicis* diebus immediate praecedentibus festum *S. Ignatii de Loyola*, sive alias per annum, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictis diebus dominicis continue tamen celebrandis, vere poenitentes et confessi sacraque communione refecti, piis meditationibus aut orationibus aliisve christianae pietatis operibus, ad eiusdem sancti honorem ac Dei gloriam, vacando sancti-

---

b.) *Indulgentia plenaria in unaquaque ex sex diebus Dominicis*, quae celebrentur vel immediate ante festum huius Sancti (31 Iunii) vel quocumque alio anni tempore. — Ad eas indulgentias acquirendas oportet, ut sex illae Dominicae sint continuae et non interruptae, et ut fideles in harum unaquaque vere poenitentes confessi et Eucharistico pane refecti sese exerceant in piis meditationibus vel orationibus vocalibus aut in aliis pietatis christianae operibus in honorem eiusdem Sancti. (Raccolta pag. 324.) *Rescr. Auth.* n. 117.

ficaverint, et aliquam ecclesiam Societatis Iesu devote visitaverint. (Clemens XIII, 27 Ianuarii 1767.) *Rescr. Auth. n.* 242.

In iis locis ubi Societas Iesu non exsistit, Christi fideles lucrari valent dictas indulgentias, visitando respectivam parochialem ecclesiam ibique per aliquod temporis spatium iuxta consuetos fines orando. (Gregorius XVI rescripto S. C. Ind. 10 Decemb. 1841.) *N. Bull. Append. p.* 14.

XI. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Societatis Iesu, *in una ex decem feriis sextis, vel diebus dominicis aliisve infra hebdomadam diebus, S. Francisci Xaverii* festum immediate praecedentibus vel subsequentibus, ad libitum eligenda, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Benedictus XIV Brevi *Apostolicae procurationis*, 6 Octobris 1753; et Brevi *Dederamus sane*, 12 Ianuari 1754.)

XII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Presbyterorum Societatis Iesu *die festo* illius *invocationis seu tituli*, a primis vesperis usque ad occasum solis dici huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Paulus V Brevi *Splendor Paternae gloriae*, 16 Decembris 1611, *N. Bull. p.* 135 et Leo XII Brevi *Plura inter*, 11 Iulii 1826. *N. Bull. p.* 352) (10)

Indulgentiae partiales.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, Christi fidelibus

(10) Tandem hic recensenda est *indulgentia plenaria* (olim Societatis ecclesiis propria) omnibus Christi fidelibus concessa, qui vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti, *in Dominica Quinquagesima* vel in uno ex duobus diebus immediate sequentibus, devote visitaverint SS. Sacramentum publice expositum in aliqua ecclesia, in qua per tres dies praedictos huiusmodi expositio locum habet, et ibi per aliquod temporis spatium pro concordia inter Principes christianos, exstirpatione haeresum et exaltatione S. Matris Ecclesiae oraverint; — quae indulgentia semel tantum intra dictum temporis spatium acquiri potest. Idem valet pro *hebdomada Septuagesimae sive Sexagesimae* vel *Quinquagesimae* atque etiam pro sola feria quinta post Dominicam Sexagesimae, dummodo omnia opera supra indicata impleantur. (Raccolta pag. 70).

qui in festivitatibus *Nativitatis*, *Circumcisionis*, *Epiphaniae* D. N. I. C. et *Corporis Christi*, necnon *feriis sextis*, *dominicis* et *quadragesimalibus* diebus singulorum annorum usque ad octavam Paschatis, ecclesias et pia loca Societatis Iesu, corde saltem contrito et devote visitaverint, et inibi orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint et verbum Dei, si in illis praedicetur, devote audierint. (Paulus III Bulla *Licet debitum*, XV kal. Nov. 1549.) *N. Bull. p.* 17.

2. — *Unius anni et quadraginta dierum*, omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Ignatii de Loyola*, ad *sepulchrum* in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dierum. (Urbanus VIII in Bulla canonizationis, VIII idus Augusti 1623.) *N. Bull. p.* 151.

3. — *Unius anni et unius quadragenae*, Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Francisci Xaverii*, ad *sepulchrum*, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dierum. (Idem loc. cit.) *N. Bull. p.* 165.

4. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, in singulis *decem feriis sextis*, vel diebus *dominicis aliisve* infra hebdomadam *diebus*, *S. Francisci Xaverii* festum immediate praecedentibus vel subsequentibus (excepta illa pro qua indulgentia plenaria concessa est, de qua supra n. XI), Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Societatis Iesu devote visitaverint et ibidem oraverint. (Benedictus XIV Brevi *Apostolicae procurationis*, 6 Octobris 1753 et Brevi *Dederamus sane*, 12 Ianuarii 1754.)

5. — *Septem annorum et totidem quadragenarum*, Christi fidelibus qui die festo *S. Francisci Borgiae*, *sepulchrum* et corpus eius devote visitaverint; infra vero octavam, quadraginta dierum. (Benedictus XIII in Bulla canonizationis, pridie nonas Iunias 1724.) *N. Bull. p.* 218.

6. — *Unius anni et unius quadragenae*, Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui solemni die *S. Stanislai Kostkae* ad eius *exuvias* venerandas accesserint; iis vero qui in octava eiusdem diei festi, quadraginta dierum. (Benedictus XIII in Bulla canonizationis, pridie kal. Ianuarias 1726.) *N. Bull. p.* 235.

7. — *Unius anni et unius quadragenae*, Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui solemni die *S. Aloysii Gonzagae*, ad sacras

eius *exuvias* venerandas accesserint; iis vero qui in octava eiusdem diei festi, quadraginta dierum. (Benedictus XIII in Bulla canonizationis, pridie kal. Ianuarias 1726.) *N. Bull. p.* 230.

8. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Ioannis Francisci de Regis ad sepulchrum*, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint. (Clemens XII in Bulla canonizationis XVI kal. Iulii 1737.) *N. Bull. p.* 259.

9. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, Christi fidelibus qui die festo *S. Francisci de Hieronymo*, illius *tumulum* corde saltem contrito ac devote venerati fuerint. (Gregorius XVI in Bulla canonizationis, VII kal. Iunii 1839.) *N. Bull. p.* 360.

10. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, iis qui anniversaria (5 die Februarii) festi *SS. Martyrum Iaponensium* S. I. Pauli Michi, Ioannis de Goto et Jacobi Chisai, ipsorum *exuvias* corde saltem contrito ac devote venerati fuerint. (Pius IX in Bulla canonizationis, VI idus Iulias 1862.) *N. Bull. p.* 385.

Privilegium.

In omnibus et singulis ecclesiis Societatis Iesu, tam erectis quam in posterum erigendis, unum indulgetur *altare privilegiatum* pro quocumque Sacerdote sive sacculari, sive Regulari, dummodo nullum aliud privilegiatum adsit, per uniuscuiusque domus sive collegii aut tirocinii seminariique Rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum iudicaverit, subrogandum. (Benedictus XIV Brevi *Quemadmodum*, 15 Iulii 1749.) *N. Bull. p.* 294.

—

Tertia pars.
Indulgentiae pro Societatis Iesu ministeriis concessae.

—

A. Pro doctrina christiana.

Indulgentiae concessae a Gregorio XV, per Breve *Pietatis et charitatis*, diei 27 Septembris 1622. *N. Bull. p. 140.*

Indulgentiae plenariae.

1. — Omnibus Societatis Iesu Clericis, ac aliis universis Christi

fidelibus cum iisdem Clericis in infrascriptis cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum, pueros et adultos quoscumque doctrinam christianam, iuxta decreta S. Concilii Tridentini docere, aut eidem dum docetur interesse consueverint, si vere poenitentes et confessi SSmo Eucharistiae Sacramento, *die festo ab iisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno designando*, refecti fuerint.

2. — Necnon ipsis qui vere etiam poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Iesu, saltem corde, *in mortis articulo* invocaverint.

3. — Et qui *diebus Stationum Urbis* hanc doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ecclesias Stationum Urbis personaliter visitarent; easdem etiam indulgentias, visitatores scholarum doctrinae huiusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt, consequuntur, si peccata sua confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

Indulgentiae partiales.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, semel quolibet mense, supradictis cum Societatis Clericis tum aliis Christi fidelibus, quo die vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

2. — *Ducentorum dierum*, iisdem quoties operam dederint ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad doctrinam christianam eant.

3. — *Centum dierum*, iisdem qui diebus ferialibus hanc doctrinam christianam aut publice aut privatim, ut praemittitur, explanaverint.

4. — *Septem annorum*, omnibus praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint, eosque illam docuerint.

5. — *Centum dierum*, iisdem qui diebus ferialibus in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint.

6. — *Septem annorum*, praedictis Clericis qui in ecclesiis seu oratoriis, ubi doctrina christiana docetur, verbum Dei praedicaverint

aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa.

7. — *Septem annorum*, iis qui per civitates, terras et alia loca, viros, mulieres aut pueros ad discendam eamdem doctrinam christianam ducendi causa, circumierint.

8. — *Decem annorum*, iis qui extra civitates, ad illam ut praefertur docendam, per castra et villas exierint.

9. — *Centum dierum*, omnibus Christifidelibus qui per mediam horam doctrinae praedictae aut docendi causa studuerint, aut eidem doctrinae interfuerint.

10. — *Ducentorum dierum*, iisdem qui doctrinam praedictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint (11).

B. Pro exercitiis spiritualibus.

Ii omnes qui in aliquo collegio, domo aut spirituali secessu (domo exercitiorum dicto), vel in publica etiam ecclesia seu cappella Societatis Iesu, *spiritualia Exercitia* a S. Ignatio Societatis fundatore instituta, *per quodcumque dierum spatium*, * semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense, pro exercitio quod appellant *Praeparationis ad mortem*, peregerint, et vere poenitentes et confessi

---

(11) Adiungimus sequentes indulgentias universim concessas:

Christi fidelibus omnibus cuiuscumque aetatis, qui in scholis vel ecclesiis convenire solent ad discendam doctrinam christianam, concessa est indulgentia *trium annorum* in omnibus B. Mariae Virg. festis, si in iisdem peccata sua confiteantur; *septem vero annorum* illis, qui in iisdem festis etiam S. Communionem recipiant. — Praeterea indulgentia *septem annorum et septem quadragenarum*, quoties Christi fideles vere poenitentes, confessi et S. Eucharistia refecti docebunt vel discent catechismum seu doctrinam christianam. — Illis demum, qui piam habent consuetudinem assidue docendi vel addiscendi eamdem doctrinam christianam, conceditur *indulgentia plenaria* in festis diebus Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. C. et SS. Apostolorum Petri et Pauli, si vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti pro concordia inter Principes christianos, haeresum exstirpatione et exaltatione S. Matris Ecclesiae orent. (Raccolta p. 369.)

Indulgentiam vero *centum dierum* omnibus et singulis patribus et matribus familias, iam a Paulo PP. V universim concessam, quoties in suis domibus liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanaverint, Gregorius PP. XV Brevi supra citato *Pietatis et christianae charitatis* inserere voluit, ut Nostri etiam data opportunitate patres et matres ad salutare illud opus domi quoque exercendum invitarent.

* Quoniam in veteri Summario *quinque saltem dies* requiri dicebantur et tenor Brevis citati *Quantum secessus* nonnihil dubii de sensu verborum in se satis amplorum « *per quodcumque dierum spatium* » relinquere posset, a SS. D. N. Leone PP. XIII declarationem opportunam seu concessionem petere mens erat, ut nimirum exercitia etiam trium dierum dumtaxat indulgentia plenaria gaudere constaret. Attamen in Secretaria S. Congregationis indulgentiarum, nobis est declaratum, verba illa diserta et contextum ipsum Brevis supradicti explicatione vel concessione eiusmodi minime indigere.

ac sacra communione refecti, ecclesiam sive oratorium eiusdem collegii vel domus vel secessus visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qualibet vice *indulgentiam plenariam* consequuntur. (Alexander VII Brevi *Cum sicut Nobis*, 12 Octobris 1657; Benedictus XIV Brevi *Quantum secessus*, 29 Martii 1753 et Idem alio Brevi *Dedimus sane*, 16 Maii 1753.) *N. Bull. p.* 179; 294; 301; 304.

Quam indulgentiam omnes Christi fideles lucrari possunt, quoties Societatis Religiosi ubique locorum, sive missionarii in actu missionum quarumcumque, sive in quibusvis tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis et piis locis et aedibus vel saecularibus vel regularibus, de Superiorum licentia, spiritualia huiusmodi exercitia vel diem quem appellant *Praeparationis ad mortem*, tradiderint. (Benedictus XIV Brevi *Dedimus sane*, 16 Maii 1753.)

C. Pro sacris missionibus.

Indulgentiae plenariae.

I. — Tempore missionum, tam Religiosis Societatis Iesu a Superioribus ad missiones peragendas missis, quam omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, *qui missionibus* ipsis per Religiosos eiusdem Societatis Iesu peragendis, *quinque vicibus* pro qualibet missione rite adstiterint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregorius XVI Brevi *Exponendum Nobis*, 20 Decembris 1839.) *N. Bull. p.* 362. (a.)

Quoad praedictam indulgentiam, indultum est:

A. Ut extendatur etiam *ad infirmos*, dummodo alia pia opera a respectivis confessariis iniuncta exsequantur. (Gregorius XVI rescripto S. C. Ind. 17 Martii 1841.) *N. Bull. Append. p.* 12.

(a.) In nostra Provincia sufficit ut quater intersint. *Rescr. Auth. n.* 341. et PP. Congr. Oblatorum, ut per tres dies exercitia frequentaverint. *Ibid. n.* 284.

Hic addenda est alia Indulg. plen. lucranda in aliquo die pro libitu post peractam Missionem. Vide infra § 3. I. p. 79.

B. Ut tempore missionis, confessarii cum iis, qui a longe ad missionem venerunt et quinquies assistere nequiverunt, *dispensare valeant in obligatione quinquies missioni assistendi*, et eius loco praescribere eis aliud pium opus. (Pius IX rescripto diei 29 Martii 1855.) *N. Bull. Append. p.* 21.

C. Ut tempore missionis, confessarii *dispensare possint a sacra communione eos infantes*, qui ad primam communionem nondum potuerunt admitti, praescribendo eis aliud pium opus. (Idem loc. cit.)

II. — Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui *benedictionem, Summi Pontificis nomine, in fine missionum* cum imagine D. N. I. C. elargiendam per Sodales Societatis Iesu receperint, dummodo in decursu missionum, vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti fuerint, et per aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius IX rescripto autographo diei 19 Januarii 1851.) *N. Bull. Append. p.* 18.

III. Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui post peractam missionem aut etiam recessum, spiritualia exercitia, a Clericis Regularibus Societatis Iesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias *preces per quadraginta dies*, incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam recitaverint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. (Gregorius XVI Brevi *Iniuncti Nobis*, 7 Iulii 1843.) *N. Bull. p.* 366.

IV. — *Die anniversario erectionis crucis missionum*, vel dominica immediate sequenti, si contigerit diem anniversariam cadere in diem ferialem, necnon *in festivitate Inventionis et Exaltationis S. Crucis*, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius IX, die 19 Decembris 1875.) (a.)

V. *Una mensis Decembris die*, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra communione refectis, qui ante aliquam ex crucibus in fine missionis erigendis, tribus saltem

(a.) In nostra Provincia concessa est Indulg. plenaria in die erectionis Crucis Missionis. *Rescr. Auth.* n. 342; et *infra* § 3. II. p. 79.

vicibus in quolibet mense, ter orationem dominicam et salutationem angelicam cum Gloria Patri, in memoriam trium horarum agoniae D. N. I. C. et iuxta mentem Summi Pontificis devote oraverint. (Leo XIII rescripto S. C. Ind. 22 Aprilis 1882.) *N. Bull. Append. p.* 36.

Indulgentiae partiales.

1. — *Indulgentia biscentum dierum*, in quocumque ex quadraginta diebus, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui post peractam missionem aut etiam recessum, spiritualia exercitia, a Clericis Regularibus Societatis Iesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam, corde saltem contrito ac devote persolverint. (Gregorius XVI Brevi *Iniuncti Nobis*, 7 Iulii 1843.) *N. Bull. p.* 366.

2. — Indulgentia *tercentum dierum*, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui crucis erectioni in fine missionum a Sodalibus Societatis Iesu peragendae, corde saltem contrito ac devote interfuerint. (Leo XIII rescripto S. C. Ind. 22 Aprilis 1882.) *N. Bull. Append. p.* 36, et *Rescr. Auth. n.* 423.

3. — Indulgentia *quinque annorum*, semel in die lucranda ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui corde saltem contrito ante aliquam ex crucibus in fine missionis a Patribus Societatis Iesu erigendis, ter Pater, Ave, Gloria in memoriam trium horarum agoniae D. N. I. C. et iuxta mentem Summi Pontificis devote recitaverint. (Leo XIII loc. cit.) *N. Bull. Append. p.* 35 et *Rescr. Auth. n.* 341.

Privilegium.

Omnes utriusque sexus Christi fideles, qui tempore sacrarum missionum a Sodalibus Societatis Iesu habendarum, ad Sacramentum Poenitentiae semel accesserint, omnes et singulas plenarias indulgentias acquirere valent, quae intra idem tempus occurrent, caeteris servatis conditionibus ad eas lucrandas iniunctis. (Leo XIII rescripto S. C. Ind. 15 Martii 1884.) *Rescr. Auth. n.* 449. *p.* 686.

D. Pro communione generali.

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere

poenitentibus et confessis, qui aliquam Societatis Iesu vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubique locorum in *una ex dominicis cuiusvis mensis*, qua communio generalis (12) cura Clericorum Regularium Societatis Iesu, et quoad saeculares ecclesias de cuiusque Ordinarii licentia deque Rectorum earumdem consensu, ibidem agetur, devote visitaverint, iisdemque dominicis in aliqua ex praedictis ecclesiis SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo XIII Brevi *Nihil adeo*, 8 Ianuarii 1886.) *N. Bull. p.* 401.

Quemadmodum indulgentiae primae partis, ita etiam omnes indulgentiae secundae et tertiae partis huius Summarii animabus quoque defunctorum per modum suffragii sunt applicabiles.

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo in audientia habita die 21 Novembris 1885 ab infrascripto Secretario eiusdem S. Congregationis, praefatum Summarium, nunc primum ex diversis concessionibus excerptum, imprimi et publicari posse permisit.

Datum Romae, ex secretaria eiusdem S. Congregationis, die 20 Ianuarii 1886.

I. B. Card. Franzelin, Praef.
F. Della Volpe, Secr.

Concordat cum exemplo, quod munitum est sigillo Em. Card. S. Congr. Ind. Praef.
Ant. Rota, Secr. S. I.

---

(12) Ut fideles omnes *ad S. Communionem* generatim *frequentandam* impelleret, iam fel. rec. Gregorius PP. XIII Constitutione *Ad excitandum* d. d. 10 April. 1580, concessit indulgentiam *quinque annorum*, quoties Christi fideles diebus festis confessi et S. Communione fuerint refecti et pro Summo Pontifice oraverint; indulgentiam *decem annorum* illis, qui piam habent consuetudinem S. Communionem recipiendi semel saltem in mense et in solemnitatibus D. N. I. C. ac festivitatibus B. Mariae Virginis, omnium SS. Apostolorum et Nativitatis S. Ioannis Baptistae, quoties id fecerint; *indulgentiam plenariam semel in anno* eo die, quo festum principale civitatis vel loci celebratur, ubi commorantur, si illo die confessi et S. Communione refecti orent, ut supra dictum est. (Raccolta pag. 67.)

§ 2. Indulgentiae et privilegia alia Societati universae concessa.

1. Facultas concedendi Indulg. plenariam primo conversis ab haeresi. Leo XII n. XI p. 7. *N. Bull. p.* 351.

2. Per communicationem cum Ordine S. Francisci Nostri recitantes ante Altare SS. Sacramenti in sua ecclesia quinquies *Pater* et *Ave* cum totidem *Gloria Patri* pro felici statu S. Matris Ecclesiae et addendo in fine alterum *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* ad intentionem Pontificis concedentis lucrari possunt qualibet die Indulgentiam Plenariam. Inst. Prag. Comp. Priv. v. *Indulgentia* § 27, ubi vocatur *Indulgentia Stationum SS. Sacramenti.*

Imo ex Summario Indulg. quibus gaudet Ordo Seraphicus, lucrantur omnes Indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae et Portiunculae. Et hae Indulgentiae acquiri possunt saepius in die. *P. Schneid. Rescr. Auth. III. Summar. n.* 15. *p.* 385. *n.* 1—10. Est haec Indulg. applicabilis Fid. Def. *Ibid.*

3. Indulgentiae et Privilegia concessa Fundatoribus et Benefactoribus. *Vide supra c.* III. *p.* 45.

4. Indulgentia plen., quam Moderatores Congr. B. M. V. largiri possunt infirmis Sodalibus. *Vide N. Bull. Append. p.* 43. *I. A.* 5.

5. Ex Leone XII n. XI Nostri possunt dare omnibus Fidelibus Bened. Apostolicam cum Indulg. plen. in articulo mortis. *Supra p.* 7. Et ex delegatione Praep. Generalis etiam Nostris. *Supra p.* 59, *n.* 3.

6. Ex communicatione cum Congr. B. M. V. Missae pro Nostris qui de hac vita migrarunt habent Indulgentiam Altaris privilegiati. *N. Bull. Append. p.* 45. *n.* 4.

7. Indulgentiae omnes tributae sodalitiis *Propagationis Fidei* et *S. Infantiae* et *Sodalitati Angelicae* extensae fuerunt ad sodalitatem constitutam in Dioecesi Nankensi, atque ad quamlibet similiter institutam vel instituendam in quibuscumque missionibus S. J. Pius IX, 7 Aug. 1862. *Epit. Inst. App. n. IV, c. II* § *II n.* 37. *p.* 491. et *N.. Bull. Append.* 28.

8. Indulg. 100 dierum, quam Pius IX 19 Jan. 1851 concesserat Fidelibus qui orant coram cruce Missionis, non amplius recensetur in

Novo Summario, sed alias Indulgentias concessit Leo XIII. *Vide supra p.* 76, *n.* 3.

9. A Nostris erigi potest Sodalitas *Missionis*, *N. Bull. p.* 364 *et* 367 et sodalitas contra blasphemias etc. *Ibid. p.* 366. Indulgentiae. *Ibid. Append. p.* 11.

§ 3. Indulgentiae concessae Provinciae Neerlandicae.

I. *Pro Missione.* Ad preces R. P. Drach Vice-Prov. Helvetiae, Belgii et Neerlandiae Leo XII Rescripto 12 Apr. 1826 concessit: „omnibus Christifidelibus, qui sacris Missionibus a Societate Jesu peragendis devote *quater* interfuerint, plenariam Indulgentiam acquirendam una die uniuscujusque arbitrio *in posterum* eligenda in qua vere poenitentes etc.... per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint".

Haec Indulgentia, ut patet, alia est quam quae supra § I p. 74. allata est. In novo summario nihil habetur, quod hanc concessionem in dubium vocare potest.

At in Audientia habita die 22 Aprilis 1882 SS. D. Leo XIII hanc Indulgentiam extendit ad universam Societatem. (*Arch. Prov.*) In novo autem Summario anni 1886 omissa est.

II. *Pro die erectionis Crucis Missionis.* Ad preces R. P. Drach ut supra Leo XII, 12 Apr. 1826 concessit „Omnibus Christifidelibus, qui Crucis erectioni a Soc. J. Fratribus peragendae interfuerint:

1°. Indulgentiam plenariam in ipsa erectionis die;

2°. infra sex menses immediate sequentes alia die uniuscujusque arbitrio eligenda, in quibus vere poenitentes confessi sacraque communione refecti fuerint et ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem SS. pie oraverint consequantur". *Arch. Prov.*

Extensio hujus gratiae petita fuit pro universa Societate, sed negata.

III. In Provincia Neerlandica Indulg. plen. die quo in initio anni scholaris celebratur Missa de Spiritu Sancto. *Supra c. III p.* 32.

§ 4. Quae ecclesia dici potest nostra in ordine ad lucrandas Indulgentias.

A. S. C. Indulg. hoc definitur in sequentibus:

Q. 1°. An Christifideles Indulgentias concessas a S. Sede visitantibus ecclesias Societatis Jesu lucrari possint visitando ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt?

℟. Affirmative.

Q. 2°. An quoad alias ecclesias, quae numquam proprie ad Societatem pertinuerunt, sed quarum cura eidem Societati legitime concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis ministeria, approbandum sit responsum datum a P. Vincentio Caraffa die 6 Maii 1647?

℟. Affirmative dummodo penes ecclesias, de quibus agitur PP. Soc. Jesu resideant et ministeria propria inibi obeant.

Q. 3°. Quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut ecclesiae concreditae quoad usum ipsum censeri possint nostrae, nempe ipsius Societatis?

℟. Concessionem usus debere esse legitimam, et usum constantem et plenum, et dummodo hujusmodi ecclesiae sint publicae.

Ita S. C. 20 Jul. 1868, SS. 18 Aug. ejusd. anni *D.* 424 et *N. Bull. Append. p.* 30.

§ 5. Regulae juxta quas Indulgentiae transferuntur una cum Festo cui adnexae sunt.

1. *Si festum cum solemnitate celebratur*, et una cum solemnitate, aut etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam legitime transfertur, SS. D. N. Pius IX mandavit „Ut omnes Indulgentiae quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus aut in novendialibus vel septenariis, vel triduanis precibus ante vel post festum vel ejus octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die quo festa hujusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem,

non vero quoad Officium et Missam in aliquibus locis vel ecclesiis publicisque Oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione sive ad tempus, eoque durante legitime transferuntur". U et O. 9 Aug. 1852 *D.* 360.

2. „Cum vero transfertur *tantum Officium cum Missa*, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit". *Ibid.* Intellige hoc de translatione *accidentali.*

3. Nam si *transfertur festum in perpetuum* ad alium diem fixum, transfertur Indulgentia eidem festo concessa in eum diem, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione. Nec refert utrum haec translatio fiat pro toto Ordine an pro aliqua Provincia vel domo tantum, unusquisque lucrari potest Indulgentiam in die assignata in Kalendario suo, sc. domus, ubi moratur, si habet diem proprium; vel Provinciae, si domus diem proprium non habet, ea tamen conditione, ut singuli illam semel tantum lucrari possint. S. C. 14 Dec. 1877. SS. 12 Jan. 1878. *D.* 435.

4. Si vero dies pro festo cui adnexa est Indulgentia a Christi fidelibus aut a Sodalibus alicujus Congregationis lucranda, alia est in Kalendario Romano, alia in Kalendario Dioecesis, alia in Kalendario Ordinis Religiosi tunc:

1°. *Christi fideles* eam acquirunt die fixa et rite constituta in *Dioecesi.*

2°. *Regulares* die constituta in suo Kalendario.

3°. Qui *Sodalitati* nomen dederunt, *quae ad Regularem Ordinem* attinet, Indulgentiam acquirunt die rite constituta in Kalendario Dioecesis, vel in Kalendario Ordinis, si istius modi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die. 29 Aug. 1864. *D.* 407.

5. Quando in Indultis conceduntur Indulg. plenariae *pro omnibus festis Domini*, intelliguntur solummodo festa Nativ., Circumcis., Epiph., Pasch., Ascens. et Corporis Christi.

Et quando invenitur concessa Indulg. partialis in reliquis omnibus Domini festivitatibus, hoc intelligendum est de omnibus festis Domini quae celebrantur ab universa ecclesia. U et O. 18 Sept. 1862. *D.* 392.

Haec sunt: SS. Nom. J., Inv. Crucis 3 Maii, Transfig. Dni. 6 Aug.; Exaltatio Crucis 14 Sept., ex Decr. 26 Aug. 1856 SS. Cordis J., et ex Decr. 10 Aug. 1849 Pret. Sanguinis J. C. 1ª Dom. Julii.

6. Ubi concessa reperitur Indulg. plenaria in festis B. M. V. semper intelligantur dumtaxat festa Imm. Conc., Nativ., Annunt., Purif. et Assumpt.

Ubi Indulg. partialis conceditur reliquis festis B. M. V. intelliguntur festa quae celebrantur ab universa ecclesia. *Ibid. ad* 3 *et* 4. Nimirum: Visit. 2 Jul., B. V. de Monte Carm. 16 Jul. B. V. ad Nives 5 Aug., S. Nom. M., 7 Dol. B. V. tum Fer. VI in Hebd. Passionis tum Domin. 3ª Sept., SS. Ros., et Praesentationis 21 Nov.

7. Si pro omnibus festis Apostolorum, intelligenda sunt festa Natalis unicujusque Apostoli, non festa secundaria. *Ibid. ad* 5. Ergo festa: S. Andr. 30 Nov., S. Barthol. 24 Aug., S. Jac. 25 Jul., S. Joan. 27 Dec, S. Mathiae 24 Feb., S. Matthaei 21 Sept., SS. Petr. et Paul. 29 Jun., SS. Phil. et Jac. 1 Maii, SS. Simon. et Judae 28 Oct., S. Thomae 21 Dec. Excluduntur vero festa secundaria ut: Cathedrae S. Petri, Commemor. S. Pauli, etc. et festa SS. Barnabae, Lucae et Marci.

8. Si pro omnibus diebus Dominicis et aliis festis anni, intelliguntur festa quae olim lege generali celebrabantur cum feriatione et quae supra non sunt memorata.

Festa, quae juxta Decr. Urb. VIII 13 Sept. 1642 ferianda erant, sunt sequentia. Supra memorata notantur signo †.

Jan. † Circumc., † Epiph. — *Febr.* 2 † Purif. B. V. † 24 S. Mathiae. *Mart.* 19 S. Joseph.; † 25 Annunt. B. V.; † Resurr. Domini et *duae feriae sequentes.* — *Maii* 1 † SS. Phil. et Jac.; 3 † Invent. Crucis † Ascens. D.; Pentecostes cum duobus feriis sequentibus; SS. Trinitatis, † Solemn. Corporis Chr. — *Jun.* 24 Nativ. S. Joan. B.; 29 † SS. Petri et Pauli. — 25 *Jul.* † S. Jacobi; 26 S. Annae. — *Aug.* 10 S. Laurentii; 5 † Assumpt. B. V.; 24 S. Bartholom. — *Sept.* 8 † Nativ. B. V.; 21 † S. Matthaei; 29 Dedic. S. Michaelis. — *Oct.* 28 † SS. Simon. et Judae. — *Nov.* 1 OO. SS.; 30 † S. Andreae. — *Dec.* 8 † Imm. Conc. (postea additum); 21 † S. Thomae; 25 † Nativ. Dni; 26 S. Stephani; 27 S. Joannis; 28 SS. Innoc.; 31 S. Silvestri. Praeterea festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, pago ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. *Gardel.* 1264.

CAPUT VI.

Indulgentiae Religiosis revocatae et concessae.

A. Revocatae.

1. Paulus V Bulla „*Romanus Pontifex*" dd. 22 Maii 1606 revocavit omnes et singulas Indulgentias quibuscumque Ordinibus .... concessas, et novas elargitus est. Vide Bullam § 4 et 19, *P. Schneider p.* 692, et *Decreta Authentica* nova edit. *Appendix III p.* 443. Adverte etiam Prop. 37 inter damnatas ab Alex. VII „Indulgentiae concessae Regularibus et revocatae a Paulo V hodie sunt revalidatae." Confer et *D.* 49 *et* 107.

2. In hac revocatione minime comprehenduntur personae quae substantialia Religionis vota non emittunt, intra vel extra claustra degentes. 15 Jul. 1681 *D.* 27.

3. Juxta *Ferrarium Art. IV n.* 7 voce *Indulgentia* in hac revocatione non comprehenduntur:

1°. Non Indulgentiae promiscue Regularibus et saccularibus concessae, *n.* 7 *et n.* 12.

2°. Non locales, seu „ecclesias Regularium visitantibus concessae." 1 Febr. 1678. *D.* 17 et *Schneid. p.* 687.

3°. Non, quae concessae sunt pro solis defunctis v. gr. Altaris Privil.

4°. Non, quae parentibus, cognatis et servitoribus Religiosorum impertitae sunt.

5°. Non, quas Regulares concedere possunt pro aliquo bono opere; ut pro audientibus ipsorum conciones, discentibus doctrinam christianam, quod pro Soc. declárat S. C. Indulg. 22 Nov. 1678. *D.* 22.

B. Indulgentiae de novo concessae.

Indulgentia plenaria sub conditionibus ordinariis: 1. in die ingressus; — 2. in die professionis; — 3. in festo principali Ordinis; — 4. in mortis articulo; — 5. ob primam missam tum celebranti tum audientibus eam; — 6. ob recessum per decem dies continuos, quoties id peregerint, modo saltem per duas horas quotidie mentalibus orationibus sese exerceant atque eo tempore confessionem generalem aut annualem vel ordinariam fecerint et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint. — Praeterea 7. Indulgentiae Stationum, visitando suam ecclesiam et orando etc.; —

8. qui 5 Pater et Ave ante altare eorum ecclesiae dixerint, in quolibet die 5 a. et 5 q.; iis vero qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes aut extra claustra degentes tamquam Praedicatores et Lectores, 5 *Pater* et *Ave* ante quodlibet altare similiter dixerint etiam 5 a. et 5 q.; — 9. qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint ac confessi et s. communione refecti fuerint 60 a. et 60 q.; — 10. qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata et imperfectiones in capitulis culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, 3 a. et 3 q. — 11. missi ad haereticos vel infideles duabus vicibus Indulg. plen. videlicet quando itineri se accingunt et quando Provinciam ubi etc. ingressi sunt; — 12. insuper cum Superior in visitationibus generalibus orationes XL horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatium duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro christianorum Principum concordia etc. ... et regularis observantiae augmento pias ad Deum, ut dictum est preces effuderint, si confessi et s. communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, Indulgentia plenaria.

C. Notanda.

1. His indulgentiis gaudent omnes Religiosi et quidem ex declaratione in Bulla facta § 18 etiam Moniales cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventes et perpetuam clausuram servantes.

2. Imo et Moniales etiam non approbatae a S. Sede, S. C. 12 Jul. 1847 *D.* 343, etiamsi vivant sine clausura nec habeant nisi vota simplicia. *P. Schneid. p.* 688, *n.* 5. Hoc tamen ab aliis in dubium vocatur.

3. Ex concessione Paul. V pro religiosis infirmis opera injuncta pro Indulgentiis a Confessario commutari possunt. *Schneid. p.* 689 *n.* 5. Id nuper confirmatum fuit a SS. D. N. Leone XIII, ita ut omnes in communitate et sub regula viventes infirmi aut senio confecti, qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro Indulgentiis praescripta exsequi non possunt, nihilominus eas lucrari valeant adimplendo alia pia opera, Confessarii arbitrio praescribenda. S. C. 18 Dec. 1885; SS. 16 Jan. 1886 ad II. *Acta XVIII p.* 462.

4. Religiosus Ordo a civili potestate suppressus Indulgentias suas non amittit. 26 Aug. 1840. *D.* 285.

5. Divisa Provincia, transeunt Indulgentiae et privilegia in Provincias novas. 5 Sept. 1759. *D.* 216.

6. Religiosus vel Monialis non amittit jus ad gratias spirituales, Indulgentias videlicet quae a Summis Pontificibus olim (dum sc. in saeculo degebat) propriae familiae concessae reperiuntur. 16 Jun. 1818. *D.* 244.

—

CAPUT VII.

De facultatum communicatione cum Nostris.

Notanda.

1. Privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones indulta, indulgentiae, remissiones, gratiae et litterae Apostolicae Societati concessae, nec non quae *personis* aut *locis* conceduntur, Praeposito Generali intelliguntur concessae et iis uti non possumus nisi per ipsum aut per alium ab ipso ad hoc deputato; et illorum usus juxta Societatis Institutum, Constitutiones et morem esse debet. Paul III. *N. Bull. p.* 18, Greg. XIII. *Ibid. p.* 55 *et* 56, Leo XII. *Ibid. p.* 352. *Vide Comp. Privil.*

2. Ex communicatione cum FF. Ord. Minorum privilegia etc. uni ex domibus concessa intelliguntur omnibus domibus Ordinis concessa, nisi 1°. in ipsa concessione haec extensio excludatur; 2°. sint temporanea; 3°. vel sint ejusmodi ut non nisi difficulter concedantur. *Comp. Privil.*

§ 1. Per Provincialem.

„Facultates vicennales S. Sedis concedere Nostris Praepositus Provinciae Neerlandicae potest ad eam normam, quam praefinivit R. P. Roothaan ven. mem. in suis de iisdem facultatibus annotationibus." Adm. R. P. N. Antonius M. Anderledy Litteris 28 Junii 1887. *Archiv. Prov.*

Eam normam secutus R. P. van Lil Praep. Prov. Belgicae Litteris d. 21 Nov. 1836 (*Arch. Prov.*) Patribus, qui tunc temporis in Neerlandia residebant, sequentes facultates communicavit:

I. Omnibus Superioribus domorum facultatem benedicendi paramenta etc. ubi non intervenerit sacra unctio. *Supra p.* 6 *n. VIII.* Pro propriis ecclesiis tantum. *Ibid.*

II. Omnibus Confessariis (1).

1. Absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae (puta jam in Bulla *Apostolicae Sedis*); exceptis casibus complicis et falsae denuntiationis. *Supra p.* 7 *et p.* 22. *Absolvere.*

2. Absolvendi ab haeresi et apostasia a Fide et schismate quoscumque, dummodo casus hujusmodi in Dioecesibus ubi audiunt confessiones loci Ordinario non sint reservati. *Supra p.* 7. *n. IX.*

3. Restituendi jus petendi debitum amissum. *Supra p.* 6. *n. IV et p.* 48.

4. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus Castitatis et Religionis, dummodo non agitur de votis emissis in aliquo Ordine aut communitate religiosa. *Supra p.* 6 *n. I et p.* 65.

5. Concedendi Indulgentiam plen. primo conversis ab haeresi, atque etiam Fidelibus quibuscumque *in articulo mortis*, saltem contritis si confiteri nequeunt. *Supra p.* 7. *n. XI.* (2)

6. Benedicendi Coronas etc. ut *supra p.* 8 *n. XIX.* Adde et eas ditare Indulgentiis a S. Birgitta dictis. *Supra p.* 26.

„ Quoad facultates dispensandi in causis matrimonialibus, ne ulla umquam inde offensio sequatur, prudentia suadet, ut non nisi cum magna cautela illis utamur, et ea etiam de causa, illas facultates omnibus promiscue communicare non ausim. Si qui tamen aliquibus ex illis facultatibus indigent, ad me recurrere poterunt, qui probatis causis quae adferentur, illas non negabo." Hucusque Litterae R. P. van Lil. (3)

Addenda est pro Provincia Neerlandica facultas:

---

(1) In litteris 13 Nov. 1836 pro partibus Belgii apponitur haec restrictio: « qui per biennium jurisdictionem habuerunt et aliis etiam quando in Missionibus versantur, » quae restrictio jam etiam pro nostra Provincia valet.

(2) Facultas haec etiam in Belgio concessa est omnibus confessariis.

(3) Ex Epistola Adm. R. P. Roothaan, hisce facultatibus tunc tantum uti licet, cum de matrimonio praeterito incidit casus, numquam autem si de futuro agatur.

Adverte tamen has facultates matrimoniales communicatas fuisse tempore quo in Neerlandia Hierarchia Ecclesiastica nondum existebat; eas autem pertinere ad facultates pro Regionibus Missionum reservatas aut pro locis ubi Hierarchia non existit, vide infra. § 4, p. 91.

7. Benedicendi quinque Scapularia. *Supra p.* 26. *n.* 8.

Hae facultates singulis annis sub Visitatione sunt renovandae.

III. Aliae facultates quas Provincialis communicare potest ex concessione Adm. R. P. Roothaan. *Supra p.* 9.

1. Legendi libros prohibitos. *Supra p.* 5 *n.* 16. *e.*

2. Commutandi Breviarium. *Supra p.* 7. *n. XII.* Strictius interpretando indultum. *Supra p.* 9. In casu urgente Superiores Missionis hac facultate cum suis sociis et pro se uti possunt.

3. Administrandi Sacramenta, cum restrictione. *Supra p.* 8 *n. XVIII.*

4. Dispensandi in esu carnium etc. *Supra p.* 7 *n. XIV.*

5. Erigendi oratoria ubi Nostri resident. *Supra p.* 52.

6. Utendi cum suis subditis privilegiis quae Societati obveniunt ex communicatione privilegiorum. Vide tamen *supra p.* 4 *et p.* 85.

„Circa privilegia apostolica Provinciales non modo habent omnes facultates quae in Compendio facultatum Societatis ipsis conceduntur, sed tum ipsi, tum Visitatores, ubi est periculum in mora, ita ut Generalis responsum expectari nequeat, possunt uti etiam iis privilegiis, quae necessaria sunt, et licet non inserta nostro Compendio, tamen aliqua communicatione Societati nostrae competunt, monito tamen quamprimum Generali de usu privilegii ejusque usu." *Epit. Inst. P. VII n.* 10 ex Reg. Prov. et Praefatione Comp. Privil. Attamen haec facultas a nonnullis in dubium vocatur.

IV. „Ad Provincialem quoque pertinent omnes facultates eorum Superiorum, qui ipsi subordinati sunt, quae ab ipso suspendi poterunt." *Epit. Inst. P. VII n.* 11.

Notandum 1. „Porro facultates et privilegia quaecumque a Superioribus concessa, morte illorum, vel munerum abdicatione non cessant. Sed illi, qui Superiorum maximeque Provincialium munus ineunt, tenentur ut primum commodum illis fuerit, praesentes et coram monere subditos, ut privilegia et facultates a praedecessoribus concessas aperiant, ut eas ipsi vel confirment vel abrogent. Qua facta denuntiatione, si illas subditi non aperiant, de facto pro abrogatis habendae." *Epit. Inst. P. VII n.* 12, ex Decr. 36 Congr. VII.

2. „His facultatibus nullo modo utantur erga Nostros, erga alios autem cum multa discretione, ne ullus abusus aut offensio sequatur,

nec de his cum externis sermonem habeant." *P. v. Lil Litt.* 15 *Nov.* 1836.

§ 2. Per Superiorem domus.

I. Superior domus dare potest facultatem in gratiam Fidelium:

A. *Ex concessione P. Generalis Roothaan.*

1. Absolvendi in casibus papalibus non specialiter reservatis, juxta Leon. XII n. 5. *Supra p.* 3. Item a casibus in Constit. *Apostolicae Sedis* Episcopis reservatis, nisi Ordinarius eos fecit dioecesanos. *Supra p.* 15.

2. Commutandi vota simplicia cum restrictione tamen apposita juxta Leon. XII n. 5. *Supra p.* 3.

3. Dispensandi in foro conscientiae tantum super irregularitate occulta tam ad suscipiendos quam ad exercendos ordines. Leo XII n. 8. *Supra p.* 3 *et p.* 47.

4. Benedicendi coronas; *cum uno alterove Patre.* Leo XII n. XIX. *Supra p.* 8.

B. *Ex privilegio a Ben. XIV concesso.*

5. In Missionibus aut Exercitiis .... absolvendi a peccatis et censuris cuilibet praeter Romano Pontifici specialiter reservatis, juxta allata p. 23.

C. *Ex communicatione privilegiorum.*

Si juxta dicta p. 4 sub n. 14 accepit a Provinciali potestatem utendi et communicandi facultates, quas per communicationem cum Mendicantibus habemus:

6. Restituendi jus petendi debitum conjugale amissum propter incestum. S. Alph. l. 6. n. 1128 et 1076.

7. Dispensandi cum conjugibus in voto castitatis sive post sive ante matrimonium emisso, non absolute quidem sed in ordine ad petendum debitum conjugale. *Ibid. et p.* 56.

8. Dispensandi in voto castitatis ad contrahendum matrimonium iuxta dicta *supra p.* 56.

9. Dispensandi vota non reservata, in quibus non agitur de jure tertii. S. Alph. de Privil. n. 108.

10. Relaxandi juramenta juxta dicta *p.* 48.

11. Concionandi, clericis sola tonsura etc. vide tamen dicta *p.* 32. Ita pro nn. 6—10 *Pagella Prov. Germ. I*, 3 *et* 9.

12. In casu necessitatis uti possunt omnibus facultatibus ut supra de Provincialibus *p.* 87 dictum est: „tenebuntur tamen quamprimum poterunt Generalem et Provincialem etiam vel Visitatorem de ejusmodi usu, ejusque causa certiorem reddere". *Epit. Inst. P. VII n.* 103. Ab aliis hoc in dubium vocatur.

13. Designare altare privilegiatum. *Supra p.* 71; et altaria addere in loco a Provinciali approbato. *Supra p.* 24.

II. Quoad Nostros.

1. Ut hora ante auroram horave post meridiem divinis operentur. Leo XII n. 6 *supra p.* 3. Vide praeterea *p.* 49.

2. Ut celebrent in sacello domestico. Leo XII n. 16. *Supra p.* 4. Addit *Pagella Prov. Germ.* „ac proin altarium numerus augeatur".

3. Suos justis de causis a jejunio et vetitis cibis dispensare. Leo XII n. 16. *Supra p.* 5.

4. Dispensare commutando in divino officio ex adversa valetudine. Leo XII n. 16. *Supra p.* 5.

5. Matutinum Missae postponere si aequum est. Leo XII n. 16. *Supra p.* 5.

6. Declarare in dubio sufficientiam causae antecipandi ad horam secundam breviarium. *Supra p.* 29. Quod et confessarii Nostrorum possunt.

7. „Ut pertinet ad Superiores suis subditis facultates communicare, vel *aliunde* concessis etiam a Generali utendi potestatem facere, ita eorumdem est illarum eis usum, cum expedire judicaverint, vel limitare vel etiam suspendere". *Epit. Inst. P. VII n.* 104 *ex Praef. Comp. Priv. p.* 261.

8. „Etsi potestatem habent designandi confessarios ordinarios Nostrorum, non eos constituent sine approbatione Provincialis. Occasione Renovationis votorum aliquos maturiores Patres assignent, (nisi Provincialis adsit), qui confessiones possint excipere omnium domesticorum." *Epit. Inst. P. VII n.* 129.

Id etiam in domibus faciendum est ubi forte nemo sit vota renovaturus, et singulis annis statuto a R. P. Provinciali tempore in triclinio promulgandum. *Ordin. Adm. R. P. Vicarii* 16 *Maii* 1884.

Tempus a nostro Provinciali determinatum vide *supra p.* 36.

9. „Superiores neminem ex suis subditis possunt cogere ut sibi confiteatur." *Epit. Inst. P. VII n.* 129.

10. Rectores in collegiis etc. quoad absolutionem a casibus reservatis, vide *supra p.* 35 *n.* 6.

11. Possunt Superiores constituere confessarios pro Familiaribus, vide dicta p. 44 et p. 53 v. *Praepositi;*

12. Fratribus laicis concedere licentiam tangendi sacra vasa, *supra p.* 29;

13. Nostros et Familiares nec non hospites sepelire. *Supra p.* 54.

§ 3. Facultates omnibus Sacerdotibus Soc. J. concessae.

1. Possunt uti quacumque formula benedictionis, vide *supra p.* 25.

2. Benedicere aquam S. Ignatii. *Supra p.* 25.

3. Benedicere cingulum S. Joseph. *Supra p.* 25.

4. In Nostris ecclesiis benedicere palmas, cineres etc. *Supra p.* 27.

5. Communionem distribuere in nostris ecclesiis vel oratoriis. Leo XII n. 7. *Supra p.* 3.

6. Missas de *Beatis* dicere extra nostras ecclesias. *Supra p.* 49.

7. Missam dicere cum privilegio altaris pro Sociis defunctis et sodalibus Congregationis B. M. V. *Supra p.* 24.

8. Indulgentias pro catechesi et meditatione promulgare. *Supra p.* 71 *et* 73.

9. Crucem deferre ad infirmos et eis concedere Indulgentiam plenariam juxta dicta superius p. 65.

10. Moderatores Congregationum Sodalibus infirmis Indulgentiam concedere. Juxta dicta superius p. 78.

§ 4. Facultates Adm. R. P. Generali reservatae.

A. *Ex perpetuo concessis.*

1. Dispensare in irregularitate juxta dicta p. 4 et p. 47.

2. Transitus nostrorum ad alium Ordinem. *Supra p.* 55.

B. *Ex Vicennalibus.*

3. Facultates matrimoniales Leo XII n. II. — n. VII. *Supra p.* 6.

4. Reconciliandi ecclesias etc. Leo XII n. VIII. *Supra p.* 6.

5. Consecrandi calices etc. Leo XII n. XIII. *Supra p.* 7.

6. Celebrandi bis in die etc. Leo XII n. XV. *Supra p.* 7.

7. Retinendi et deferendi occulte SS. Eucharistiam. Leo XII n. XVI. *Supra p.* 8.

8. Induendi vestes saeculares. Leo XII n. XVII. *Supra p.* 8.

9. Dandi jurisdictionem Nostris, ubi nulla sit Ecclesiastica auctoritas. Leo XII n. 17 et n. 19. *Supra p.* 5.

De his facultatibus statuit Adm. R. P. Roothaan in Litt. communicationis: „caeteras (i. e. supra enunciatas) facultates Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similes a S. C. de Prop. Fide Sacerdotibus tribui solent". *Supra p.* 9. Id est in locis Missionum ubi ecclesiastica hierarchia instituta non est. *Pagella Prov. Germ.*

C. *Aliae Facultates pro quibus recurrendum est ad Generalem.*

10. Ut in cubiculo infirmi Missa dici possit. *Supra p.* 46.

11. Ut Congregatio Bonae Mortis et Congregatio B. V. M. aggregetur. *Epit. Inst. P. V n.* 82 *et* 87; quod ordinarie per Provincialem rogandum est.

12. Potest Praep. Gen. uti, frui etc. privilegiis quae Societati, sibi aut personis seu locis concessa sunt et ea per se vel per alium aliis de Societate communicare. Greg. XIII. *N. Bull. p.* 55 *et* 56.

—

CAPUT VIII.

De facultatibus personalibus seu privatis.

1. In earum petitione servanda est Ordinatio Adm. R. P. Petri Beckx dici 22 Febr. 1860: „prohibere debet Provincialis, ne quis deinceps aliter quam approbante et mediante Provinciali, nec per aliam viam, quam Procuratoris Generalis sibi vel aliis concedi quaerat quasvis benedicendi, Indulgentias applicandi etc. facultates." *Select. Epist. Praep. Gen.* Vesontione 1877 *p.* 141.

Hanc Ordinationem in memoriam revocavit et pariter sancivit atque confimavit Adm. R. P. Vicarius Anderledy litteris 24 Maii 1885. *Arch. Prov.*

2. „Quoad facultates aggregandi ad varias aliorum Ordinum Confraternitates aliaque Sodalitia a Societate aliena, illae a Nostris nec petendae nec usurpandae sunt. Quod Confraternitates spectat id praesertim intelligitur de regionibus ubi familiae religiosae, ad quas illae pertinent, domicilia habent". *Ibid.*

3. „Opportunum non est ut facultas extraordinarias Indulgentias crucibus et rosariis applicandi pro multis Nostrorum a S. Sede petatur; ac in universum desidero, ut Nostri ad promovendam Fidelium salutem et perfectionem iis potissimum devotionis adminiculis insistant, quae Instituto nostro magis propria sunt, et a majoribus nostris copioso animarum fructu fuerunt adhibita; idcirco omnes multo magis cordi habeant, facultates quas Sedes Apostolica nobis magna liberalitate concessit, fructuose uti, quam novas in dies sibi acquirere". *Ibid.*

4. Quoad earum facultatum usum omnino dependemus a Superioris voluntate, ut dictum est supra p. 89 n. 7. Idque pro re diversa aut quoad liceiatem tantum aut etiam quoad valorem.

CAPUT IX.

De usu Indultorum cum vel sine recognitione Episcopi.

§ 1. Quoad Indulta personalia.

1. Si agitur de Indulgentiis vel facultatibus personalibus ut sunt: Indulgentia in articulo mortis, privilegium personale altaris, facultas benedicendi coronas, numismata etc., recognitio Ordinarii non requiritur; excipe tamen 1°. si agatur de erectione viae Crucis, 2°. si aliter disponatur in obtentis concessionibus. 5 Febr. 1841 ad 2. *D.* 286, et *Schneid. p.* 103.

2. In concessione benedicendi coronas cum Indulgentiis apostolicis hodiedum passim additur: „*Ac de tui Ordinarii consensu, quem nisi obtinueris, has litteras nullas volumus*". *P. Schneider p.* 104.

3. Quoad erectiones Confraternitatem consensus et erectio canonica ab Episcopo est petenda nisi adsit privilegium speciale huic conditioni derogans. Ne autem erectio irrita sit et Sodales Indulgentiis frustrentur ad amussim servanda sunt, quae a S. Sede circa hanc rem prescripta sunt. Consule P. Schneider, *Die Ablässe III Abschnitt.*.

4. Frequenter inscritur in Rescriptis clausula „*arbitrio et conscientiae Episcopi etc.*" „Valor hujusmodi clausularum potest considerari in genere et in specie. In genere consideratus tribuit rationabile arbitrium non quidem plenum sed ad normam juris dirigendum; in specie consideratus vel majorem vel minorem vel etiam nullam tribuit facultatem pro ratione negotii et Rescripti tenore. Sic v. gr. in Rescriptis in quibus dicitur „*SS. annuit pro gratia, et arbitrio et conscientiae Episcopi*" in quibus nihil determinandum reperiatur, gratia censetur facta, cui deest tantum Rescripti executio ut plenum habeat effectum: hoc in casu delegatus non potest denegare executionem, nec illa verba „*arbitrio et conscientiae*" facultatem denegandi executionem tribuunt, nisi forte alia canonica causa occurrat, quae apud S. Sedem non exposita, jure executionem impediat. Namque quando litterae supplicantis Romae cognitae sunt seu ut dici solet justificatae, non potest retardari parata executio per clausuram *arbitrio* ut dixit S. Rota in Lauden. *Vicariae* 29 Mart. 1694" etc. *Acta III. p.* 524. Nota editoris.

§ 2. Quoad Indulta localia.

Agitur hic de Indulgentiis et gratiis quae obtinentur pro parochia, confraternitate, ecclesia, altari etc. quae proinde sunt publicandae.

1. Indulta hujusmodi quoad liceitatem recognoscenda sunt ab Ordinario loci ex Conc. Trid. Sess. XXI de Reform. c. 9. „Indulgentias vero et alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse". Sub nomine Ordinarii intelliguntur etiam Abbates *nullius* non vero alii. *N. Rev. Theol.* t. 18. *p.* 28 ubi agitur de publicando Jubilaeo et designandis ecclesiis quae visitari debent.

2. Dicimus quoad liceitatem. Nam ad qu. „Utrum Indulgentiae loca-

les ... nullae sint, et nullius valoris .... quamdiu eos non publicari permisit illius loci Episcopus?" Resp. S. C. „Negative quoad nullitatem Indulgentiarum; expectanda tamen erit publicatio Ordinarii, postquam illas recognoverit, ut sciant Fideles an sint Indulgentiae plenariae, vel partiales et quae conditiones sint assignatae ad illas acquirendas; et hic est sensus responsionis datae sub die 28 Jan. 1842 in una pariter Rothomagen. pro Indulgentiis localibus, minime vero generalibus seu personalibus, ut infra dicetur". 31 Aug. 1844 ad 1. *Prinz. D.* 566 et *P. Schneider p.* 103. Deest hoc Decretum in N. Edit.

Quandoque tamen additur haec recognitio ut conditio sine qua non.

3. Dantur tamen aliquae exceptiones super hanc regulam quando agitur de erectione Viae Crucis, de publicandis Indulgentiis Confraternitatis, de erectione altaris privilegiati.

§ 3. Quoad Indulta generalia.

1. Indulta quae a Summis Pontificibus pro omnibus Christi fidelibus seu Urbi et Orbi conceduntur, sunt duplicis generis; conceduntur enim vel *motu proprio* vel *ad preces oblatas.*

2. Pro Indultis prioris generis nulla recognitio Ordinarii necessaria est; „quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut Fideles talem Indulgentiam lucrari possint, non requiritur ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, sed sufficit ut certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice esse concessam." 1 Jul. 1839 ad 6. *D.* 273 et *Schneider p.* 102.

3. Idem dicendum de Indulgentiis a Summis Pontificibus jam publicatis et quae ab auctoribus probatissimis citantur. *P. Schneider p.* 103 ex S. C. 31 Aug. 1844. *Prinz.* 566. Ordinariis tamen commendatur ut invigilent ne apocryphae Indulgentiae typis excudantur et publicentur. Vide *Decr.* 371. d. 14 Apr. 1856.

4. Quoad concessiones generales ad preces oblatas duo sunt observanda. 1°. „impetrantes hujusmodi generales concessiones tenentur sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad secretariam S. C. Indulgentiarum deferre", U. et O. 14 Apr. 1856. D. 371; et 2°. antequam publicentur sunt ab Ordinario recognoscendae juxta ordinationem Concilii Tridentini supra § 2, n. 1 allatam.

5. Quando agitur de Indulgentiis precum formulis concessis, insuper sequens decretum est observandum: „Preces in publico recitandae, pro quibus petitur Indulgentia, exhibeantur prius Sac. Ci. Rituum, quibus si ita visum fuerit probatis, tunc ab hac S. Congregatione (sc. Indulgentiarum) examinentur, utrum expediat, iisdem applicare aliquas indulgentias. S. C. 7. Jul. SS. 9 Jul. 1777. *D.* 239.

6. Quoad *collectiones precum* pro quibus Indulgentiae petuntur statutum est: „ut in posterum nullae admittantur instantiae, nec concedantur Indulgentiae supplicibus libellis, novas preces continentibus, novasque pro iisdem Indulgentias postulantibus, idque inhaerendo Decreto s. m. Pii PP. VI sub die 9 Jul. 1777." 9 Jul. 1816. *D.* 242. Pro formulis precum separatis conceduntur Indulgentiae. Vide infra cap. X. n. 5.

7. Quae servanda sint, quando agitur de Indulgentiis et precibus typis edendis, dicetur infra capite sequenti, et P. II. Sect. II c. VI.

8. Quid servandum sit in regionibus ubi Inquisitio existit, vide S. C. 24 Jul. 1673. *D.* 8.

9. SS. Pater concedit Indulgentias vel in aliqua Audientia, vel per Secretariam Brevium, vel per S. C. Indulgentiarum, vel per S. C. de Prop. Fide vel etiam per S. Poenitentiariam etc. *P. Schneider p.* 117, *n.* 14. Nostri recurrant per Provincialem ad Procuratorem Generalem Societatis. Vide supra p. 91.

—

CAPUT X.

Servanda in edendis Summariis Indulgentiarum et precibus quae habent indulgentias adnexas.

1. In decretis de libris prohibitis, quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III. n. 12: „Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. C. Indulgentiarum."

2. S. C. Indulgentiarum hujus Decreti sequentem dedit declarationem: „Articulum XII § III .... ita ese intelligendum et in praxim deducendum, ut si agatur de edenda concessione alicujus Indulgentiae,

vel Summarii Indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico, vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate S. Congregationis jam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earum Indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); e contra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. C. Indulgentiarum licentia." S. C. 14 Dec. 1857, SS. 22 Jan. 1858. *D.* 384. *Schneid. p.* 105.

3. Elenchi Indulgentiarum pro quibus existit specialis prohibitio sunt:

1°. Elenchus Indulgentiarum Viae Crucis. Vide infra Part. II, Sect. III, c. XVII, § 1, n. 4.

2°. Elenchus Indulgentiarum quas SS. D. concedit benedicendo coronas etc. non potest edi versa in linguam vernaculam sine approbatione S. C. Indulg. infra Part. II. Sect. III, c. X, § 1, n. 21.

3°. Raccolta di Orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le Sante Indulgenze. „De hoc opere SS. mandavit, ut, si contigerit eamdem collectionem in aliud verti idioma, hujusmodi versio typis publicari non possit absque approbatione hujus S. Congregationis." U. et O. 30 Sept. 1852. *D.* 361. *Schneid. p.* 105.

Nihil vero impedit, quominus ex illo opere excerpta publicentur vel preces in vernaculam versas modo accedat approbatio Ordinarii ut patet ex superioribus n. 2. *Schneid. p.* 105.

Illius operis existit versio gallica anni 1878 a S. C. approbata.

4. Summaria a S. C. Indulg. approbata dant: P. Schneider in opere Die Ablässe, Paderborn, Ferd. Schöningh 1884; — qui vertit opus P. Ant. Maurel: Le Chrétien eclairé sur la nature etc. des Indulgences; — Pallard; Terrasson etc.; et idem P. Schneider in Rescriptis authenticis S. C. Indulgentiarum Part. II.

5. Quoad alias preces, Indulgentiis ditatas, adverte:

1°. Preces illas recitari posse *quocumque idiomate*, modo versio sit fidelis et approbata ab uno ex Ordinariis loci ubi illa lingua est vulgaris. 29 Dec. 1864. *D.* 415.

2°. Ubi in Indulto habetur „*corde saltem contrito*" significatur actum contritionis perfectae eliciendum esse ab illo qui est in peccato mortali, qui

vero est in statu gratiae hoc actu non necessario indiget. U. et O. 17 Dec. 1870. *D.* 427.

3°. Quando pro nova oratione seu pro oratione jam in usu postulatur Indulgentia tunc primo approbanda est a S. C. Rit. et dein, obtenta Indulgentia, exhibenda est concessio S. C. Indulg. juxta regulam generalem: „impetrantes posthac *generales* concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad secretariam ejusdem S. C. deferre 28 Jan. 1756. D. 205. Verum, si hujus documenti exhibitio facta non est, quam primum postea fit, Indulgentia valere incipit sine nova Pontificis concessione. *Theol. Mor. Lehmk. II. p.* 389.

—

CAPUT XI.

Facultates concessae a RR^mis et Ill^mis DD. Archiepiscopo et Episcopis Neerlandiae.

§ 1. In Archidioecesi Ultrajectensi.

„Per praesentes, ad beneplacitum tamen Nostrum et Successorum nostrorum sequentes facultates concedimus:

„1. Rev. Patribus Societatis Jesu jurisdictionem habentibus in una e Dioecesibus Provinciae Ecclesiasticae Neerlandicae, eamdem jurisdictionem occasione Missionum aut quorumcumque exercitiorum spiritualium (1) in Archidioecesi Nostra Ultrajectensi, cum facultate absolvendi a casibus tum Summo Pontifici, tum Nobis quomodocumque reservatis, exceptis tamen casibus Bullae Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*, et cum extensione etiam ad Moniales. Haec jurisdictio concessa intelligatur pro toto tempore, quo laudati Rev. Patres, occasione Missionum aut aliorum exercitiorum spiritualium de consensu suorum Superiorum in hac Nostra Archidioecesi morantur aut alio itinerando per eam transeunt.

1. Sub hoc nomine intelligitur etiam Adoratio XL horarum in quantum cum eadem aliqua exercitia spiritualia conjuncta sunt, i. e. ut qui mittitur saltem unam concionunculam faciat. *Declaratio Rmi Archiep.* 24 *Febr.* et 26 *Mart.* 1886 Eandam declarationem dedit Episcopus Ruraemundensis.

„2. Rev. plurimum Patri Provinciali Neerlandiae Societatis Jesu pro tempore existenti, ut subditis suis in aliqua Dioecesi hujus Provinciae Ecclesiasticae approbatis, impertiri valeat jurisdictionem ad *quatuordecim* dies in ecclesiis Nostrae Archidioeceseos quibus Rev. PP. Soc. J. deserviunt, exercendam."

R^mus ac Ill^mus DD. Petrus Mathias Snickers, Archiepisc. Ultraj. Rescripto 12 Jan. 1885. (1)

§ 2. In Dioecesi Harlemensi.

„1. Concedimus ad beneplacitum tamen Nostrum et Successorum Nostrorum PP. Societatis Jesu, qui mittuntur ut in *domo religiosa* exercitia spiritualia tradant, pro tempore exercitiorum, facultatem audiendi et absolvendi, etiam a casibus sive Summo Pontifici etiam specialiter, sive Episcopo reservatis, non tantum personas ad quas mittuntur, sed alios quoscumque in dicta domo domicilium vel quasi-domicilium habentes. - - Volumus tamen ut illa exercitia non tradantur antequam a Superiore illius Institutionis a Nobis ad id consensus petitus obtentus sit. Vide *Brev. Conspect.* n. 2, p. 100.

„2. Concedimus ad beneplacitum tamen Nostrum et Successorum Nostrorum PP. Societatis Jesu, jurisdictionem habentibus in una e Dioecesibus Provinciae Eccles. Neerl., eandem jurisdictionem occasione Missionum aut quorumcumque exercitiorum spiritualium in Dioecesi nostra Harlemensi, cum facultate absolvendi a casibus tum Summo Pontifici etiam specialiter tum Nobis quomodocumque reservatis, exceptis tamen casibus Bullae Ben. XIV quae incipit *Sacramentum Poenitentiae* et cum extensione etiam ad Moniales. Haec jurisdictio concessa intelligatur pro toto tempore, quo laudati PP. occasione Missionum aut aliorum exercitiorum spiritualium de consensu suorum Superiorum in hac nostra Dioecesi morantur, aut alio itinerando per eam transeunt.

„3. Rev^s plurimum Patri Provinciali pro tempore existenti, ut subditis suis in aliqua Dioecesi hujus Provinciae Ecclesiasticae approbatis impertiri valeat jurisdictionem ad *quatuordecim dies* in ecclesiis nostrae Dioeceseos, quibus PP. Societatis Jesu deserviunt, exercendam."

(1) Ill. Rev. Sua viva voce declaravit, has facultates non nisi pro sua vita perdurare.

R^mus ac Ill^mus DD. Caspar Bottemanne, Epus Harlem. Rescripto 3 Decembris 1884.

§ 3. In Dioecesi Bredana.

Eaedem facultates concessae sunt ac in Archidioecesi Ultrajectensi, sed additur:

„Parochis et Ecclesiarum Rectoribus in Nostra Dioecesi licentiam damus, ut occasione solemnitatis, quae in reparationem injuriarum, quae Jesu Christo in SS. Eucharistiae Sacramento irrogantur, in Missionibus institui solet, Sanctissimum in ostensorio detecto exponi possit.

Rev^mus et Ill^mus DD. Joannes van Genk, Episc. Bredanus, Rescripto 3 Dec. 1859.

Supradictas facultates prorogavit usque ad revocationem Rev^mus et Ill^mus DD. Henricus van Beek, Episc. Bredanus, 23 Jan. 1875. *Arch. Prov.*

§ 4. In Dioecesi Buscoducensi.

1. Patres omnes Societatis Jesu qui in aliqua Dioecesi hujus regni jurisdictione gaudent et a Provinciali ad *Missiones* vel *quasi-missiones* mittuntur, possunt cum consensu Parochorum quorum interest, verbum Dei praedicare et in foro conscientiae absolvere Christi fideles ab omnibus peccatis sive Summo Pontifici sive Episcopo quovis jure reservatis, etiam ab haeresi et abortu. (1)

Concessit usque ad revocationem Rev^mus et Ill^mus DD. Joannes Zwijsen, Archiepisc. Ultrajectensis et Administrator Apostolicus Buscoducensis litteris dici 19 Maii 1853. *Arch. Prov.*

2. Rescripto 19 Maii 1853 illae facultates extenduntur ad eos, qui mittuntur, ut Religiosis Feminis exercitia spiritualia tradant, quoad ipsas Religiosas tantum. (2)

3. „Facultates ut supra extenduntur etiam ad eos qui Sacerdotibus exercitia tradunt." Rescript. 24 Sept. 1862. *Arch. Prov.*

4. Alias concessiones ex Syn. Buscod. vide infra Cap. seq. n. I.

(1) Exceptis casibus Bullae Benedic. XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae.*

(2) *Auctoritate Ordinarii* missi possunt audire confessiones etiam scholarium. Syn. Buscod. Cap. XXVI p. 91.

§ 5. In Dioecesi Ruraemundensi.

A Rev^mo et Ill^mo Episcopo Ruraemundensi DD. F. A. H. Boermans eaedem facultates concessae sunt ac in Archidioecesi Ultrajectensi rescripto 29 Julii 1887, sequentis tenoris:

„Ut similis concedendi ratio in variis regni Dioecesibus promoveatur, jurisdictionem et facultates tum Rev^is Patribus Soc. Jesu, tum etiam eorum Reverendo plurimum Patri Provinciali in Neerlandia eodem modo concedimus in nostra Dioecesi ac in Archidioecesi Ultrajectensi." *Archiv. Prov.* (1)

Brevis conspectus harum facultatum.

Nostris, qui habent jurisdictionem in aliqua Dioecesi Neerlandica, R. P. Provincialis jurisdictionem etc. dare potest:

1. *Pro Missionibus*, in omnibus Dioecesibus. R^mus ac Ill^mus Archiepiscopus autem desiderat ut RR. DD. Parochi certiorem eum reddant de missionibus habendis.

2. *Pro Recessibus*, item; sed Harlemensis vult ut in domo religiosa Superior vel Superiorissa prius consensum ab Episcopo obtinuerit, quam tradantur exercitia; cuius rei cura autem ad dictum Superiorem aut Superiorissam non vero ad Nostros spectat.

3. *Pro quibuscumque exercitiis spiritualibus*, ut sunt triduanae, novendiales etc. exercitationes sub quibus concionatur; item in omnibus Dioecesibus, si saltem vocem *quasi-missio*, quod habet Indultum Buscoducense hoc sensu interpretari licet. Vide tamen notam sub § 1 supra p. 97.

4. Indultum Ultrajectense, Harlemense, Bredanum et Ruraemundense extendit hanc jurisdictionem ad totum tempus, quo Patres occasione Missionum etc. in Dioecesi de consensu suorum Superiorum commorantur, aut alio itinerando per eam transeunt.

Buscoducense nihil habet hujusmodi.

5. Pro ministeriis in nostris ecclesiis dari potest jurisdictio ad 14

(1) Hoc rescripto revocatae sunt facultates olim a Rev. et Ill. DD. A. Paredis Rectori Trajectensi ad Mosam et Rectori Collegii Sittardiensis concessae.

dies in omnibus Dioecesibus, excepta *Buscoducensi*. Quoad munus concionandi, confer supra p. 32 ad vocem: *Concionare*.

Quas facultates in variis circumstantiis particularibus quisque confessarius in sua tamen respectiva Dioecesi tantum habeat, videri potest capite sequenti: sc.

In Dioec. Ultraj. et Buscod. § 1 n. VI, VII et VIII, p. 103.
„ „ Bredana § 2 n. III et IV, p. 104.
„ „ Harlem. § 3 n. III, p. 105.
„ „ Ruraem. § 4 n. VII, p. 107.

§ 6. In Dioecesi Leodiensi.

Episcopus Leodiensis *Rectori Soc. J. Trajecti ad Mosam* potestatem dedit „delegandi Patres Soc. J. in Conventu Mosaetrajectensi degentes, ut de consensu Parochorum seu quorum interest per totam ejus Dioecesin verbum Dei praedicare, Christi fidelium confessiones excipere eosque injuncta salutari poenitentia a peccatis et a casibus Episcopo non specialiter reservatis absolvere valide et licite possint, quoties a curam animarum habentibus in auxilium advocati fuerint. Concedimus *ad quinquennium*. Datum Leodii 21 Sept. 1881. *Arch. Dom. Traject.*

Quoad Expositionem SS^mi.

Concessum est in omnibus dioecesibus Neerlandiae, ut in Missa et in Laudibus SS^mum exponatur in ostensorio die primo et ultimo Missionis, Novenae, Tridui (modo sub hoc concionetur); reliquis vero diebus in ciborio detecto sub Laudibus tantum. *Synod. Dioec.*

In Bredana insuper vide supra p. 99.

CAPUT XII.

Casus reservati ab Episcopis in Dioecesibus Neerlandicis.

§ 1. In Ultrajectensi et Buscoducensi.

1. Haeresis.
2. Apostasia a Fide Catholica, a Religione vel ab Ordine.
3. Homicidium directe voluntarium.

Haec crimina quae praecedunt, tunc tantummodo Episcopali Nostrae

sententiae reservare volumus, cum excommunicatio, seu reservatio Papalis, ob ignorantiam censurae vel aliam quamcumque causam contracta non fuerit.

4. Sodomia perfecta a masculis commissa.

5. Bestialitas a maribus similiter pratrata.

6. Incestus a masculis patratus cum persona consanguinea in omni gradu lineae rectae et in primo et secundo lineae transversae.

7. Injuriosa legitimorum parentum, patris nempe vel matris, percussio.

8. Solemne perjurium vel falsum testimonium in judicio datum coram judice sive ecclesiastico sive laico vel ejus delegato.

9. Adulterium concubinarium, sive adulterantes in eadem sive in diversa domo habitent.

10. Procuratio abortus directe intenta foetus sive animati sive inanimati, et quaecumque positiva ad abortum cooperatio, effectu secuto; cujus delicti absolutionem Nobis detinemus, etiamsi delinquens excommunicatione, Episcopo reservata, innodatus non sit.

NB. 1. Cum autem alicui potestatem tribuimus relaxandi casus Episcopales, sola hac generali concessione non impertimur ei facultatem absolvendi a peccatis *haeresis* et *abortus*, quatenus haec scelera Nobis reservata sunt, aut a censuris ab *homine particulariter* latis, aut alias *specialiter* reservatis.

2. Porro casus *Episcopales*, *Nobis* reservati sub his limitationibus intelligendi sunt:

I. Peccatum debet esse interne simul et externe grave, in sua specie consummatum, undequaque certum, certoque nondum declaratum, et a pubere commissum.

II. In articulo mortis ad mentem Conc. Trid. cessat omnis reservatio, poteritque deficiente approbato, quilibet sacerdos quemvis poenitentem absolvere a peccatis et censuris, *quae obstant Sacramentorum susceptioni et sepulturae ecclesiasticae*, salva de caetero juris dispositione, ut sic absolutus a censura reservata, cessante mortis periculo, quam cito commode poterit, se sistat superiori aut facultatem habenti.

III. Peccata reservata, bona fide in confessione omissa, non irritant absolutionem, sed detecta deinde exponi debent confessario habenti facultatem ab iis absolvendi.

IV. Valet absolutio a reservatis, si ea poenitens bona fide confessus est non habenti necessariam potestatem; bona tamen fides poenitentis non excusat a peccato confessarium, qui absolvere ausus fuerit.

V. Si poenitens confessus peccatum reservatum confessario gaudenti facultate pro una vice, postea rediens saepius se idem peccatum commisisse exponit, quam in praecedente confessione declaraverat, facultas ab iis absolvendi huic confessario concessa habeatur.

VI. Ubi deest copia habentis facultatem pro reservatis, quilibet confessarius valide absolvat etiam a suspensione Summo Pontifici non reservata, quam forte incurrit, Sacerdotem qui, quod avertat Deus, casus reservati reatum incurrit, si debeat celebrare ne populus careat Missa die obligationis, vel si Missae celebrationem omittere non possit sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus aut gravi obloquio; item si teneatur administrare aliquod Sacramentum necessitatis. Attamen pro suspensione, quae reviviscit, statim ac fieri poterit, ad habentem potestatem recurrendum erit.

VII. Confessariis in hac Dioecesi approbatis potestatem facimus absolvendi a casibus *Nobis* reservatis, etiam ab haersi; et abortu, quoties confessionem excipiunt vel in ordine ad Matrimonium, vel ad susceptionem S. Viatici, Extremae Unctionis, et Communionis infirmorum; insuper quoties aegrotus confitetur quamvis S. Communione reficiendus non sit.

VIII. Eamdem hanc facultatem concedimus omnibus memoratis confessariis quoties confessionem audiunt in locis, in quibus celebratur sacrum Missionis exercitium vel Oratio XL horarum, vel Jubilaeum, atque etiam cum in ecclesia, ubi celebratur festum Patroni loci aut ecclesiae, ipso solemnitatis die vel pridie vel infra octavam ejus Festi, Poenitentiae Sacramentum ministrant. *Acta et statuta primae Synodi dioecesanae Ultrajectensis a°.* 1867 *celebratae* p. 45—48. Idem habent *Acta et statuta Syn. dioeces. Buscoducensis, eodem anno* 1867 *celebratae.*

§ 2. In Bredana.

1. Haeresis.
2. Apostasia ut in Ultrajectensi.
3. Incestus a masculo patratus cum sua consanguinea in omni gradu

lineae rectae et in primo gradu aequali aut primo cum secundo mixto lineae collateralis.

---

4. Injuriosa percussio legitimi patris vel matris .... absolute gravis ita ut mortaliter mala esset etiam respectu cujusque hominis.

5. Procuratio abortus directe intenta foetus sive animati sive inanimati, et quaecumque ad abortum cooperatio, effectu secuto.

NB. 1. Nullus confessarius, quamvis potestatem habeat in quaecumque reservata, absolvere potest extra mortis articulum a censuris ab homine particulariter latis.

2. Porro casus Episcopales Nobis reservati sub his limitationibus intelligendi sunt.

I. Peccatum debet esse interne etc. ut supra p. 102, I.

II. Si poenitens confessus .... reservatum .... habenti .... a reservatis bona fide erraverit circa numerum .... quantum ad illum excessum non amplius censeatur reservatum. (*Confer supra p.* 103 *V.*)

III. Cuilibet confessario in hac Dioecesi approbato facultas tribuitur absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis, etiam a suspensione Summo Pontifici non reservata, quotiescumque poenitens est in necessitate communicandi vel celebrationem missae omittere non posset .... aut si teneatur celebrare ne populus die obligationis Missa careat. (*Confer supra p.* 103, *VI.*)

IV. Eadem facultas iisdem conceditur, quoties confessiones excipiunt in ordine ad Matrimonium; item dum excipiunt confessionem personae quavis de causa domi retentae, sive susceptio S. Eucharistiae vel Extremae Unctionis sequatur sive non.

Item quoties confessionem audiunt in locis ubi celebratur Sacrum Missionis vel Tridui exercitium, vel oratio XL horarum vel Jubilaeum, atque etiam ubi celebratur festum Patroni etc. ut in Ultraj. *Supra p.* 103, *VIII.*

V. Confessarius cui datur potestas absolvendi a reservatis, nulla addita restrictione, potest absolvere ab omnibus casibus propria Episcopi auctoritate reservatis, etiam ab haeresi publica et abortu olim exceptis, nisi incursa sit censura, pro qua speciali facultate opus est. *Acta et statuta syn. dioec. Bredanae* 1868.

§ 3. In Harlemensi.

1. Apostasia ut in Ultraj. *p.* 101, n. 2.

2. Incestus a masculis patratus cum persona consanguinea in omni gradu lineae rectae et in primo lineae transversae.

3. Injuriosa percussio legitimorum parentum ut Ultraj. p. 102, n. 7.

NB. Porro casus Epicopales Nobis reservati sub his limitationibus intelligendi sunt:

I. Peccatum debet esse interne etc. ut Ultraj. *Supra p.* 102, *I.*

II. In articulo mortis etc. ut Ultraj. *Supra p.* 102, *II.*

III. Confessariis in hac nostra Dioecesi approbatis potestatem facimus absolvendi a casibus Nobis reservatis, etiam a duello, quoties confessionem excipiunt vel in ordine ad Matrimonium etc. ut in Ultraj. *Supra p.* 103, *VII.*

IV. Eadem facultas iisdem conceditur quoties confessiones audiunt in locis in quibus celebratur sacrum Missionis aut Tridui exercitium, vel oratio XL horarum vel Jubilaeum, atque etiam cum in ecclesia, ubi celebratur festum Patroni etc. ut in Ultraj. *Supra p.* 103, *VIII. Acta et stat. syn. dioec. Harlemensis* 1867.

§ 4. In Ruraemundensi.

1. Haeresis formalis, quando propter ignorantiam censurae non est Summo Pontifici reservata.

2. Apostasia a fide (ad judaismum, mahometismum, paganismum) a Religione aut Congregatione approbata animo non redeundi ad illam vel aliam, sed saeculariter vivendi; ab Ordine majori ad statum saecularem; si uxorem ducere attentaverit, est ipso facto excommunicatus.

3. Homicidium directe voluntarium, si clerici, reservatur Summo Pontifici.

4. Sodomia perfecta inter masculos commissa et bestialitas consummata.

5. Incestus cum persona consanguinea vel affini in primo vel secundo gradu; uti et copula cum muliere religiosa quae in Monasterio vel Congregatione approbata votum perpetuae castitatis emisit.

6. Injectio manuum in parentes injuriosa violenta deliberata, cum gravi percussione patris, matris, avi aut aviae.

7. Procuratio abortus directe voluntaria aut positiva ad abortum cooperatio, effectu secuto sive foetus animatus sit sive non.

9. Adulterium ut in Ultraj. *p.* 102, *n.* 9.

10. Machinatio in mortem conjugis, cum alteruter malitiose aliquid externe facit, vel faciendum ab alio curat, quod tendit ad mortem comparti adferendam etiamsi mors non sequatur.

NB. 1. Concessa generali facultate, non datur potestas absolvendi ab apostasia, homicidio (cui aequiparatur abortus animati) aut ab haeresi, si quis publice transit ad sectam haereticam vel illi per falsae fidei professionem aliove modo adscribatur.

Concessa speciali facultate absolvendi ab abortu foetus animati, simul conceditur facultas absolvendi a censura ipsi annexa.

2. Porro reservatio sub his limitationibus est intelligenda:

I. Peccatum debet esse mortale, internum simul et externum et in sua specie consummatum; sit certum et a pubere commissum.

II. In articulo mortis potest deficiente approbato, quisque Sacerdos quemlibet poenitentem a quibuscumque peccatis absolvere, uti ab omnibus censuris, quae obstant Sacramentorum susceptioni et ecclesiasticae sepulturae: monendus tamen poenitens de obligatione sese post convalescentiam sistendi Superiori vel habenti a reservatis sub poena reincidendi in easdem censuras.

III. Si poenitens bona fide omiserit confiteri reservata, ... valeat absolutio sive habenti .... a reservatis confessus fuerit sive non habenti, ac sufficit postea peccatum omissum confiteri confessario communi.

IV. Valeat etiam absolutio a reservatis si ea poenitens bona fide confessus fuerit non habenti ... et ab illo ex ignorantia vel inadvertentia sacramentalem percepit absolutionem.

V. Si poenitens reservatum una cum aliis confitetur ... habenti ... a reservatis sed propter indispositionem invalide absolvitur, tollitur reservatio, nisi indispositio proveniat ex voluntaria reticentia alicujus peccati mortalis. (Vide tamen Gury ed. 1852 n. 440, cf. Ballerini t. II, n. 580.)

VI. Ubi deest copia habentis pro reservatis, quilibet confessarius valide absolvit etiam a casu speciatim Nobis reservato, atque a censura jure episcopali lata Sacerdotem ... si debeat celebrare ne populus

carcat Missa die obligationis, vel Missae celebrationem omittere non possit sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus aut gravi obloquio; item quoties occurrit aliquod Sacramentum administrandum; attamen pro suspensione quae reviviscit, statim ac fieri poterit, ad habentem potestatem recurrendum est.

VII. Quilibet confessarius in hac Dioecesi approbatus valide absolvit a casibus etiam speciatim Nobis reservatis, dum excipit confessionem quae spectat ad Matrimonium, licet confessio illud aliquibus diebus antecedat; vel ad susceptionem S. Viatici, Extremae Unctionis et Communionis infirmorum etiam devotionis causa; imo quoties infirmi confitentur quamvis S. Communione reficiendi non sint. Item dum confessiones excipit eorum qui in carcere detinentur.

VIII. Si poenitens ex hac Dioecesi in aliam tendit, etiam eo fine ut absolvatur a casu hic reservato, valet absolutio. *Acta et stat. syn. dioec. Ruraemundensis* 1867.

II. DE TRADENDIS EXERCITIIS S. P. N.

SECTIO I.

DE TRADENDIS EXERCITIIS PER MODUM SECESSUS.

CAPUT I.

Qualis esse debeat, qui tradit exercitia.

1. Exercitia spiritualia S. P. N. magni faciat; sunt enim donum speciale a Deo Societati datum et ad finem nobis propositum aptissima et mirae efficacitatis.

Consulantur: Paul. III *Pastoralis*, 31 Jul. 1548, *Liber exercitiorum;* Bened. XIV *Quantum Secessus*, 29 Mart. 1753, *Instit. Prag. t. I, p.* 257*; N. Bull. p.* 301*; Epit. Inst.* Part. V n. 59; *Directorii* prooemium; *Bolland.* 31 *Jul. t. VII* Comment. praevius § V—§ X et Gloria posthuma § III—§ V; Ant. Natalis S. J. De coelesti conversatione, *Part. II Cap. XIV;* Litt. Encycl. R. P. Roothaan, *in principio libri exercit.;* Lancicius, *Opusc. VI.* Praefatio et *Opusc. XVII* n. 51.

2. Omnes Sacerdotes procurent sibi dexteritatem ea tradendi. S. P. N. *Constit. Part. IV, Cap. VIII* § 5 et *Reg. Sac.* 7ª.

3. *Media.* 1°. Totum librum bene teneat. *Direct. Cap. V* § 7; *et Cap. X* § 3. — 2°. Sit bene versatus in rebus spiritualibus. *Ibid.* § 1. — 3°. Conferat cum aliquo magis exercitato suum procedendi modum, bene annotando quod magis vel minus convenire deprehenderit. *Constit. l. c. E.* — 4°. Primo in minoribus se exerceat. *Ibid.* — 5°. Adjungatur ut socius Patri, qui in hoc genere ministerii excellit. *Ibid.*

4. Servent omnes, quantum fieri potest, in iis tradendis uniformitatem; in hunc finem juxta votum Congregationis Iª conscriptum est Directorium quod a Congregatione V fuit recognitum, „ne suo

quisque ingenio et placito exercitia interpretaretur, ex quo novi ac varii subinde modi introducerentur." *Direct. Prooem.* § 10—§ 12.

5. Sit ipse homo orationis et vere spiritualis, prudens, discretus. „Juvabit etiam ut singula exercitia, antequam ea tradat, aliquantulum ipse meditetur, si fieri poterit, ut ea melius imprimat alteri." *Ibid.* § 8.

Maxime Caput V Directorii est perlegendum.

—

CAPUT II.

Quales sint oportet, quibus exercitia plene tradantur.

1. „Exercitia Spiritualia, ait S. P. N., plene non nisi paucis eisque hujusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur, tradenda sunt."

„Primae hebdomadae exercitia ad multos, et aliqua conscientiae examina, et modi orandi (praesertim primus....) ad multo plures etiam extendi possent, quivis enim bona praeditus voluntate ad haec idoneus erit." *Const. Part. VII Cap. IV, F*; *Part. IV, Cap. VIII, E; Liber Exerc. Annot.* 18.

2. Quales autem eos S. P. cupiat, describitur in Directorio Cap. I § 7 et Libro Exerc. Ann. 19 et 20.

3. Cum his sequenda est methodus in Directorio descripta.

4. „Iis vero qui ad hujusmodi exercitationes apti non esse videntur... proponi debent ea, quae ipsorum captui conveniant, et quibus ad servitium Dei Domini Nostri illi juventur." *Const. Part. III Cap. I, R.*

—

CAPUT III.

Exercitia viris ecclesiasticis quomodo tradenda.

§ 1. Praeparatio remota.

1. Patres serio coram Deo perpendant, quanti momenti sit ad majorem Dei gloriam opus quod suscipiunt, quantique referat ad Societatis nostrae commendationem, ut bene et solide ex mente S. P. N.

exercitia spiritualia Clero tradantur .... Si uspiam, hic opus est diligenti praemeditatione et peculiari ad Deum recursu ea parare quae dicturi sunt, (*Reg. Concion.* 16); humilitatem prae se ferre, (*ibid.* 18); modestiam vocis et gestus servare (*ibid.* 22); non videri aliquem velle reprehendere (*ibid.* 12 *&* 13 *et Miss.* 19); ac tandem eos sibi benevolos reddere, qui prodesse possunt, ut praescribitur *Regula* 7 et 8 Missionariorum.

§ 2. Scopus intendendus.

2. Scopus particularis hic intendendus describitur in Directorio Cap. X § 10: „Si sint Ecclesiastici, ita erunt instituendi in exercitiis, ut cognoscant quantam virtutem exigat ille status, eamque acquirere cupiant et doleant, si non hactenus habuerint. Quare ita dirigendi sunt, ut vitia et pravos affectus exuere decernant et contrariis se virtutibus ornare, quae ecclesiastico homini necessariae sunt; ut semper meminerint, se cultui divino et Ecclesiae ministerio dicatos et consecratos esse, ideoque munus suum implere satagant; ut etiam beneficiorum proventus recte dispensare et in eos usus quos oportet erogare studeant; denique ut etiam zelum Dei habeant et pro animarum salute juxta vires et talentum et officium elaborent". Ad pleniorem notitiam, vide infra § XI *Examen conscientiae.*

3. Instructio, quam Provinciales Belgici olim Missionariis dederunt plura habet valde utilia quae hic referenda videntur (1). Monet autem: excitandus inprimis et promovendus spiritus orationis et solidae pietatis, utpote sine quo nil boni sperare licet a Sacerdote, sed potius timenda sunt plurima. — Commendandum insuper studium Theologiae, lectio Sacrae Scripturae et librorum spiritualium; demum ut tempus suum impendant utilibus et necessariis scientiis acquirendis. *Instr. Belg.* n. 15.

Semper aliquid debita cum reverentia et prudentia in conferentia vel extra eam de confessione exercitantium dicatur, uti de confessariorum obligatione tempore exercitiorum. *Ibid. n.* 16.

De castitate sacerdotali aliquando directe, aliquando indirecte, fortiter semper prudenterque, cum horrore vitii dicatur. *Ibid. n.* 17.

(1) Instructio haec data fuit anno 1842, 1843 et 1847. Continet: 1. Quaedam monita et 2. Quaedam puncta religiose servanda. *Archiv. Prov.*

Convenit tria commendare: 1°. Ut habeant ancillas aetate satis provectas, pias et modestas, etc. 2°. Ut in confessionali poenitentes semper paterne tractent. 3°. Ut sigillum scrupulosissime servent. *Ibid. n.* 18.

Inculcanda obedientiae necessitas etc. *Ibid. n.* 20.

Fovenda unio et coniunctio inter auctoritatem Ecclesiasticam et civilem et observantiam cum nobilibus et magnatibus; et hoc ex motivo virtutis modestiae et charitatis et ex urbanitate. *Ibid. n.* 21.

Agendum, data occasione, de directione personarum deliberantium de vitae statu etc. *Ibid. n.* 22.

Quidquid autem sapit rem politicam non attingendum; (*ibid n.* 24) nec res Societatem nostram spectantes. *Ibid. Monit.* 10.

§ 3. Exercitia quomodo instituenda.

I. *Meditatio.*

4. Ita exercitia ex Libro S. P. N. moderanda sunt, ut Sacerdotes non quiescant in bona confessione, sed ut et animentur ad omne exercitium virtutis sacerdotalis. *Instr. Belg. n.* 14. Inchoetur semper a Fundamento, cui exercitia primae hebdomadae subsequantur; i. e. principia et veritates ibi a S. P. propositae eodem ordine proponantur, sed non absolute seu non semper ea sub forma quae in Libro Exerc. habetur, quod fastidium crearet, sed applicative ad statum sacerdotalem. *Ibid. Monit.* 5. Ex reliquis hebdomadis ea sumantur quae ad scopum particularem magis conferunt.

5. Proponantur quotidie tres meditationes et una fiat conferentia; quod si Praesidi videbitur penultimo die duae conferentiae haberi poterunt. *Ibid. n.* 3.

6. Post expositam meditationem, supersit horae quadrans, ut sacerdotes audita recolant. Conferentia ad summum horam expleat. *Ibid. n.* 4.

7. Meditatio exponatur in ecclesia, conferentia extra eam. *Ibid. n.* 5. Etiam sub hoc exercitio ad risum movere, est contra mentem S. P. et officit bono fructui.

8. In meditationibus utendum semper stola et superpelliceo; in conferentiis non utendum. Si Episcopus adest *et mos fert*, ante singulas meditationes qui eas tradit, explicatam stolam ferens in brachio sinistro

petat ab eo benedictionem, qua accepta, stolam induat et pulpitum ascendat. *Ibid. n.* 6.

9. Vitanda est forma concionatoria et tenenda forma meditationis. Praecedat igitur actus praesentiae Dei et sequantur solita praeludia, quo tempore omnes genuflexi maneant, donec punctorum explanatio incipiat. *Ibid. n.* 7.

10. Puncta ex S. Scriptura, SS. Patribus et Conciliis praesertim localibus confirmare multum placet.

II. *Lectio spiritualis.*

11. Lectionis spiritualis tempus, primis praesertim diebus, utiliter impendetur in explicandis breviter variis regulis et monitis ex Libro Exerc. et in libello: *Vade mecum* impressis. *Ibid. n.* 8.

III. *Examen.*

12. Examen regulariter semper instituatur ab ipso Praeside. Erit repetitio bonorum propositorum, admonitio ad servandum ordinem diurnum et ad reparandas infractiones etc. etc. *Ibid. n.* 10. Urgeatur praesertim silentium et recollectio animi. Alii hac occasione percurrunt varia officia Sacerdotis per modum examinis generalis.

§ 4. Monita ad Praesidem.

13. Tempestive assignet socio suo materias, quae ab eo sunt tractandae.

14. Noscat statuta dioecesana recentiora, ut observantiam illorum pro opportunitate commendare valeat. *Ibid. n.* 15.

15. Habeat aliquos graviores Sacerdotes, qui ipsum admoneant de iis rebus, quae sibi utiles esse possunt. *Ibid. n.* 13.

16. Efficiat prudenter ne Sacerdotes omnes confessarii sint, designentur vero ex aptioribus sufficienti numero. *Ibid. n.* 25.

17. Procuret pariter ne alii Sacerdotes, quam illi qui integra exercitia obeunt, intersint meditationibus et conferentiis. *Ibid. n.* 26.

18. Quantum potest efficiat: 1. ne invitentur quidam selecti post prandium aut coenam ad scyphum vini; 2. ne abeant ante plene finita exercitia, nisi Praeses ab Episcopo constitutus in urgente quadam necessitate specialem ad hoc facultatem dederit. *Ibid. n.* 27; 3. Praeses exercitiorum suo tempore Indulgentias promulget. *Vide supra p.* 73.

§ 5. Officium confessarii.

19. Confessarii poenitentem omnino cogant occasionem proximam relinquere in materia contra sextum. Videant, an in ipsis exercitiis, an mox post ea occasio proscindenda sit. Rari sunt casus in quibus permitti possit ex occasione proxima facere remotam. *Ibid. n.* 19.

§ 6. Officium instructoris.

20. Nostri sint modesti, sed non adeo timidi ut auditores timere videantur, ne arescat sermo. In docendo bonitatem exhibeant, sed sermo sit nervosus. *Ibid. Monit.* 7.

21. Omnibus Sacerdotibus benevolos se ostendant, sed sine arte aut fictione. Libenter eorum confessiones audiant. Eos in recreatione neque nimium quaerant neque nimium fugiant, semper, ut par est, et publice et privatim reverentiam illis exhibeant. *Ibid. Monit.* 8.

§ 7. Breviarii recitatio.

22. Si fiat in communi, satisfacere possunt recitando Officium loci. *Vide supra p.* 29.

§ 8. Indulgentiae concedendae et publicandae.

23. 1°. Indulg. plenaria. *Supra p.* 73. 2°. Pro precibus perseverantiae. *Supra p.* 75 *et* 76.

§ 9. Ordo diei. (1)

Hora 5 Surgitur. *Preces matutinae.*

„ 5½ *Meditatio.*

Examen meditationis et *annotatio fructus.* — Completo nimirum exercitio meditationis, discussio fit per quartam circiter horae partem, ad videndum quonam modo meditatio successerit. Si male, inquiritur causa, cum poenitudine ac emendationis proposito; sin vero bene, gratiae aguntur Deo, et scribuntur paucis divina lumina, et proposita meditationis tempore concepta.

(1) Olim generatim in usu. Potest esse norma.

Hora $6^1/_2$ *Tempus liberum.* — Bene intelligant exercitantes, tempus liberum in rebus spiritualibus esse impendendum. Fit., v. g. praeparatio ad confessionem tempore exercitiorum instituendam. Serio cogitatur de vita et functionibus sacris bene ordinandis. Inquiruntur viae, quibus hoc, vel illud vitium.... exstirpari, haec, vel illa virtus.... acquiri possit. Fit pia scriptio, ut supra. Commendatur oratio; frequens SS. Sacramenti visitatio. Pia lectio si instituatur, cum ea materia conveniat, quae eadem hora aut die consideranda venit; verbo, semper aliquid pie agatur ut particula boni doni non te praetereat. Omnia tamen suaviter et absque capitis contentione fiant.

„ 7 *SS. Missae Sacrificium.*

„ $7^1/_2$ *Jentaculum*, sub quo lectio ex Imitatione Christi. Potest dein sumi aliqua mentis relaxatio in silentio usque ad 8^{am}.

„ 8 *Prima* et *Tertia. Lectio spiritualis per* $^1/_2$ h., et dein tempus liberum, ut supra.

„ 10 *Meditatio.*

Examen meditationis, et annotatio fructus, ut supra.

„ 11 *Sexta* et *Nona.* Dein *tempus liberum.*

„ $11^3/_4$ *Examen conscientiae generale et particulare.* Tempore exercitiorum objectum *particularis examinis* est, accurata ordinis praescripti observatio, in spiritu amoris, et ex vero proficiendi desiderio. Modus utriusque examinis hic est: in praesentia Dei 1°. gratias agere pro beneficiis acceptis; 2°. petere lumen a Spiritu Sancto ut videantur peccata et defectus, et ut sincere corrigantur; 3°. examinare se circa cogitationes, verba et opera; videre quae sit anima actionum, quae radix peccatorum; dein examinare se *in particulari* circa observantiam ordinis diurni; 4°. dolere de commissis; 5°. proponere meliora. In fine: *Pater* et *Ave.*

„ 12 *Prandium*, dein *Recreatio* modesta et pie hilaris.

„ 2 *Rosarium* — *Vesperae* et *Completorium*, in communi. Dein *tempus liberum.*

„ 3 *Conferentia.* Dein *tempus liberum.*

Hora $4^1/_2$ *Matutinum* et *Laudes*. Dein *tempus liberum*.
„ $5^1/_2$ *Meditatio*.
Examen meditationis, ut mane.
„ $6^1/_2$ *Adoratio Sanctissimi*, seu *Laudes vespertinae decantatae*.
„ 7 *Coena*. Dein *Recreatio*, ut post prandium.
„ $8^1/_4$ *Preces vespertinae*. *Examen conscientiae Puncta Meditationis crastinae*. Cantatur *Adoro te*.

Observationes.

1°. Silentium rigorosum tota die, excepto recreationis tempore, servandum est. 2°. Confessio instituí potest quacumque hora, excepto tempore meditationis et conferentiae. 3°. Tribus primis diebus, nemo celebrat Missam, nisi cum facultate Praesidis exercitiorum.

MONITA

pro exercitiis spiritualibus rite obeundis.

1°. Mirum in modum juvatur qui suscipit exercitia, si magno animo atque liberali accedat, totum studium et arbitrium offerat Creatori ut de se suisque omnibus statuat juxta beneplacitum. *Annot.* 5 *ex* 20. „Magnam ideam concipiat de exercitiis et spem, futurum ut jaceat „fundamenta spiritualis profectus futura usui per totam vitam. Statuat „igitur viriliter agere et omnia impedimenta divinae gratiae rejicere „et omnes animae vires intendere, ut cooperetur gratiae acceptae. Spem „magnam concipiat in Dei bonitate et liberalitate, qui cum etiam errantes „requirat, et fugientes sequatur, multo magis qui ad se bono animo „accedunt, recipiet et complectetur. Quare confidat in illa infinita „clementia, quae cum pium illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam „ac vires exequendi bene ac fructuose, siquidem voluntas ejus est „sanctificatio nostra." *Exercit. S. Ignat. et Director. Exercit.*

2°. „Inter caetera vero ita etiam animo constitutus sit ut libenter „et avide exercitia aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine „perfruatur, quam ut Dei voluntatem de se intelligat, suumque affectum „a terrenis omnibus avellat, et eum in suo Creatore collocet. Illud „vero maxime necessarium, ut praeter hoc desiderium proficiendi in „spiritu, sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei, in iis, in quibus

„adhuc liber est: itaque animo paratus sit ut quidquid a Deo cognoverit „faciendum esse, omnino exequi decreverit." *Director. Exercit.*

3°. Tanto majorem quis faciet progressum quanto magis ab amicis notisque omnibus, et ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit. Quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem se ipsam reddit ad quaerendum attingendumque Creatorem ac Dominum suum, ad quem, quo propius accedit, eo melius ad suscipienda bonitatis divinae dona disponitur *S. Ignat. in Exercit.*

4°. „Non ponat modum ac terminum Dei donis ita ut usque ad „quosdam limites se illuminari ac juvari velit, non autem amplius. „Nam praeterquam quod valde indecens est ut creatura hoc modo „agat cum suo Creatore, valde etiam sibi ipsi nocet: primum quia „seipsum privat illis majoribus donis, quae Deus fortasse daturus erat: „dein quia illa ipsa illiberalitas et restrictio et ingratus in Deum „animus meretur, ut ne ea quidem accipiat, quae vellet accipere. Quare „debet potius animi sinum dilatare, ut quam maxime possit sese „cum Deo conjungere, et quam maxime ab eo ditari et locupletari „thesauris istis coelestibus desideret." *Director. Exercit.*

„Magni fructus, qui ex exercitiis consequi solent, sunt pax et „quies animae, lumen interius et cognitio ad bonam gubernationem „totius vitae quocumque in statu." *Director. Exercit.*

§ 10. Examen status conscientiae,

quod exercitiorum tempore aliisque temporibus salubriter instituitur, ut vita sacerdotalis et Sacri Ministerii functiones quam optime ordinentur.

I. CIRCA DEUM.

An aestimas vacationem tuam sanctissimam?

An serio laboras ut ad status tui perfectionem pervenias?

An quotidie *meditaris?* Cur efficacissimum hoc salutis et perfectionis medium negligis?

Quomodo te habes in *examine conscientiae?*

Num vitium aliquod particulare extirpandum, aut virtutem aliquam acquirendam per *examen particulare*, statuisti? Quodnam est illud vitium, quae illa virtus?

An juxta praxin timoratorum sacerdotum, et monita majorum, *singulis octiduis* confessionem tuam, quantum fieri potest, instituis; aut illam saltem ultra quindenam non differs?

An non confiteris sine sensu, sine emendatione, ex consuetudine? An non quaeris confessarium tibi nimis facilem, qui nec *interrogat*, nec *dirigit*, nec *stimulat*?

Qua attentione ac devotione *breviarium* recitas?

An illud in ultimam horam non differs?

An non celebras *SS. Missae Sacrificium* absque seria praeparatione, cum festinatione? An rubricas exacte servas? An in altari, aut ad altare accedens, ab eove recedens oculos modeste demissos tenes? An non decurtas gratiarum actionem? An non eam aliquando in medio strepitu peragis in sacristia?

An omnia verba bene pronuntias? An reverenter genuflectis? Quomodo signum crucis formas?

An *Sanctissima* leviter, irreverenter, sine majestate, sine reverenti compunctione non tractas?

An omnem diligentiam et curam adhibes ut in distribuenda *S. Communione* nulla particula perdatur? An observas ea, quae ad ejusmodi profanationem praecavendam praescripta sunt?

An *Viaticum* defers servatis caeremoniis praescriptis? An cordi habes ut cum decore comitentur fideles quando fieri potest?

An non oculis vagis et animo dissipato interes *officiis divinis*, processionibus, vesperis etc.?

An invigilas ut *vasa sacra* sint munda, deaurata interius; ut *altare* niteat; ut *linteamina* reficiantur, laventur, mutentur; ut *ornamenta* non sint lacera, illuvie sordida; ut *tabernaculum* sit decens, bene mundum, ut species renoventur tempore praescripto; ut *sacrista* et *ministri* sint reverentes erga SS. Sacramentum, ut bene respondeant ad altare, et decenter sint vestiti? *Seligantur adolescentuli pietate ac morum honestate commendabiles, riteque sint instructi de sacris caeremoniis.* Ita monet *Syn. Prov. Ultraj. p.* 198.

An *silentium in sacristia* servatur ab omnibus?

An in causa non es, ut fides in populo minuatur per ipsos ecclesiae homines?

An curas *ecclesiae bona*, fundationes, fabricam? An varii libri, qui ex statutis praescribuntur, bene sunt ordinati? An non nimium differs Missas celebrandas; vel sordide computas taxam?

II. CIRCA PROXIMUM.

An maxime curas instructionem *parvulorum*, et scholas?

An omni modo conaris animare eas praemiolis, visitatione, etc.? An studes ut tibi devincias ludi-magistros? An pro posse obsistis pravae instructioni?

An cordi habes *catechismum?* An parvulos, si fieri potest in classes dividis? An pueros separas a puellis?

An septennes aut octennes pueros jam allicere conaris ad S. Confessionem; aut an damnabilem praxin tenes eorum confessiones et absolutionem negligendi, donec ad primam Communionem se debeant praeparare?

An maximi facis *primam Communionem?* An adhibes praeparationem remotam, proximam, per confessionem frequentiorem, per catechismum, etc.?

An ipso die primae Communionis servas receptas et extra-ordinarias caeremonias, renovationem votorum baptismatis, etc.?

An post primam Communionem maxima cura foves adolescentiam, catechismo, praemiolis, confraternitatibus, congregationibus, recreationibus honestis?

An admones *parentes* de officio circa pueros?

An curas parochiam frequenti et populari *concione?* An repetis saepe puncta scitu necessaria? An teipsum, an populi quaeris utilitatem in concionando?

An *matrimonio jungendos* interrogas circa instructionem, impedimenta, etc., et in confessionali, an caste examinas conjuges, num omnia secundum ordinem fiant?

An totis viribus allaboras ut eradicetur *blasphemia*, *morum corruptela?* Aliquando juvat oratio publica, confraternitas, vel alia pia industria. An contra choreas facis quae per prudentiam facere potes?

An operam das ut efficaciter obsistatur lectioni pravorum librorum? An cordi habes ut, adhibitis variis adminiculis et industriis, boni libri spargantur in populo?

An negligis docere populum simplicem meditandi seu reflectendi modum, quem tanti fecerunt viri sanctitate et experientia conspicui?

An loqueris aliquando de vocatione, et de praeparatione ad statum amplectendum per vitam vere christianam?

An visitas ex officio parochiam? *Syn. Prov. Ultraj. p.* 90. An quaeris, dum potes, ovem perditam? An zelose allaboras conversioni *peccatorum?* Numquid nimis facile arbitraris non esse emendationis spem.

Quomodo te habes in visitatione *aegrorum*, moribundorum? An maximi facis hoc opus misericordiae? An hic vere *pastor* et *pater* es? An te impendis, et superimpendis pro sublevandis *pauperibus?*

An laboras ut frequens et salutaris *usus Sacramentorum* introducatur? hic labor, hic fructus.

An observas *residentiae leges* et statuta? Dum autem justa de causa abes, an alius vices supplet? An non multiplicas deambulationes et absentias; an praemones, ubi sis?

Quomodo obis munus *confessarii?*

An, ut *pater*, charitate plenus, teipsum sponte offers, frequenter, mane, pro populi commodo? An recipis benigne, an compateris, an cor poenitentis dilatas, an stimulas, an disponis? Dum cogeris remittere, an media praescribis, ea benignitate, ut cordi poenitentis stimulus inhaereat redeundi ad patrem? An omnia media tentas ut prodigum Deo reconcilies?

An, ut *medicus*, examinas, prudenter interrogas, non nimium festinas? Quid si poenitens difficili morbo laborat, an patiens es? An applicas remedia pro natura morbi, pro qualitate personae, et status conditione? An das poenitentias *salutares?* Distinguisne inter morbum et morbum; inter recidivos et consuetudinarios? Dum dubitas, an consilium ab aliis exquiris? An studes satis ut dubitare possis? An sigillum scrupulose servas? An numquam leviter de confessionali, de conscientiae casibus loqueris, praesertim coram laicis, et maxime jocandi gratia?

An, ut *doctor*, instruis, dirigis? An dirigis ad status sui perfectionem, *ut vitam habeant, et abundantius habeant?*

An, ut *judex*, pacate, independenter et sine acceptione personarum, sine respectu humano, *exerces Dei judicium?* An principiis inhaeres?

An severior, an laxior es? Utrumque saepe ex charitatis defectu.

An ex fide, et ex amore erga J. C. et proximum, multum afficeris erga munus confessarii?

An in confessionali diligenter custodis oculos, et cor?

An adhaeres poenitentibus? An praefers divites pauperibus? An ita agis erga poenitentes ut sciant tibi non ingratum esse, si quando apud alium confessarium confessionem peragunt? An bonos extraordinarios confessarios populo procuras, occasione alicujus solemnitatis? Utrumque hoc punctum momenti maximi duxerunt sanctissimi viri, et suis praescripserunt.

An oras antequam confessiones excipias?

An tempore confessionis idem orationis medium, intimis suspiriis, in difficultatibus praesertim, adhibes?

An gravissimi momenti munus habes *sacerdotum confessiones excipere?* An eos *interrogas*, *dirigis* et *stimulas?* An erga eos observas omnes praedictas regulas?

An proficis in *devotione erga B. V. Mariam?* Quomodo hanc devotionem in populo promoves? *Cf. Syn. Prov. Ultraj. p.* 91.

III. CIRCA TE IPSUM.

Quae tua *passio dominans?* Quae tentatio te maxime pulsat? Quomodo superas eam?

An *determinatum aliquem ordinem sequeris* in rebus domesticis, in studiis, in functionibus sacris; vel an omnia quasi casu peragis?

An e libris asceticis conaris acquirere scientiam Sanctorum tum tibi, tum aliis ducendis maxime necessariam? An non negligis *lectionem spiritualem?*

Nihilne contra conscientiam operaris ex amore placendi, vel displicendi timore? An non blandiris divitibus et imperiose agis erga pauperes? Nulli velle cedere, non exquirere consilia, vix umquam dubitare; superiorum dicta, facta examinare, dijudicare, in malam partem interpretari.

An sedulo vitas rusticitatem, inurbanitatem, saecularem levitatem, detractionem adeo frequentem etiam inter sacerdotes, qui minus sibi invigilant?

An sermo frequens de cibo et potu?

An deditus es conviviis, compotationibus, nimio lusui cum dispendio studii animarum, temperantiae et famae?

An non abundantior tibi supellex, copiosior cella vinaria, omnia vitae commoda; dum interea Domus Dei, pauperes, et bona opera in summa sunt angustia? An iis contentus es, quae valetudini, et modestae ac sacerdotali recreationi congruunt?

An vitas sedulo minimam incontinentiae suspicionem, sacerdotali gravitate et modestia? An non adhaeres personis quibusdam, maxime piis? An familiaritatem cum sexu, et omnem levitatem, ut pestem mortiferam abhorres? Qualis es in conversatione, an morosus, an contra levis? An visitationes non instituis inutiles, nocivas? An non habes praedilectionem pro quibusdam personis, cum populi offendiculo?

An habes *ancillam moribus non minus quam aetate gravem, famae integerrimae, non luxui servientem, non garrulam?* Ut eam vult. *Syn. Prov. Ultraj. p.* 295.

An nihil ipsi, vel aliis de parochiae administratione communicas, ex quo saepe dissensio in Clero, obloquia et scandala in populo oriuntur?

An ita agis cum ancilla, nepte, sorore etc. ut numquam oriatur nimia facilitas, quae familiaritatem, contemptum et alia mala pariat?

An parcus haberis a populo, et revera talis es? An exigis jura tua usque ad ultimum quadrantem, in quacumque circumstantia? An thesaurizas, et cui? An sine causa debita contrahis? An multa consumis in sumptuosis conviviis? An oeconomia est in re domestica? An ex habendi cupiditate, iteratis postulationibus oneri non es et dolori superioribus, scandalo externis et subditis? An non ambis quaestum in sacris? An parochias ex nummis non ponderas?

Quomodo impendis tempus quod tibi a functionibus sacris liberum est? An studes rebus solidis; primum necessariis, dein utilibus, reservans curiosa, quamvis honesta, in recreationis tempus?

Ignorantia in Sacerdotibus, mater est cunctorum malorum, quae in Ecclesia Dei oriuntur. CONC. TOLET. IV.

—

CAPUT IV.

Exercitia quomodo Religiosis tradenda.

De his agit Directorium capite IX § 3. Omittimus ea quae spectant Religiosos vitae laxioris.

1. „Si dediti sunt orationi mentali et devotioni, tunc prima hebdomada brevius percurri poterit, ut diligentius immorentur in meditatione vitae Christi." § 3.

2. *Scopus* particularis: „Illud vero in prima hebdomada et deinceps praecipue curandum erit, ut in sua vocatione confirmentur et sibi persuadeant, hanc viam sibi constitutam esse ad beatitudinem consequendam; ut Regulas sui Ordinis plurimi faciant et eas quam diligentissime observent, et ad suum Institutum quam maxime afficiantur; ut causas intelligant, quare adhuc minus profecerint, et ad hunc finem meditationes et examina dirigantur; quod ab initio explicandum erit, et deinde semper continuandum." § 4. Etiam zelum concipiant alios juvandi. § 5.

3. *Modus* procedendi idem esse potest, quem pro Nostris sequimur. *Vide Direct. Cap. X* § 2 *et* § 6.

4. „Quia fere expedit ab aliqua purgatione inchoare, convenit ut aliqua exercitia purgativa non praetermittant, ut de morte, et de peccatis, praesertim reflectendo ad ea quae in Religione admiserint." § 4.

5. „Hoc primum curari debet, ut quam maximam sui ipsius acquirant cognitionem, percurrendo tempus anteactum, et occupationes vel officia; et in eis perpendendo tum multitudinem defectuum suorum, tum etiam gravitatem ratione status et obligationis, tum denique etiam considerando causas et origines et radices eorum vitiorum." § 8.

6. „Materia reformationis haec fere est: passiones non bene domitae, mali habitus, perversae inclinationes, ut ad honorem et aestimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates etc., tentationes ab extrinseco provenientes; deinde etiam ministeria; denique omnes actiones quas aliquis componere et ordinare velit, ut comedere, dormire, studere, agere cum externis vel cum suis, et alia." § 7.

7. Plerumque juvandi sunt in meditationis explanatione, ut v. g. „in Fundamento, postquam cogitaverint finem hominis, actuet hunc

finem in eo statu in quo nunc sunt." § 5. „Ad Mysteria vitae et Passionis Domini poterit via aperiri, si nonnullae veritates theologicae proponantur, v. g. cum de Incarnatione agitur, si causae ejus et fructus explicentur; aut cum de Passione, si causae acerbitatis ejus; si etiam insinuentur modi eam meditandi, v. g. ad compatiendum, ad imitandum, ad admirationem, et sic de aliis." § 11. „Sic etiam variari forma meditationis poterit et vitari taedium semper eadem audiendi."

8. „Poterit etiam Instructor aliquas meditationes statui cujusque vel necessitati praesenti accommodatas addere; ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de causis cur vota renoventur, de formula votorum, de divinis beneficiis, de periculo tepiditatis, et hujusmodi. Interdum etiam ex praecipuis Regulis etc. Et in universum eae sint materiae, quae ad timorem et amorem Dei, ad sui ipsius odium, virtutis studium, rerum visibilium contemptum, aeternarum desiderium, atque charitaris ardorem pertinent." § 10.

9. Annotationes, additiones, regulae variae ut de scrupulis, de discretione spirituum primae hebdomadae praesentim etc. saepe utilem praebent pro Instructionibus materiam.

10. „Nullam reformandi Cleri, aut Monialium, aliorumve Religiosorum curae partem admittant." *Reg.* 19 *Mission.* Summopere etiam caveant, ne quidquam in Regulis, vel statutis Ordinis seu Congregationis improbent, quod passim non sine scandalo aut damno spirituali fieri potest.

11. Publicentur suo tempore Indulgentiae relatae, supra p. 73 et p. 75 et 76.

—

CAPUT V.

Exercitia quomodo laicis tradenda.

1. Videndum primo quem scopum intendant et juxta hunc finem quaedam exercitia seligenda sunt ex prima hebdomada, prout dicitur in Libro Exerc. Annotatione 18 ex 20 et in Directorio Cap. IX; et quidem, si sunt conjugati, vide ibi § 9; si magnates, § 11. (confer etiam Lanc. opusc. XIII, Cap. XIX); si rudes et illitterati, § 15; si foeminae, § 16.

2. Communicentur et ipsis Indulgentiae: 1°. Indulg. plen. *Supra p.* 73; 2°. pro precibus perseverantiae. *Supra p.* 75 *et* 76.

3. Dentur ipsis in fine monita opportuna ex eis quae infra habentur pro fine missionis. Infra c. XXIII.

—

CAPUT VI.

Relatio de exercitiis traditis.

1. Magnopere commendat S. P. N. „litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium, et crebro alios de aliis certiores fieri ac audire, quae ex variis locis ad aedificationem et eorum quae geruntur cognitionem, afferuntur." *Const. Part. VIII Cap. I* § 9.

2. Quare missionarius non omittat, peractis exercitiis ad Provincialem de eis relationem mittere juxta schema in hunc finem confectum. Dicatur: ubi, a quo vel a quibus; a die — ad diem; quibus, quot, qua occasione. Quot meditationes de die, quot conferentiae, quot lectiones ex quo auctore; quot confessiones auditae, quae industriae adhibitae — Fructus; difficultates; quae in posterum commendanda, quae vitanda. Ea vero quae secretum exigunt, in epistola separata scribat.

SECTIO II.

DE MISSIONIBUS.

CAPUT I.

De praestantia missionum.

1. Experientia constat, Deum solere hujusmodi exercitiis speciales gratias tribuere, fructusque inde provenientes plerumque esse uberrimos, ut: inveteratorum peccatorum conversiones, inimicorum reconciliationes, injustitiarum reparationes, turpium conjunctionum dissolutiones, illegitimorum connubiorum adunationes, turbatae pacis in familiis jucundae

instaurationes, ac ut verbo omnia comprehendamus, in universo auditorum coetu fidei et religionis incrementum. Ita Eps. Brugensis. *Instructio Belgica de Missionibus* § *Utilité.* (1)

Cf. Ben. XIV „*Gravissimum*" 8 *Sept.* 1745. *Bullar. ed. Mechl. Vol. III pag.* 220. — *Synodus Prov. Ultraj. Tit. VI. Cap. IV.* — *S. Liguorio. Lettre à un nouvel Evêque sur la nécessité des Missions. Tom. XI pag.* 477. *Ed. Paris* 1836. — *Nampon, Manuel du Miss. Chap.* 1. — *Lancic. Opusc. XIII. Cap.* 1.

2. Missiones sunt ex praecipuis nostrae Societatis functionibus, ut patet ex Const. Part. VII et ex Congr. V Decr. 46 ubi insuper commandatur, ut Nostri in hoc saluberrimo ministerio diligentius et frequentius exerceantur.

3. Sacerdotes ergo sedulo se ad eas praeparent, ut vocati seu missi necessaria adjumenta prae manibus habeant, et dicant res non communes sed quae solide instruunt et animos movent. *Instr. Belg. n.* 1.

4. Sibi etiam illam eloquentiam reddant familiarem quae hujus generis exercitationibus est propria, sit popularis sed nunquam trivialis.

Cf. S. Liguorio, Instructions pour les Prédicateurs. Oeuvr. Compl. Paris 1836. *Tom. XI p.* 425. — *Lancic. Opusc. XIII lib.* 3. *Cap.* 16, 17 *&* 18. — *Nampon, Chap. III.* § 1.

—

CAPUT II.

Quae a missionario sunt observanda.

1. Quae a Missionario sunt observanda habentur primo in Regulis Sacerdotum, Concionatorum, eorum qui in Missionibus versantur et Peregrinorum, quae ab ipso identidem sunt perlegendae juxta Reg. 52 Summarii.

2. Deinde *ex Ordin. Gener. Capit. I* § 18 *et Congr. VI Decr.* 39.

a. „Feminas ne visitent, nec eas ad se domum venire sinant quacumque de causa, sed in templo si necesse fuerit."

(1) Instructio haec Belgica: Des Missions egregia habet de necessitate et utilitate missionum ac de ratione eas tradendi. *Archiv. Prov.*

b. „Externos ad mensam numquam invitent, nec se ab aliis invitari patiantur, quantum in ipsis erit."

c. „Pecuniam quoad fieri potest non accipiant; si accipere cogantur, sic impendant, ut memores sint paupertatis et aedificationis, ejusque rationem Superiori postea reddant." *Confer Reg.* 11 *Peregrin.*

3. Praeterea *in Instr. XII pro Missionibus.* R. P. N. Claudius Aquaviva monet:

„§ 2. Omni studio enitantur, ut continuam veramque inter se *unionem* habeant cum patiendi desiderio, quandoquidem haec necessaria sunt fundamenta ad finem propositum et ad bonam *aedificationem* apud omnes conciliandam; meminerintque hanc esse vocationem nostram, in qua primi Patres nostri se exercuerunt. Ob eam causam orationem matutinam et examen vespertinum (1), quoad ejus fieri poterit numquam praetermittant: et procurent tum in hac tum in caeteris rebus intimam *unionem cum Deo*, a quo pendet omnis actionum nostrarum recta institutio et efficacia." *Confer Reg.* 14, 25, 26 *Mission. et Reg.* 2 *Concion.*

„§ 3. Cum primum ad oppidum seu vicum pervenerint, ante omnia primariam ecclesiam adeant; et post brevem orationem, prout temporis ratio et ipsorum commoditas ferit, agant cum Parocho vel alio Cleri Praelato. Res ad *victum* necessarias quidem ad sustentationem sufficientes esse oportebit, sic tamen, ut aedificationi semper consulatur."

„Si *Ordinarius* ibi residet, eum quam primum adeant, (*Reg.* 7 *Mission.*) ab eoque benedictionem petant."

„§ 4. *Interrogent* eumdem Presbyterum de peccatis populi magis usitatis, de usuris, concubinatu, inimicitiis, abusibus, superstitionibus, etc. ut majori cum luce et utilitate animarum, sermones suos laboresque dirigant. Confert plurimum, si quam boni nominis saecularem personam sibi concilient, cujus opera apud alios utantur."

„§ 12. Ubi *Religiosos* cujuslibet Ordinis nanciscuntur, omnem in illos benevolentiae significationem declarare studeant; eosque in Domino, quoad fieri potest, lucrifacere."

---

(1) S. Fr. Xav. de examine monuit suos: aucune occupation, si grave qu'elle puisse être, ne doit vous empêcher de l'accomplir. *Extraits des Lett. de S. Fr. Xav., pag.* 73.

„§ 13. Observabunt subinde et *annotabunt*, quae digna videbuntur, de quibus Praelatum admoneant. Itemque praecipua notatu digna pro Annalibus."

4. Studeant inprimis prodesse *viris* et *juvenibus*, ut monere solebat S. P. N., S. Fr. Xav. et novissime Adm. R. P. N. in Litt. Encycl. 10 Dec. 1875. Idem in Litt. a P. Prov. 28 Aug. 1877 communicatis. (*Cf. Nampon. Chap. II, n.* 26.)

5. Nec tempore missionis aut recessus, nec illis absolutis *excursiones* faciant, absque licentia a R. P. Provinciali, vel in casu necessitatis aut magnae utilitatis a Superiore missionis obtenta. (Ad mentem Congr. XVI Decr. 25; n°. 39 inter varia Decr. quae singulis annis publice praelegi debent; et nuperius Congr. XXII Decr. 40, cujus observationem commendavit Adm. R. P. N. Encycl. 5 Feb. 1860 n. 3; 12 Mart. 1861 n. 10; et 16 Jun. 1881 n. 18; et in specie pro nostra Provincia: „Intelligant, missione peracta statim domum esse revertendum, in qua Superiori pareant. Ut vero viribus domi reficiendis praebenda est occasio, ita disciplina domestica eximendi non sunt." Litt. Prov. 28 Aug. 1877.

6. De *Privilegiis* et Facultatibus nostris nullus fiat sermo, et eorum usu nemo offendatur. *Reg. Comm.* 38. In proferendis opinionibus super res morales sint prudentes et modesti. De iis quae in confessionali acciderunt, numquam loquantur. *P. v. d. Kerckh. Manuale* § 18. *pag.* 84.

Ad ampliorem notitiam adeat: P. Lancic. Opusc XIII Lib. 3, de Missionibus; Nampon Manuel ch. II, Du Missionaire, de ses qualités, de ses vertus, des règles de conduite, qu'il lui conviendrait de suivre; P. v. d. Kerckh. Man. § 7, 10 et 14 qualitates boni missionarii; Extraits des Lettres de S. Fr. Xav. pag. 62 (in ed. Léon Pagès liv. IV Lettre IX), et pag. 73—82, 101—106, 107—112, 115—118.

—

CAPUT III.

Monita ad confessarios.

1. Sacerdotes loci ne audiant confessiones, nisi in casibus omnino specialibus et raris; et forsan ubi pueri audiendi sunt. *Instr. Belg. pro Mission.* § *Reflexions générales n.* 3.

2. Nec missionarii concionatores nimium in confessionali occupentur; in omni casu sibi tempus sufficiens reservent, quo se praeparent ad concionem, Praeses vero ut omnia rite dirigat. *Ibid. n.* 1.

3. Si nostri non sufficiant numero confitentium, advocandi sunt Sacerdotes saeculares, quod a Parocho est faciendum. Ut numerum confessariorum determinet, „noverit (ait P. v. d. Kerckh.) singulos confessarios vix ultra 50 vel 60 confessiones de die excipere posse propter confessiones generales quae saepenumero interveniunt, etc. (1) Ne advocet eos qui noti sunt ut laxiores, severiores, aut zelum animarum non habentes". *P. v. d. Kerckh. Manual.* § 15 *pag.* 59.

Nimia festinatio in confessionibus audiendis saepe parum aedificat Parochum; poenitentes insuper existimant se tempore missionis quoddam jus habere ut pro voluntate sua cor totum effundant et omnia dubia exponant.

Praeterea quietas reddere conscientias est unus ex fructibus missionis. *S. P. N. Liber Exerc. Annot.* 18.

4. „Confessarii inter seipsos, et in modo procedendi cum poenitentibus, conformes esse curent" *Reg.* 12 *Sacerd. ex Const. Part. III cap. I* § 18 *etc.* Haec Regula praesertim tempore missionis cordi habenda. *P. v. d. Kerckh.* § 13.

Ideo ante missionis initium Patres cum Parocho et Vicariis conferant de abusibus qui exstant et de casibus particularibus qui occurrunt, et simul statuant praxim quam circa ea sequentur, quibusnam absolutionem negabunt, quas conditiones imponent etc. Et omnia scripto exarabunt, ut ea communicentur confessariis adscitis, petita simul eorum sententia. (*Instr. Bely. de mission.* § *Personnel.*) Differre hanc conferentiam usque ad adventum aliorum confessariorum periculosum est; nam dissensio oritur et raro ad certam et pacificam conclusionem pervenitur. *P. v. d. Kerck.* § 22. *n.* 11.

5. Confessiones adultorum ne audiantur, nisi postquam praecipuae ex magnis veritatibus propositae sunt, et ideo in missione 8 dierum

(1) Haec norma non est absolute sumenda, sed attendatur tunc praesertim ad eam, quando parochia est excolenda ubi a longo tempore nulla missio data fuit, aut quando multiplices et graves abusus in eam irrepserunt.

non ante diem 4^{m} et in missione 12 dierum *non ante* diem 5^{m}. (1) Praemitti potest, si opportunum videatur solemnis benedictio crucis missionis (2), cui omnes confessarii adstant, ut hac peracta immediate ad confessionalia tendant. *P. v. d. Kerck. Man.* § 18. *pag.* 70.

6. Curet Praeses, ut *puerorum confessiones*, quae numquam sunt omittendae, ante hunc diem (4^{m} vel 5^{m} ut supra) absolutae sint. Vide infra: *Missio puerorum.*

7. *Surdi* audiantur in sacristia, die et horis a Praeside indicatis et tempestive e cathedra nunciatis. *Instr. Belg. de mission. Réflex. génér. n.* 10.

8. *Infirmi* audiuntur in fine missionis, ultimo aut penultimo die. Monentur Fideles, ut tempestive nomina aegrotorum afferant indicando, si opus est, vicum seu plateam et numerum eorum habitationis. *Instr. Belg. l. c. n.* 11.

9. *Confessio generalis* etiam non necessaria modo non sit nociva permittenda, idque ob utilitates. *Vide Librum Exerc.* Imo ad eam sunt exhortandi rite exponendo quando sit utilis, necessaria, nociva.

Ad minimam suspicionem de necessitate confessionis generalis (hic non agitur de scrupulosis) quam suscitat poenitens, statim inquirere debet confessarius, an fors confessio generalis sit necessaria. *P. v. d. Kerck.* § 11. *per totam.*

10. Poenitentes *conversos* hortetur prudenter ut peccatores alios adducant vel indicent; patres et matres, heros interroget an sui subditi omnes missionem facturi sint, etc. *Instr. Belg. l. c. n.* 24; *P. v. d. Kerck.* § 22 *n.* 3.

11. In confessionalibus Patrum qui concionantur ponatur nomen et addatur *Missionarius* in reliquis nomen proprium; vel si sunt parochi, nomen parochiae. *Instr. Belg. n.* 1.

12. Videat Praeses an expediat ut viri ex una parte confessionalis ponantur, mulieres ex altera. Hac ratione viri forsan faciliorem aditum acquirent.

---

(1) Dicitur supra *non ante*, quia secundum locorum et personarum adjuncta confessiones diutius differri poterunt.

(2) Vide tamen infra Sect. III, Cap. XIII.

13. Hora qua inchoantur et qua cessant confessiones campanae sonitu est annuntianda. *Instr. Belg. n.* 2.

14. Tempore concionum confessiones interrumpantur, et tempore quo audiuntur vitentur cantus et missae cantatae quantum fieri potest. *Instr. Belg. n.* 5.

15. Si Sacerdotes confessarii apud cives debent pernoctare ob defectum loci in presbyterio, optandum est ut nihilominus apud Parochum sumant jentaculum, prandium et coenam; et quantum fieri potest restringendae sunt visitationes. *Instr. Belg. n.* 4.

—

CAPUT IV.

Monita circa conciones.

1. Magnae veritates de peccato mortali etc. graviori sermone seu *concione* explicari debent; oratio vero, confessio, explicatio obligationum statuum diversorum, examen super praeceptis Dei et Ecclesiae et alia similia, per modum *conferentiae* seu simpliciori modo optime tractantur. *P. v. d. Kerck. Man.* § 17 *pag.* 66.

In magnis urbibus videat Praeses, num expediat ut conferentiae instituantur de rebus dogmaticis vel polemicis; de politicis vero silendum est.

2. Concionator auditores solide *instruat*; raro supponi potest, auditorium sufficienter esse instructum. Post solidam instructionem auditorum corda valide commoveat, idque praestabit non verbis exaggeratis, audacibus figuris, gestuum violentia, picturam faciendo rerum non obviarum; sed loquendo ex vera persuasione et cum unctione Spiritus Sancti. *P. v. d. Kerck. Man.* § 7 *pag.* 24, 25, 27.

3. Concio sit *substantialis* et *practica* nec multum ultra semihoram protrahatur (1), ideo vitentur repetitiones, et sit concio simplex quoddam unum, in quo omnia ad unum quemdam scopum convergant. *Ibid. p.* 23; *Constit. Part.* IV, *Cap.* VIII, *n°.* 3 *etc.*; et *Reg.* 9, 10 et 11 *Concion.*

4. *Abusus* aut vitia particularia non directe ita invadat, ut in personas particulares invehere videatur: sed radicem illorum detegat

(1) Vespertina concio congrue protrahi potest ad horae spatium.

illamque prudenter exstirpare conetur. Cognoscat populi dispositionem, ut obvietur ejus infirmitati. (*Ibid. p.* 23 *et* 27). Et quamvis de hisce non nisi unica vice ex professo tractandum est, in aliis concionibus tamen saepe, data occasione, illa attingat. *Instr. Belg. n.* 22.

5. Nihil *exaggeret*, doctrina sit semper sana, textus Scripturae S. a vero sensu ne detorqueat, exempla bene selecta, comparationes, similitudines etc. adhiberi possunt, res sint ad captum populi selectae et prolatae. *Instr. Belg. n.* 25 ; *P. v. d. Kerckh.* § 9 *pag.* 30 et 31.

6. Post quamlibet veritatem *terribilem*, animentur peccatores. Incredibile dictu quam proclives sint ad pusillanimitatem et desperationem. *Instr. Belg. n.* 16; et *P. v. d. Kerckh.* § 9 *pag.* 31.

7. Curet ut *animae piae* etiam aliquod nutrimentum accipiant v. gr. ubi agitur de vitiis, exponat etiam pulchritudinem virtutis oppositae etc. *Instr. Belg. n.* 17; et *P. v. d. Kerckh.* § 7 *pag.* 27.

8. *Haeretici* nec impii aculeatis verbis etc. sunt perstringendi. *Lanc. opusc.*, XIII *l.* 3. *Cap.* 14.

9. *Dicendi ratio* sit semper honesta, clara, simplex et ingenio auditorum accommodata, numquam vero trivialis, ne verbum Dei vilipendatur; non turgida, non clamorosa. *P. v. d. Kerckh.* § 8 *pag.* 28.

10. *Exordium* sit brevis quaedam repetitio concionis praecedentis, ea resumendo quae magis moverunt; idque 1) ut veritates altius menti infigantur; 2) ut qui eas non audierunt aliquid discant et 3) ut veritatum connexio magis eluceat. *Instr. Belg. n.* 15; et *P. v. d. Kerckh.* § 9 *pag.* 30.

11. Juvat hic Canonem XIII. Congr. I inserere. „*Superpelliceo* utendum est inter concionandum, *stola* vero juxta patriae morem adhibeatur vel non. In lectionibus S. Scripturae ad populum superpellicium est adhibendum, nisi in regionibus et locis ubi in hujusmodi lectionibus non est superpellicii usus." *Cf. Congr.* I *Decr.* 110 et *Congr.* IV. *Decr.* 10.

12. Ante et post concionem fiat aliquis cantus aut exercitium pium, quo disponantur auditores ut attente verbum Dei audiant et recolant. *Instr. Belg. n.* 6.

13. Sub concionibus cessant confessiones uti supra dictum est.

—

CAPUT V.

Quae tractanda in missione.

1. Proponenda et inculcanda principia et veritates primae hebdomadae et quae conducunt ad vitia et abusus exstirpanda, quin omittantur ea quae ad vitam vere christianam pertinent et indicantur in Reg. Concion. 10, 11, 12. „Populum impense hortentur, ait R. P. N. Claudius Aquaviva in Instr. XIII § 6, ad divini cultus observationem et ad Ecclesiasticos honore et reverentia prosequendos." — Impugnandae sunt ideae erroneae temporis et praejudicia ad mentem articulorum quos dat S. P. N. in Regulis ad sentiendum cum Ecclesia.

2. Accurate etiam explicentur quae ad fidem, spem et charitatem pertinent, ut auditores bene intelligant quid credere, quid sperare, quid amare debeant et quare; insistendum multum in necessitate bene et perseveranter orandi, commendetur oratio vespertina in communi, recitatio rosarii, auditio quotidiana Missae etc. *Instr. Belg. n.* 18; *P. v. d. Kerckh.* § 7. *pag.* 26.

3. Si tempus non permittat concionem habere de amore Dei, saltem in aliis, ubi incutitur timor etiam foveatur spes et inflammetur charitas: nam 1) multi vincuntur amore qui nullatenus timore se vinci sinunt; 2) nullum perseverandi motivum fortius est amore, timor enim cito evanescit. *P. v. d. Kerckh.* § 9 *pag.* 32.

4. Ut omnia rite in missione peragi et tractari possint requiruntur in parvis civitatibus et ruralibus parochiis *octo pleni dies;* in majoribus civitatibus decem, vel duodecim dies, et multa obtinentur commoda, si inchoatur in feria IV vespere (1), tunc ante diem Dominicam absolvi potest missio parvulorum, et in ipsa Dominica die fit benedictio crucis et inchoantur confessiones, Sacerdotes confessarii adsciti ex vicinitate possunt prius officia matutina peragere in sua parochia et feria VI iterum domum redire. *P. v. d. Kerckh.* § 16 *et* § 17.

Materiae autem sequenti ordine distribui possunt.

---

(1) Alii malunt inchoare die Dominica sub Sacro parochiali ob frequentiam populi.

§ 1. Pro missione octo dierum.

Pridie vespere: solemnis introductio.

1 Die: 1ª de fine hominis; 2ª de necessitate salvandi animam suam et hic de necessitate orationis; 3ª de peccato mortali in sua natura.

2 Die: 1ª de peccato mortali in suis sequelis: 2ª de morte justorum et peccatorum; 3ª de judicio particulari et universali, vel divisim pro circumstantiis.

3 Die: 1ª de impudicitia (1): 2ª de confessione in genere; 3ª de confessione et communione sacrilega et de examine.

4 Die: 1ª de blasphemia et perjurio; 2ª de occasione proxima; de 3ª de sinceritate et contritione pro confessione; 4ª de misericordia, cum benedictione crucis missionis.

NB. Dantur hic 4 conciones, quia supponitur dies Dominica.

5 Die: 1ª de ebrietate; 2ª de injustitia; 3ª de inferno.

6 Die: 1ª de viis ad infernum seu de vitiis dominantibus in loco; 2ª de Ecclesia et mandatis; 3ª de scandalo.

7 Die: 1ª de charitate et vitiis oppositis; 2ª de educatione prolium; 3ª de reliquis officiis bonae familiae seu de obligationibus omnium statuum.

8 Die: 1ª de passione Domini et necessitate patiendi in hac vita; 2ª de coelo et amore Dei; 3ª de perseverantia; et dein missio cum magna solemnitate clauditur.

9 Die: missio mortuorum, seu Missa solemnis pro defunctis parochiae et excitetur devotio pro animabus in purgatorio degentibus.

§ 2. Pro missione majori.

Pridie: solemnis introductio.

1 Die: 1ª de fine; 2ª de salute; 3ª de peccato mortali in sua natura.

2 Die: 1ª de peccato in suis sequelis; 2ª de morte in genere; 3ª de morte justi et peccatoris.

3 Die: 1ª de triplici animae cibo: verbo Dei, oratione, sacramentis; 2ª de confessione (beneficium, necessitas); 3ª de judicio particulari.

4 Die: 1ª de impudicitia; 2ª de occasione proxima; 3ª de sacrilegio.

(1) Notandum, in quibusdam locis *adulterium* esse satis frequens.

5 Die: 1ª de judicio universali; 2ª de confessione (sinceritas et contritio), et examine; 3ª de misericordia, et benedictio crucis.

6 Die: 1ª de impudicitia in suis sequelis; 2ª de injustitia; 3ª de blasphemia in sua natura et de perjurio.

7 Die: 1ª de scandalo; 2ª de ebrietate; de inferno.

8 Die: 1ª de portis ad infernum (de vitiis dominantibus); 2ª de obstaculis conversionis, v. g. respectu humano, adhaesione pecuniae, personis, etc.; 3ª de remediis contra impudicitiam, blasphemiam. — *Pactum* spirituale.

9 Die: 1ª de charitate christiana et odio; 2ª de reliquis vitiis oppositis charitati, ut est suspicio, judicium temerarium, detractio, etc.; 3ª de Ecclesia et mandatis ejus.

10 Die: 1ª de obligatione prolium erga parentes, dominorum erga domesticos et vice-versa; magistrorum erga operarios et vice-versa; 2ª de obligatione parentum erga proles, seu de educatione; 3ª de praeparatione ad matrimonium et de modo christiane vivendi in matrimonio.

11 Die: 1ª de passione Christi et necessitate patiendi in hac vita, 2ª de coelo et amore Dei; 3ª de perseverantia; et deinde conclusio.

Notanda.

1. Quamvis quandoque materiae quaedam omittendae sint, primariae tamen de fine, de peccato, de morte, de judicio, de inferno, de misericordia, de confessione, de oratione, de dominantibus in loco vitiis etc. semper retinendae sunt. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *pag.* 96.

2. Caveatur ne magnae veritates omnes in initio ponantur; aliquae pro medio missionis reservandae sunt, ne in fine languescat missio; praeterea, si aliqui peccatores tardius accedant etiam hos percutere oportet. *Instr. Belg. n.* 14; *P. v. d. Kerckh.* § 17 *pag.* 66.

3. De peccatis et vitiis dominantibus agendum est quando populi concursus major est, v. gr. in Dominica, vespere, etc.

CAPUT VI.

Monita quae in initio missionis danda sunt et postea repetenda.

1. Hortandum, ut omnes ferventer orent pro bono successu missionis et pro conversione peccatorum. *Instr. Belg. n.* 18.

2. Ut jam abstineant a peccatis et blasphemiis, ne iram Dei laccscant, sed potius eam bonis operibus placare nitantur. *Ibid. n.* 19.

3. Ut vincant respectum humanum; tollant scandala et etiam externe ostendant se sincere velle ad Deum redire. *Ibid. n.* 20.

4. Ut assiduo exercitiis intersint et non veniant ad confessionem antequam aliquas conciones audierint. *Ibid. n.* 21. Requiri ut certo numero concionibus interfuerint, ut Indulgentias lucrari possint.

5. Dicatur necessarium esse, ut omnes confiteantur, missionem non esse pro solis peccatoribus; pios bono exemplo praeire debere, se in pietate confirmare et in fervore progredi. *Ibid. n.* 22.

6. Nemo gratiam missionis spernat, is enim se exponit periculo aeternae damnationis. *Ibid. n.* 23.

7. Omnes se hisce diebus missionarios constituant narrando domi, quae in ecclesia audierunt; patres, matresque-familias suos filios, domesticos, operarios ad conciones mittant, curent ut parvuli sui parvae missioni intersint, sed eos a magnis concionibus domi retineant; amici amicos convertere conentur. *Instr. Belg. n.* 24; *Instr. XII R. P. N. Claudii pro Miss.* § 5; *P. v. d. Kerckh.* § 17 *pag.* 70.

8. Valde prodest ut, post inceptam missionem, dicatur in cathedra, missionarios quaesituros oves errantes, si sponte non veniant. Quantum ad executionem, prudentia opus est. Expectandum donec constet hunc vel illum nolle venire, et invigeletur multum. Tunc mittantur prius personae aptae loci, et si recusent venire, videat Praefectus an conveniat missionarium mittere: nam si causa cadat, gloriantur in malo, et pejores fiunt quam si in conscientiae suae stimulis relinquerentur. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *pag.* 97; *Instr. Belg. n.* 24.

9. Moneantur ut non a concione ad tabernas cant, sed domum se recipiant in compunctione cordis, ne veritates auditae oblivioni tradantur sed alte in animo fixae maneant. *P. v. d. Kerckh.* § 18. *p.* 70.

10. Scrupulosi praemuniendi sunt contra perturbationes animi, seu potius per Parochum arcendi sunt a concionibus, in quibus veritates terribiles tractantur. *Instr. Belg. n.* 26.

—

CAPUT VII.

Examen conscientiae.

1. Hoc examen composuit celeberrimus missionarius S. Leonardus a Portu Mauritio. *P. v. d. Kerckh.* § 19.

„Scrutabor Jerusalem in lucernis". Soph. I: 12.

„Quantas habeo iniquitates et peccata, ostende mihi". Job. XIII: 23.

2. Mandata Ecclesiae hic inserta invenies. (1)

Primum praeceptum.

Ego Dominus Deus tuus ... non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile ... non adorabis ea et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus aemulator. Deut. V: 6.

Peccata contra fidem, spem, charitatem erga Deum et religionis virtutem.

—

An instituisti annuam confessionem et communionem paschalem? an reus es forsitan confessionis et communionis, confirmationis, matrimonii, extremae unctionis sacrilegae.

An implevisti poenitentiam impositam a confessario, vel male implevisti?

An quaesivisti confessarium facilem qui te sine conversione absolveret?

An cognoscis scitu necessaria necessitate medii et praecepti?

An aliquando elicis actus fidei, spei et charitatis?

An surgens totum diem Deo obtulisti, et preces matutinas et vespertinas fudisti?

---

(1) Hac occasione exponatur, si prius id nondum factum est, doctrina de confessione generali, quando sit necessaria, quando utilis, quando nociva; et quibus ex rationibus confessio dicenda sit sacrilega. — Pauca aliqua, quibus tempora nostra indigent, his addita sunt.

An somniis aliisque vanis observationibus fidem praestitisti?

Adde hic, si opportunum est, quaestiones de consultatione mulierum fatidicarum, magnetizatarum dormientium, mensarum, spirituum etc.

An superstitione animum voluntarie imbuisti?

An quae ad fidem pertinent, negasti vel voluntarie in dubium vocasti?

An de salute desperasti? vel eam, falsa fiducia in Deum, sine bonis operibus obtinere sperasti?

An jejunia et abstinentiam, diebus ab Ecclesia praescriptis, servasti, et in necessitate vel dubio dispensationem petisti?

An Ecclesiae mandata, ritus, caerimonias, institutiones, ministros etc. ludibrio et despectui habuisti?

Qua ratione te habes ergo respectum humanum, jactantiam super mala patrata, neglectum debitae praeparationis ad s. communionem et abusum post acceptam communionem citius ecclesiam relinquendi?

Secundum praeceptum.

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra. Deut. V: 11.

Peccata contra reverentiam Dei nomini debitam.

—

An blasphemias protulisti, et quales?

An contra divinam Providentiam mussitasti?

An non legisti vel retinuisti vel commodasti aliis sine licentia, scripta, folia, libros irreligiosos et impios?

An jusjurandum non violasti?

An falsum jurasti?

An vota solvisti?

Tertium praeceptum.

Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum. Deut. V: 12.

Peccata contra externum honorem Deo debitum.

—

An dies dominicas et festa de praecepto sanctificasti?

An opera servilia peregisti absque causa excusante?

An immoderatis oblectamentis illos dies maculasti?

An Sacrum, quando verum obstaculum non aderat, audivisti, idque qua decet devotione?

An cum reverentia semper in ecclesia fuisti?

An in causa fuisti, ut subditi tui dies sacros violaverint?

Quartum praeceptum.

Honora patrem tuum et matrem, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene tibi sit... Deut. V: 16.

Peccata contra officia mutua superiores inter et inferiores.

—

An *pater et mater!* christiane educas proles, corrigis, instruis, bono exemplo praeis, eis advigilas ut amotis periculis peccandi et perversionis non corrumpantur? An pro bono earum statu futuro curas; in eas imprecationes, blasphemias etc. profers; ad scholas catholicas, quantum fieri potest, mittis, et in omni casu eas a scholis retines, ubi verum periculum adest perversionis; an procationibus invigilas, ut sint honestae etc.; an vero e contra voluntarie eis relinquis nimiam libertatem....?

— Ad eadem tenentur *tutores et curatores*, qui partes parentum agunt.

An *fili et filia!* coluisti erga parentes virtutes debitae reverentiae, in verbis etc., obedientiae, potissimum in re gravi, v. gr. in electione status; amoris et auxilii pro bono et felicitate corporis et animae, seu spirituali et temporali? — Descende hic ad particularia et ostende quantum sit peccatum parentes contristare, irritare, maledicere, verberare, contemnere, contumeliis afficere, despicere, in odio habere.

An *matrimonio juncti!* servatis in sancta vocatione vestra debitam castitatem, fidelitatem, mutuum amorem, patientiam, obedientiam?

Interroges autem in specie: an contumeliis, conviciis, blasphemiis, imprecationibus, verberibus etc. se invicem impetant; maritus, an pro sustentatione domus suae omnem diligentiam adhibeat, an vero mercedem hebdomedariam potationibus deglutiat; uxor, an rem familiarem bene administret; an spreto viro dominium sibi vindicet? An sine justa

causa debitum deneget, solummodo in confessionali roget, quando poenitens ansam praebet; et tunc missionarius attendat ad horrendum Malthusianismum, qui etiam in nostram regionem incipit irrepere.

An *heri et domini!* fere eadem praestatis erga subditos, ad quae tenentur parentes erga proles?

„Nam si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior". I. Tim. V: 8. An pro justo labore justam mercedem tribuitis?

An *domestici et operarii!* fideles estis, observantes erga dominos et heros vestros, res eorum cordi habetis, et illis bene servitis in simplicitate cordis?

An *cives!* civili potestati et legibus obeditis in omnibus quae legibus divinis vel ecclesiasticis contraria non sunt?

Adde, si opus est, obligationes *discipulorum* erga suos magistros, et *magistrorum* erga discipulos.

Quintum praeceptum.

Non occides. Deut. V: 17.

Peccata laedendo se vel alios in bonis corporalibus, aliaque charitati proximo debitae adversantia.

—

De occisione, mutilatione, rixis etc. vix opus est sermonem instituere.

An per notabilem intemperantiam in cibo vel per *ebrietatem* non peccasti?

An te aliosve temere vitae periculo exposuisti, tibi vel aliis mortem aliave mala exoptasti?

An proximum propter Deum amasti; an vero ex motivo prorsus humano, vel fors etiam pravae passionis?

An odio in aliquem incensus fuisti, cum desiderio vindictae? quamdiu duravit, et quoties in animo renovatum?

An impatiens fuisti, vel ira inflammatus, cum immoderatione verborum?

An alicui male precatus es, vel cum contumeliosis verbis, vel pravis actionibus lacessisti?

An vindictam quaesivisti vel exercuisti et qualibus actionibus?

An neminem ad malum incitasti, vel alicui ad male agendum consilium dedisti?

An impedivisti malum, quando poteras et debebas?

An ex alterius felicitate animo molestiam cepisti; vel de ejus infortunio gavisus es?

Videat missionarius an expediat hic peccata attingere contra praecepta de dilectione inimicorum, de eleemosynis, de scandalo, de cooperatione, meliusne sit, ea in aliqua instructione separatim exponere.

Recoli potest Matth. V: 38—48.

Sextum et nonum praeceptum.

Non moechaberis; non concupisces uxorem proximi tui.
Deut. V: 18 et 21.

Peccata contra castitatem.

An cum plena deliberatione impudicis ideis plenum consensum dedisti?

An desideria peccandi contra castitatem voluntarie fovisti? et qualia?

An perverso tuo consilio alios ad hoc peccatum perduxisti? et quale?

An per plene voluntarios actus contra decentiam vel castitatem peccasti? et quales? tecum an cum alio, cujus sexus, an cum propinquis?

Notetur hic, plene voluntaria peccata contra castitatem semper esse mortalia; sed materiam levem inviniri posse in iis quae soli decentiae contraria sunt. Concionator et confessarius haec duo non confundant, cum animarum detrimento.

An tamquam a facie colubri fugisti peccata (Eccli. XXI: 2) et occasiones peccandi contra castitatem?

Ut sunt: 1) *objecta* obscoena, libri, statuae, imagines, cantilenae etc.; 2) *personae* utriusque sexus quae turpiloquiis etc. inducunt ad libidinem; 3) *loca* in quibus turpia fiunt, ut malae famae tabernae, domus, (cafés chantants), tripudia, choreae, comoedíae etc. An aliis qualicumque modo scandalum dedisti et an datum reparasti?

An *feminae*! non peccastis per vestium immodestiam, vel alia media seductionis?

Septimum et decimum praeceptum.

Furtum non facies; non concupisces proximi tui domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt. Deut. V: 19 et 21.

Peccata laedendo proximum in bonis temporalibus.

—

An vendendo vel emendo non peccasti contra justitiam in pondere et mensura et qualitate?

An merces non corrupisti, ut carius et nimio pretio venderes?

An furatus es? quid et quantum domi an foris etc.? an saltem bona aliena non appetivisti?

An in luso non fraudasti, vel pro nimia pecunia lusisti?

An tua negligentia vel prodigalitate aes alienum contraxisti? An debita contracta solvisti, et inde secuta damna, quantum poteras resarcisti?

An alteri damnum intulisti opere verbis etc., an restitutionem debitam neglexisti?

Octavum praeceptum.

Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Deut. V: 20.

Peccata laedendo bonam famam proximi.

—

An detrahendo proximi famam non laesisti? in quo? coram quot personis?

An nemini injuriam intulisti, neminem calumniatus es? an damnum inde ortum pro viribus reparasti?

An cum audires detractiones, etc. eas ex obligatione vel saltem ex charitate inhibuisti?

An tibi credita sub secreto aliis non manifestasti? An inde discordiae vel damna exorta sunt?

An mendacia protulisti cum vel sine damno gravi vel levi?

Hisce addat vel demat missionarius quae sibi opportuna videbuntur pro locorum et personarum circumstantiis.

Monita danda.

1. In confessione exprimendus est numerus et species peccatorum, et quamdiu mali habitus durarunt.

2. Attendant in confessione generali (necessaria) non tantum exprimenda peccata quae reticuerunt, sed etiam alia per id tempus exposita sed non remissa. Hoc bene et clare populo explicetur.

3. Caveat missionarius in examine explicare *aperte* ea quae auditorum aures offenderent, v. gr. species luxuriae, bestialitatem etc., peccata in matrimonio etc.; ergo tectis omnino verbis utatur, et addat quod, si quis dubium habeat, consulat confessarium in confessionali.

4. Monendi sunt omnino ut apud se rite numerum suorum peccatorum determinent antequam in confessionale veniant nec sufficere ut generaliter dicant: blasphemavi, contra sextum egi etc. Docendi sunt quomodo numerum et speciem peccatorum exprimere debeant.

—

CAPUT VIII.

De Praeside missionis.

1. Praeses missionis ordinarie designatur a Provinciali; sin vero: „qui priore loco in Patentibus nominabitur, Superior erit missionis; alter ejus Admonitor". *Instr. XII R. P. N. Claudii* § 15 et *Epit. Inst. Part. V n.* 62.

2. Huic omnes Nostri tamquam vero suo Superiori obedientiam praestent et reverentiam, et caveant summopere ne quidquam huic virtuti contrarium admittant, tum ob scandalum quod inde oritur quum ob gratias quas Deus viro obedienti dare solet. *Vide Extraits des Lettres de S. Fr. Xav. pag.* 9—11, 13, 44, 47. *Nampon. ch. II art. III.*

§ 1. Curanda ante missionem.

1. Apud Parochum.

1. Si *confessarii* extraordinarii necessarii sunt, curet Praeses ut ab ipso Parocho sufficienti numero advocentur, qui et curabit, ut hi

extraordinariam *jurisdictionem* habeant. Idem pro Nostris esset faciendum, si Provincialis eam communicare non posset. *P. v. d. Kerck.* § 15.

2. Curet ut *confessionalia* adsint pro numero confessariorum, eaque sint commoda et ex utraque parte cratibus instructa, in loco tranquillo posita. *Ibid.* § 22.

3. Paretur *crux missionis*, sufficienter decora, huic adjungantur ex utraque parte lancea et arundo cum spongia; in medio figantur insignia Summi Pontificis et circa haec, ex quatuor partibus clypeoli quatuor, inscriptis vocibus „*Dood*, *Oordeel*, *Hel*, *Hemel*". *Ibid.* § 22. (1)

4. Sufficientes adsint cerei et quae ad ornatum ecclesiae et praesertim throni B. V. M. usui esse possunt. *Ibid.* § 22.

5. Habeant missionarii sua *cubicula* et tempore hiemis saltem unum sit calefactum, quo concione peracta se recipiant. — Videat Praeses an de *mensa* aliquid dicendum sit; ea sit, ut vires reparet, lautitiam vero excludat. *Instr. Belg. n.* 28; *P. v. d. Kerckh. addit:* idcirco ad meridiem duae tantum, et bene paratae sint species carnis, et duo olera. Ad coenam una tantum sit caro et unum olus; bellaria (dessert) nec meridie nec vespere, apponantur praeter butyrum, caseum et fructus arborum vel horti, sed quos Parochus pretio emere non debet si non habeat. Vinum sobrie in scyphis parvis detur. *Ibid.* § 18 *pag.* 84. In hac re ratio habenda ingenii Parochi et consuetudinum et ordinationum dioecesanarum. Caveamus ne propter nimia expensa Parochi aliqui missiones vitent. *Instr. Belg. n.* 28. Vide supra ex Instructione XII. p. 126.

6. Parochus Praesidem certiorem faciat de abusibus etc. localibus, ut juxta hanc notitiam materies concionum eligatur; dicat etiam an aliqua confraternitas sit erigenda, ut omnia ad id necessaria tempestive praeparentur.

7. Una alterave hebdomada ante missionem Parochus parochianis suis annuntiet missionem ut gratiam specialem et preces praescribat et peragat cum ipsis pro bono missionis successu; sed materiae, quae in missione solent tractari, ne attingat; moneat tamen ut jam a peccatis abstineant; et dicat missionem esse pro solis parochianis, quin

(1) In nostra regione solet erigi crux sine illis ornamentis, sed apponitur in clipeo dies et annus quibus data fuit missio aut facta fuit crucis erectio.

externi facultatem habeant accedendi ad conciones et lucrandi indulgentias. *P. v. d. Kerckh.*, § 15, *n.* 7 *et* 8.

8. Conetur ut missionis tempore exequiae (i. e. anniversariae etc.) nec missae cantatae, quantum potest, locum non habeant. *Ibid.*

2. Quoad socios.

1. Curet ut socii tempestive sciant materias ab ipsis tractandas, ut rite se praeparare possint, et unicuique pro ingenio et capacitate suam provinciam assignet. *P. v. d. Kerckh.*, § 22 *n.* 1 *et* 12.

2. Concionatores variandi eo sensu, ut iidem non semper eadem hora ascendant. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *n.* 1.

3. Si fieri potest eorum iter ita ordinet ut omnes simul in locum adveniant; curet etiam ut euntes et redeuntes missionarii et sine nimia fatigatione et sine magnis expensis, itinerari valeant. *P. v. d. Kerckh.* § 22, *n.* 5.

3. Quoad seipsum.

1. Oret et procuret ut et alii orent pro bono successu. *Reg.* 9 *Mission.*

2. Sibi procuret copiam imaginum, etc. quas distribuat pueris. *Instr. Belg.* § *Petite Mission* et *Instr.* XII *R. P. N. Claudii.* § 9.

3. Item distribuat memorialia missionis (gedachtenis aan de Missie) quae continent aliquas sententias et media perseverandi; addi posset oratio pro perseverantia et descriptio Indulgentiarum, quas Fideles et pro precibus per 40 dies pro perseverantia recitatis, et orando coram cruce missionis lucrari possunt.

4. Item habeat schedulas pro admissione in aliquam confraternitatem, quae sub missione erigetur.

Videat num expediat, ut expensas pro hisce rebus factas a Parocho repetat.

5. Non facile patiatur Praeses, ut missionarii solemniter introducantur.

§ 2. Praeses sub initio missionis.

1. „Cum primum missionarii advenerint, ante omnia ecclesiam adeant et ibi brevem orationem faciant." *Instr.* XII. *R. P. N. Claudii* § 3.

Orent SS. Angelos Tutelares et Custodes, nec non Patronos loci vel ecclesiae. *Lanc. opusc.* XIII, *l.* 3, *c.* III.

Inspiciat Praeses confessionalia etc.

2. Si Episcopus in loco missionis residet, ipsum adeant et ejus benedictionem petant (supra p. 126). Videat Praeses, an aliae personae sint visitandae, vel quia sunt alicujus auctoritatis, vel quia alicujus utilitatis esse possunt. *Reg.* 8. *Mission. et P. v. d. Kerckh.* § 22 *n.* 2.

3. Instituat conferentiam cum Parocho et Vicariis, de qua supra p. 128, de abusibus, de peccatis, de circumstantiis localibus etc.; conveniant de mediis; de praxi sequenda, etc.

Dein horas Missarum, concionum, confessionum, instructionum pro pueris et totum ordinem diurnum determinet.

§ 3. Praeses durante missione.

1. Curet ut omnia ordinate fiant, ut ordo diurnus et quae statuta sunt exacte serventur; ut quisque tempus habeat pro breviario, pro meditatione, examine etc.; ut recreatio non ultra tempus protrahatur praesertim vespere; ut vires conserventur.

2. Nemo Nostrorum visitationes apud cives instituat sine ipsius consensu, qui nec petendus nec dandus est nisi adsit ratio utilitatis. Nec confessarii Sacerdotes visitationes instituant, ne teratur tempus, et prudentia in verbis laedatur. *P. v. d. Kerckh.* § 18, *pag.* 84.

3. Ipsius est monere deficientes, prout Admonitoris est ipsum Praesidem de defectibus suis et aliorum instruere. Omnia tamen cum charitate et humilitate. *Instr. Belg.* § *Personnel.*

4. Quantum fieri potest, certior reddatur de concionum et conferentiarum effectu, ut monita salutaria concionatoribus dare possit; ideoque statuat horam qua omnes quotidie conveniant. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *n.* 17. Communi consilio (praeside tamen decidente) prudenter tunc statuantur quae bonum successum promovere possint. Si forte (quod saepe natum est fieri) obloquiis et injuriis malevolorum vexentur missionarii et humilientur, eos animet et consoletur dicendo, ipsis proprium esse velle pati et contemni pro Christo; secus tanto ministerio aptos non esse, ut docet Segneri et S. Alphonsus de Ligorio. (Pratique des Missions). Caveant multum ne aliqua imprudentia istis obloquiis ansam praebeant. *P. v. d. Kerckh. l. c. n.* 8. Juniores animet discrete eos laudando de bene factis.

5. Omnino curet, ut missionarii sibi invicem non contradicant coram Sacerdotibus. Si aliqua dicenda videantur A. M. D. G., id inter se faciant in spiritu charitatis. *Ibid. n.* 9. Si dubium aliquod inter eos oritur, ipsius est, auditis omnibus sententiis, sua auctoritate dubium solvere. *Ibid. n.* 10.

6. Curet, ut omnia clare et tempestive populo annuntientur sc. caerimoniae, indulgentiae etc. Monita populo danda ipse indicet, nec patiatur ut missionarii quidquam annuntient, quod ad missionem non pertinet, hoc parocho relinquendum, qui id non ex cathedra sed ad mensam communionis faciat. *Instr. Belg. n.* 30.

7. Procuret sibi a R. P. Prov. usum Privilegiorum quantum opus esse posset: 1°. hora ante auroram, horave post meridiem divinis operandi, Leo XII, n. VI; 2°. justis causis a jejunio et vetitis cibis dispensandi, Leo XII, n. XVI; observata tamen Ordin. Gen. Cap. I. § 15. „qui cibis quadragesimalibus vesci non possunt, hi propter aedificationem proximi extra domos nostras concionaturi ne mittantur;" 3°. recitandi Rosarium, vel alias preces, si divinum Officium ob aliquod impedimentum legitimum recitare non valeant, Leo XII n. XII inter Vicenn.

§ 4. In fine missionis.

1. Curet ut ante vel post clausam missionem (prout circumstantiae ferunt) confessarii extraordinarii mittantur ad aegrotos, senes etc., qui ad ecclesiam venire non possunt. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *n.* 7.

2. Curet ut pro clausura thronus B. V. Mariae erigatur splendens luminaribus etc., sed ita ut omne periculum incendii prorsus absit, qua de re Praeses se certiorem reddat. Videat an SS. Sacramentum illuc deferendum sit, ne in specie saltem videatur B. V. plus honoris tribui quam SS. Sacramento. Annuntietur thronum hunc permansurum esse usque ad Dominicam sequentem et hortandi sunt Fideles ut ante illum preces pro perseverantia effundant. Indulgentiae pro his precibus concessae publicentur. *Instr. Belg. n.* 29.

3. Annuntiet etiam missionem Defunctorum pro sequenti die.

4. Videat qua ratione prudenter et cum charitate sacerdotes loci animare possit ad fructum missionis conservandum. Praesertim invigi-

lent ut populus media perseverandi bene retineat et in praxin deducat, et pactum contra blasphemias etc. optime servet, ne infelix lolium iterum crescat et fructus missionis sensim sine sensu pereat. *P. v. d. Kerckh.* § 22 *n.* 16.

Inter media renovandi fervorem Parocho suggeri potest ut instituat communionem generalem occasione promulgationis Indulgentiarum quae propter datam missionem a Fidelibus acquiri possunt variis anni temporibus et quidem: 1°. Indulg. plenaria pro precibus perseverantiae, supra p. 75 n. III. et p. 76 n. I; 2°. die pro arbitrio eligenda, supra p. 79 n. I; 3°. singulis annis in anniversario erectionis crucis missionis, supra p. 75 n. IV; 4°. praeterea in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, ibid; 5°. mense Decembri pro orationibus ante crucem, p. 75 n. V. Hac occasione in memoriam revocet alias Indulgentias orantibus ante crucem missionis concessas. p. 76 n. 3. 6°. In Provincia Neerlandica etc. infra sex menses post erectionem crucis missionis, supra p. 79 n. II.

5. Roget a sociis et a confessariis quae scitu necessaria sunt ut relationem de missione conficiat mittendam ad Provincialem.

Haec relatio contineat: locum ubi, nomina sociorum, tempus, a die ... ad diem, occasionem, difficultatem, numerum auditorum, quid pro parvulis factum, numerum concionum, conferentiarum, instructionum de die, et qua frequentia populi, numerum confessionum, species sacras distributas, quot gratia missionis non sun usi, adjumenta extraordinaria, fructus, confraternitates erectas, favores obtentos, signa benevolentiae etc.

Scribat etiam ad Provincialem si quid occurrit quod vitandum, corrigendum est, et quidem seorsim in epistola separata, si communicat quae secretum exigunt. Nec omittat quae ad aedificationem faciunt et digna sunt pro Annalibus. *Constit. part. VIII. Cap. I.* § 9 *et Instr. XII. R. P. N. Claudii* § 13.

—

CAPUT IX.
Missio parvulorum.

1. In missionibus numquam omittenda est missio parvulorum, idque: quia cura puerorum nobis speciali modo commendata est, et quia haec adjumentum solet esse ad promovendam missionem majorem. *P. v. d. Kerckh.* § 20; *Const. Part. V.* § 2 *litt. B*; *Instr. XII R. P. N. Claudii, de Miss.* § 9; *Instr. Belg.* § *Petite Mission.*

2. Intelliguntur hic pueri qui ad usum rationis pervenerunt et nondum ad S. Communionem sunt admissi. *P. v. d. Kerckh.* § 20. Alii eam missionem extendunt ad pueros qui eo anno ad S. Communionem admissi sunt, idque 1°. ut et hi facilius a concionibus arceantur, et 2°. ut eorum confessiones diligentius audiantur.

3. Si numero plures sunt, dividi possent juxta aetatem in varias turmas a singulis Patribus excolendas. *Instr. Belg.*

4. Absolvenda est haec missio antequam confessiones adultorum incipiant 4°. vel 5°. die et triduum ei impendatur. Die Dominica nulla datur eis instructio sed hora particulari dicitur pro ipsis Missa. *Instr. Belg.*

5. „ Alliciantur, ait *Instr. XII, R. P. N. Claudii, de Miss.* § 9, processionibus publicis in quibus pueri et puellae vario cum ornatu appareant, et praemiis imaginum." etc.

6. Fiat eis una instructio ante meridiem altera post meridiem. Utatur Missionarius tono et forma simplicissimis, parabolis, comparationibus, historiunculis etc.

7. Agatur de fine creationis, de anima salvanda, de peccatis parvulorum (pro circumstantiis loci; a Parocho discatur quae communiter committuntur, an furta, maledicta etc.) De peccato mortali valde prudenter sermo fiat; aliquid de morte, judicio de inferno prudenter; de oratione, de devotione erga B. V. Mariam, erga S. Angelum Custodem etc., de obedientia, de diligentia in studiis seu in scholis etc. sed potissimum agatur de confessione, ut bene intelligant quae et quomodo sint confitenda atque id libenter faciant. *P. v. d. Kerckh.* § 20.

Nec omittenda quae scitu sunt necessaria, actus fidei, spei et charitatis. *Instr. Belg. et P. v. d. Kerckh.*, § 12 *pag.* 47.

8. Die tertia audiuntur eorum confessiones; sed praemissa instructione

et elicito actu contritionis, quem genuflexi recitabunt postquam quaedam motiva fuerunt exposita. *Instr. Belg.*

Si peccarunt et dispositi sunt, sunt absolvendi quod pluribus probat P. v. d. Kerckhove § 12, et detur parva poenitentia v. gr. unum *Ave Maria* recitandum in ipso confessionali, statim post absolutionem, nisi capaces sint aliquid plus facere. *Ibid.*

Nota. Secundum plures doctores, ait S. Liguori (in Praxi Conf. n. 91) possunt aliquoties absolvi etiam dubie dispositi sub conditione, etiamsi venialia tantum habeant, ne careant diu gratia sacramentali et forte etiam sanctificante, si fors gravem culpam habeant ipsis occultam. *Ibid. pag.* 49.

9. Ubi confessi sunt, moneantur de parvis defectibus, v. gr. de inobedientiis, de parvis furtis. Confessarius autem prudens sit in exigenda restitutione, imponat potius aliquam precem pro restitutione. Specialiter moneat eos, ubi fas est, de blasphemia, maledictis, turpibus verbis etc.

10. Claudatur haec missio, renovatione solemni promissionum Baptismatis, consecratione Beatae Mariae Virgini, et benedictione puerorum, de quibus infra in sectione III, Cap. XII.

Et promulgetur Indulgentia plenaria, supra p. 74, recitentur preces tum pro commutata communione quum pro intentione Summi Pontificis.

Tandem distribuantur imagines.

11. Si exculti sunt pueri qui primam communionem jam fecerunt, fiat postridie communio solemnis, de qua in sectione III, cap. XII, § 1.

12. Parentes invitentur ut hisce solemnitatibus intersint.

13. Curet Praeses, ut aliquis adsit qui tempore confessionum praesertim pueris invigilet, eos tranquillos teneat. De communione etc. tempestive moneat, ut parentes tempus habeant parandi vestes puerorum.

Vide infra sect. III, cap. XII. ubi caerimoniae describuntur, quae ad illustrandam hanc missionem usurpari possunt.

CAPUT X.

De renovatione missionis.

1. Si Parochus bonum spiritum in sua parochia conservare velit, non debet ultra 7 vel 8 annos renovationem missionis differre. S. Liguori eam 3° vel 4° anno praescribit. *P. v. d. Kerckh.* § 21.

2. Ubi renovatio per octiduum instituitur, omnia servanda sunt, quae in prima missione locum habuerunt, plantatione seu exaltatione crucis missionis non omissa. *Ibid.*

2. Si triduo absolvenda est, erit materiarum series sequens:

1 Die: 1ª concio erit de statu spirituali animarum. Punctum 1ᵐ, sunt qui ante missionem jam erant boni, vel in ea conversi perseveraverunt; hi sunt vere beati quia... Punctum 2ᵐ, sunt qui tepidi facti sunt, negligentes, etc.; hi non sunt adeo felices, et jam debent excutere teporem. — Punctum 3ᵐ, sunt qui lapsi sunt vel relapsi. Hi vere infelices, et debent omnino in hac renovatione ex corde converti et omnia media assumere.

2ª concio: de salvanda anima; 3ª confessio, ejus beneficium, abusus, usus.

2 Die: 1ª. Blasphemia, sacrilegium, defectus orationis, etc.: *peccata in Deum;* 2ª Injustitia, odium, detractio, scandalum: *in proximum;* 3ª respectus humanus, luxuria, occasio proxima etc.: *in se ipsum.*

3 Die: 1ª oratio et Missa; 2ª bona familia; 3ª necessitas et modus saepe et bene confitendi et ad S. Synaxin accedendi.

4 Die: devotio erga B. V.; fervor pro confraternitatibus....

SECTIO III.

INDUSTRIAE, CAERIMONIAE, FORMULAE QUAE TEMPORE MISSIONIS USUI ESSE POSSUNT.

MONITA PRAEVIA.

I. Plurimum sane interest, ut Fideles gratiam missionis magni faciant atque toto exercitiorum tempore illam sacram famem in se

sentiant, de qua divinus noster Salvator dixit: „Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur". Matth. V: 6. Quare missionis tempore viros, qui non minus vitae sanctitate quam in tradendis exercitiis dexteritate excelluerunt, praeter consueta exercitia etiam quasdam sacras industrias et caerimonias usurpare videmus.

II. Quum tamen illae industriae inter media secundaria annumerandae sint, solummodo tunc erunt adhibendae, quando ad bonum successum missionis aliquid conferre posse speratur. Numquam vero in eis aliquid est admittendum, quod populi ingenio adversetur, ritibus Ecclesiae ejusque circa caerimonias legibus repugnet, quod theatrale quid sapiat aut solido careat fundamento atque Fidelium admirationem magis quam pietatem et internam devotionem excitet. Verbo, eae sint ejusmodi, ut gratia missionis melius intelligatur et in pretio habeatur, ut populus sese a rebus terrenis facilius abstrahat et ad coelestia desideria erigat; ut occurratur taedio quod ex nimia exercitiorum uniformitate oriri possit, et fervor usque ad finem missionis sustineatur ac ita fructus ejus certius atque uberius percipiantur et consolidentur; denique ut Fideles diversis spiritualibus donis et gratiis ditentur.

III. Praecipuae hic enumerantur et in sequentibus capitibus exponuntur, eaeque divisae in tres classes, quarum prima eas industrias continet, quae initio missionis et per ejus decursum; secunda quae post primos missionis dies, tertia quae versus finem missionis usurpari possunt Praefecti missionis erit eas seligere et determinare quae sibi, auditis Parocho et Admonitore suo, magis opportunae videbuntur.

IV. Ad primam classem referri possunt, quae potissimum tendunt ad devotionem excitandam, sunt autem:

1. Missionis inchoatio solemnis,
2. Campanarum sonitus,
3. Cantus sacer,
4. Altare missionis,
5. Missae solemnes,
6. Preces in communi,
7. Admonitiones.

Ad secundam classem eae referendae sunt, quae ad sustinendum fervorem conducunt; ut:

8. Publicatio Indulgentiarum,

9. Benedictio rosariorum etc. et scapularium impositio,

10. Missio puerorum et caerimoniae ei annexae,

11. Erectio crucis missionis,

12. Communio generalis adultorum,

13. Actus reparationis injuriarum SS. Eucharistiae vel SS. Cordi Jesu illatarum; reconciliatio inimicorum,

14. Publicum exercitium viae crucis.

Ad tertiam classem pertinent quae aptae sunt ad fructus missionis consolidandos, nempe:

15. Renovatio promissionum baptismalium, vel Decalogi promulgatio,

16. Solemnis receptio in aliquam confraternitatem,

17. Dedicatio parochiae B. M. V. aut SS. Cordi Jesu,

18. Benedictio papalis,

19. Commemoratio solemnis Fidelium Defunctorum,

20. Pia missionis recordatio.

—

CAPUT I.

Solemnis missionis inchoatio.

1. Constituta die et hora jam antea populo indicta, sonitus festivus campanarum annuntiat felicissimae missionis initium. *v. d. Kerckh.* § 18.

2. Cantentur Laudes vespertinae solemni ritu, coram altari multis luminaribus ornato (si tamen ecclesia solvendo par sit.) *Ibid.* Ad solemnitatem multum conferret, si sacerdotes omnes superpelliceo induti altari assisterent. (1)

3. Cantetur primo hymnus *Veni Creator*, deinde fiat expositio SSmi in ostensorio et fiant Laudes more in illa ecclesia vel dioecesi recepto. Confer *supra p.* 101.

4. Versus finem Praeses missionis facit concionem introductoriam, de qua Instructio XII R. P. Claudii de Missionibus haec habet: „exponatur causa, finis adventus ipsorum, bona cum venia et facultate

(1) Celebratio solemnis Vesperarum, adhibitis cappariis et cantoribus est multo splendidior, in quibus et uti licet incenso ad *Magnificat*, sub quo altare clerus et populus incensatur. Sed caerimonia haec est forte longior et usus ejus non satis frequens ut rite peragatur.

Ordinarii: promulgatur jubilaeum (Indulgentia) a Sua Sanctitate concessum, potestas absolvendi." Ibi § 5. Annuntiabit horas exercitiorum, indicabit media ut fructus uberes et salutares obtineantur et dabit nonulla ex monitis supra p. 135. Vide plura v. d. Kerckh. § 18.

5. Antequam de cathedra descendat, declaret B. V. Matrem misericordiae Patronam missionis et inducat omnes ut cum omni fervore et fiducia eam invocent. Potest etiam ei adjungere Patronum loci aut ecclesiae, etc. *Ibid.*

CAPUT II.

Campanarum sonitus.

1. Pulsentur campanae ad annuntianda varia missionis exercitia, ut pulsari solent diebus festivis. Primus pulsus detur semihora ante initium exercitiorum, ut populus tempestive ab occupationibus sese expediat; secundus detur quadrante tardius.

2. A secundo die, quando meditationes de peccato traduntur, pulsetur versus noctem (hora 9 vel 10) campana quae dicitur campana peccatorum, et monentur Fideles ut omnes ubicumque fuerint recitent privatim vel in communi, demissa vel alta voce, genibus flexis, ter *Pater* et *Ave* pro conversione peccatorum. *Instr. Belg. pro miss. n.* 7. Postquam jam omnes peccata sua expiarunt, assignari potest alia intentio v. gr. perseverantia, animarum in Purgatorio degentium solamen etc. Vide Nampon. Ch. IV § 3 n. 2 etc.

3. Si campanas pulsare non licet, tamen hoc exercitium ne praetermittatur.

—

CAPUT III.

Cantus sacer.

1. Ad exemplum antiquorum missionarius magnam curam geret de cantu sacro, qui gravis sit et religiosus, nec diutius protrahatur. Sit quoad modulamina et quoad materiam conformis veritatum generi quae in concionibus traduntur, juxta mentem S. P. N. *Additio* 6ª *inter decem.* Vide Nampon Ch. III Art. I § 7; et Ch. IV Art. II § 1.

2. Ubi populus vel congregationis alicujus sodales cantiones solent cancre, ipse Praeses missionis ea cantica designabit quae sibi opportuniora videntur.

3. Singulis meditationibns aliquis cantus praemittatur ut devotio excitetur; easque sequatur, ut tempus detur ad recolenda quae dicta sunt, et ita juxta mentem S. P. N. unusquisque seipsum exerceat; de qua re populus monendus et instruendus est.

4. Materiis primae hebdomadae conveniunt: *Miserere*, *Salve Regina*, *Ave Maris Stella*, *Litaniae Lauretanae* et *SS. Nominis Jesu* sed tono gravi et gregoriano seu plano, *Stabat Mater* (praesertim si crux missionis jam fuit erecta, pro cujus solemnitate reservatur hymnus *Vexilla Regis*), Psalmi ex Vesperis Defunctorum, *Parce Domine* ter repetitum, utendo singulis vicibus tono altiore, etc.

Cantica materiae secundae hebdomadae accommodata sunt: *Jesu dulcis memoria* (in festa SS. Nominis), *Salutis humanae sator* (in die Ascensionis), *Magnificat*, *Benedictus*, Psalmi ex Vesperis Dominicae, *Credidi*, Litaniae ut supra, etc.

5. Possunt Psalmi cantari a choro et iis interpolari quidam versiculi breviores, qui ab universo populo post singulos versus repetuntur; v. gr. in prima hebdomada cantabitur *Miserere* vel alius psalmus ex Vesperis Defunctorum et post singulos versus cantabit populus eodem tono vel etiam voce unisona: *Miserere nostri Domine, miserere nostri;* vel *Parce nobis Domine, parce quaeso populo tuo;* vel *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit;* vel *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio;* vel *Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori;* etc. — In secunda hebdomada: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti;* vel *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus;* vel *Misericordias Domini, in aeternum cantabo;* vel versus aliquis ex Psalmo *Laudate pueri* etc. Hi versiculi populo sunt explicandi ut eorum sensum intelligat. *Nampon. Ch. V, p.* 251 *et p.* 254.

Leges ecclesiasticae circa cantum in ecclesiis.

1. Lege generali vetantur cantiones in lingua vulgari sub functi-

onibus ecclesiasticis ut sunt Missa, Vesperae, Laudes seu expositio SS^mi, Processio etc.

a) Alex. VII Const. *Piae Sollicitudinis* 23 Apr. 1057 monet: „In ecclesiis dum officia divina celebrantur, non sunt cantanda, quam quae a Breviario, vel Missali Romano ..... praescribuntur vel quae saltem e S. Scriptura aut SS. Patribus desumpta sunt, quae tamen prius a S. R. C. specialiter approbentur." *De Herdt. p. I. n.* 40. *V.*

b) Synod. prov. Ultraj Tit. V, cap. VI habet: „In ecclesiasticis functionibus cantiones omnes in lingua vulgari prohibemus, ... solum cum ipsa ecclesiastica functio explicit, cantica vernaculae linguae concinere in choro licebit."

c) S. C. Rituum semper fuit in eadem sententia: 12 Mart. 1609 (258) eas declarat non convenire etiam in solemnitate Corporis Christi. — 7 Aug. 1628 (618) declarat Episcopo competere auctoritatem id prohibendi etiam Regularibus; — 21 Mart. 1639 (982) id prohibendum, prout mandat prohiberi; — 24 Mart. 1657 (1672) illud declarat abusum omnino prohibendum vel adsit SS. Sacramentum expositum vel non; — idem 31 Aug. 1697 (3294).

2. Pro locis ubi existat consuetudo contraria, quae eliminari non possit sine scandalo aut offensione populi, S. C. paulisper mitigavit suam sentiamen.

a) In una Lucionensi alleganti veterem usum canendi lingua vulgari sub Missis privatis et sub administratione Confirmationis respondit: nisi ab ecclesia (id) eliminare queant (Rectores), prout optandum esset, patienter tollerantur (illae cantiones) sed supponuntur sequentes conditiones: 1°. Ut Episcopus annuat; 2°. ut cantiones ab Episcopo sint approbatae, 3°. ut canantur a populo non a cleris aut laicis superpellicco indutis, qui forte in choro adessent; 4°. ut per illas cantiones continuitas liturgicarum functionum non interrumpatur. S. R. C. 2 Dec. 1858 ad 3. *Gonlenv. p.* 70.

b) Episcopus S. Hyacinti exponit in tota Quebecensi ecclesiastica Provincia usum invaluisse inter Missarum solemnia canendi cantiones vulgari sermone; illum usum continuari incassa admonitione ... Resp. S. R. C „Episcopus prudenter se gerat, ut possit sensim sine sensu hunc morem removere absque Fidelium scandalo. 10 Dec. 1870. *Acta* XII *p.* 144.

3. Quoad Laudes vespertinas „praescriptio et methodus precum (i. e. earum electus et dispositio) pendet ab Episcopi arbitrio. S. R. C. 20 Aug. 1861. *Gonlenv p.* 206. Sub illis tamen licet, recitare etiam SS. exposito preces quaedam novendiales, vel triduanae, actus consecrationis aut reparationis injuriarum etiam lingua vernacula dummodo sint ex approbatis ab Ordinario loci. S. R. C. 31 Aug. 1867. *Gonlenv. p.* 206.

4. Ex tolerantia S. Sedis eas etiam preces in latino nempe idiomate cantare licet, quae a longo tempore, annuentibus locorum Ordinariis, inter cantus sacros usurpari solitae sunt, quales sunt: *Adoro te*, *Adoremus*, *Ave verum*, *Rorate*, *Adeste*, *Attende Domine*, *Parce Domine*, *o Filii et filiae*, *Inviolata*, *Tota pulchra es.* Ita Card. Praef. S. R. C. *Gonlenv. p.* 207.

5. *Quoad Litanias.* Non licet alias Litanias recitare (publice et multo minus cantare) nisi jam approbatas ex Decreto Apostolico et impressas in Breviario Romano (aut in libris liturgicis Romanis) S. R. C. 31 Mart. 1640 (1065).

Nec consuevit S. R. C. approbare alias Litanias praeter consuetas impressas in Breviario et eas quae recitantur de B. V. in ecclesia Lauretana juxta Decr. f. r. Clem. PP. VIII. 15 Mart. 1608 (227). S. C. etiam constanter renuit alias approbare ut videre est ex pluribus Decretis.

Attamen Rescripto d. 10 Sept. 1863. S. R. C. praehabito SS. D. N. Pii PP. IX oraculo declaravit *Litanias SS. Nomine Jesu* lingua latina publice in ecclesiis et in supplicationibus cani et recitari posse, modo conformes sint Litaniis anno 1862 Romae in typographia camerali cusis. *Revue d. sc. Eccl.* 1865. *p.* 188. Indulgentia vero 300 dierum recitantibus eas primo solummodo concessa est iis Dioecesibus vel Religionibus quarum Ordinarii vel Superiores illam petiere. *Schneid. p.* 163; et *Acta* IX *p.* 366. Jam vero haec Indulg. omnibus christifidelibus est concessa a Leone XIII U. O. 16 Jan. 1886. *Acta XVIII p.* 509.

6. Non licet Litanias approbatas abbreviare S. R. C. 3 Mart. 1674 (2529) et pluries.

7. Nec eis aliquid addere sine Indulto Apostolico S. R. C. 31 Mart. 1821 ad 8 (4428) et pluries.

At in Littaniis OO. SS. post versum „*A fulgure et tempestate*," ponendi sunt duo alii versus: „*A flagello terrae motus*" et „*A peste fame et bello.*" S. R. C. 11 Sept. 1847 ad 1. (4950).

Et in Litaniis Lauretanis additur jam ex concessione Pii IX „*Regina sine labe orginali concepta*"; Decreto vero U. et O. 10 Dec. 1883 et Brevi 24 Dec. 1883 Leo XIII statuit, ut postremo loco addatur: *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis. Acta XVI p.* 238 *et* 204.

8. In conventibus Religiosorum, qui habent Litanias OO. SS. proprias, recitari debent Litaniae communes in processionibus S. Marci et Rogationum, si conventus habet parochiam adnexam et Parochus solus cum populo assistit processioni, nec tunc ipse obligandus est repetere Litanias Ordinis, quod neque fieri debet ab aliis Religiosis qui Processioni interfuerint. S. R. C. 8 Apr. 1865. *Acta I p.* 240. (*De musices ratione in ecclesiis docte suo more Ben. XIV* „*Annus*" 19 *Febr.* 1749. *Bull. ed. Mechl. T.* 7 *p.* 34.)

—

CAPUT IV.

Altare missionis et ecclesiae ornatus.

1. Si altare majus minus apte esset situm, quam ut caerimoniae in illo peragendae commode a Fidelibus videri possint, consulendum esset, ut pro tempore missionis aliud altare erigeretur. *Namp. ch. III, Art. IV* § 1. Attamen juxta Decreta S. R. C. id fieri non potest absque licentia Ordinarii.

2. Ornatus altaris sit primo die festivus; tempore vero, quo tractantur materiae primae hebdomadae, simplex et gravis; diebus autem quibus habetur communio generalis, vel Missa aliqua solemnis, ornatus redeat; et ultimo die missionis ornatus sit quam maxime splendidus.

3. Die quo fit solemnis dedicatio parochiae B. V. Mariae, erigatur thronus altus et ornatus, ut infra dicetur.

4. In ornatu omnino vitanda sunt, quae incendii timorem ingerunt. Nec permittendum ut luminaria accendantur aut ornamenta adferantur sub concione.

—

CAPUT V.

Missae solemnes.

1. S. Vincentius Ferrerius quotidie cum maxima pompa Missam cantabat. *Namp. ch. III Art. IV* § 2 *et p.* 234. Sed visis circumstantiis nostrae regionis, non videtur consultum hunc morem imitari.

2. Missae, si fieri potest, solemnes fiant: 1°. Die primo ad implorandam gratiam Spiritus Sancti et auxilium de coelo, unde omne incrementum expectandum est. *Nisi Dominus aedificaverit* etc. *Deus autem incrementum dat.* Cantetur, si per Rubricas licet, votiva de Spiritu S. et praemittatur cantus *Veni creator*, *Namp. Ch. IV.* § 1. 4. et exponatur SS^{m} in ostensorio. *Supra p.* 101. 2°. In fine ad gratias agendas et perseverantiam efflagitandam. 3°. Postridie hujus diei in solemni commemoratione Fidelium Defunctorum, de qua infra c. XXIV. 4°. Fors in decursu missionis die quo habetur communio generalis puerorum vel etiam adultorum; vel ad reparandas injurias et ingratitudines divinae Bonitati illatos, quae solemnitas tamen ut infra dicetur melius vespere peragetur.

3. Inter industrias apud missionarios in more positas reperitur etiam novena missarum, quae ad alliciendos Fideles indicatis variis intentionibus offerantur v. gr. pro pueris et eorum parentibus et magistris, pro juvenibus, pro viduis et orphanis etc. ... *Namp. Ch. V* § 3—5.

—

CAPUT VI.

Preces publicae.

1. Ante omnia curandum est, ut Fideles quibus traduntur exercitia multum pro eorum bono successu orent. „Explicabit, ait *Instr. Belg. n.* 12, missionarius necessitatem orationis ad obtinendam conversionem peccatorum." Si vero aliquae peculiares difficultates occurrunt, si quae oppugnationes, si quidam obstinate gratiae resistunt, etc., multiplicandae sunt preces, indicato etiam (nisi prudentia vetet) fine illo particulari.

2. S. Franciscus Xaverius aliique missionarii magni faciebant preces puerorum. Epist. 39 n. 2. *Namp. Ch. V. Art. q. p.* 328.

3. Plures quotidie publice recitabant vel faciebant recitare preces matutinas et vespertinas. *Namp. Ch. IV. Art.* 11 *p.* 332 *et* 340. Quod ut facilius obtinerent, distribuebant libellos, qui illas preces aliaque quae tempore missionis usui esse poterant, continebant. In fine missionis vehementer urgebant, ut pius ille mos preces vespertinas in communi recitandi conservetur vel denuo assumatur.

4. Apud multos in more positum videmus, ut ante et post instructiones, conciones etc. aliquas preces publice recitent, v. gr. Pater et Ave semel, ter vel quinquies, peculiari intentione indicata, Litanias Lauretanas, partem Rosarii; et S. Liguorio auctor est, ut saepissime actus contritionis repetatur, quod et de actibus fidei spei et charitatis, de symbolo, de decalogo et de praeceptis Ecclesiae, de veritatibus scitu necessariis dicendum videtur, praesertim si populus rudior sit et timeatur ne ea oblivioni dederit.

5. Recitatio partis Rosarii videtur nullo die praetermittenda, ut ita B. Virgo quae tam vere Mater Misericordiae et Refugium peccatorum nuncupatur, propitia adsit et adjuvet. Praeterea hac publica veneratione promovebitur devotio erga Matrem illam numquam satis venerandam, cujus cultus et conversionis et perseverantiae medium est efficacissimum.

6. Ut autem omnis fructus ex recitatione Rosarii hauriatur, consideratio mysteriorum non est omittenda. Nampon Ch. III. Art. I. § 7 ex instructione S. Liguorio sequentem indicat modum.

1°. Enarratur aliquod exemplum marianum, quo fiducia in B. V. excitetur; 2°. Mysterium enuntiatur; 3°. Fit brevis consideratio super illo; 4°. Additur aliqua applicatio moralis et parva oratio ad B. V.; 5°. Recitantur decem Ave Maria. — Sit exemplum sequens:

Mysterium. Angelus Gabriël nunciavit Mariae.... quae de Spiritu S. concepit salvatorem.

Consideratio. Considerate hic amorem Dei nostri. Potuit alio modo nos salvare, sed amore nostri ductus voluit Ipse venire, et pro nostra salute nasci, pati, mortem subire. „Ne corda nostra divideremus (ait S. Bernardus) voluit nobis esse Creator et Redemptor."

Applicatio moralis. Sed ubi noster amor, ubi nostra gratitudo erga Deum, qui talem ac tantum nobis exhibuit amorem!?.. Oremus igitur

piissimam Virginem Mariam, quae tam ardenter suum Deum amavit.... ut nobis hunc sanctum amorem obtineat.

Oratio. O, beatissima Virgo, Mater Dei, exemplar divini amoris, impetra nobis a Jesu Christo filio tuo et nostro Redemptore, gratiam qua eum diligamus ex toto corde etc.

Ave Maria decies repetitum.

7. Considerationes hae et applicationes adaptandae sunt ad materias quae eo die tractantur, vel ad dispositiones auditorum, vel ad intentionem pro qua oratur, etc. et propterea cum multa cura sunt praeparandae. Regulas quas dat S. P. N. pro colloquiis hic sequendae sunt: „modo petendo aliquam gratiam (praesertim illam, quae tamquam fructus meditationis vel instructionis intenditur); modo incusando seipsum mali alicujus commissi; modo communicando res suas et petendo consilium in illis." *Lib. Exerc. I. Hebd. I. Exerc. Colloq.* Formulas pie rosarium recitandi vide in Formulari, n. XXXIV.

8. Breves precationes sub concionibus, quando voluntas auditorum afficitur et cor movetur, et colloquia in fine sermonis apte adducta et affectuose prolata, vehementer solent animos commovere.

Leges ecclesiasticae quoad usum formularum precum in publico.

1. „Ordinarii ne sinant alias Litanias *publice recitari* nisi praedictas sc. B. M. V. Lauretanas et Sanctorum quae in libris liturgicis habentur; vel alias si quae a S. R. U. Inquisitione recognitae et approbatae fuerint; ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris in quibus Litaniae inveniuntur Apostolica sanctione carentes". S. R. C. 16 Juni 1880. *Acta XIII. p.* 91. Intellige: approbationem Litaniarum a S. R. U. Inquisitione obtinendam esse ut publice recitentur *in liturgicis et publicis functionibus* ex Declaratione data a S. R. C. 29 Oct. 1882. *Acta XV. p.* 191. Imo „*nec publice* in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus *recitentur* absque licentia et approbatione S. R. C. Ita Congr. S. Officii, fer IV, die 18 Apr. 1860. *Falise Resol. p.* 33.

2. Tenentur Ordinarii novas Litanias examinare, et quatenus expedire putent approbare; at non nisi pro privata atque extraliturgica recita-

tione. S. R. C. 29 Oct. 1882. Acta XV. p. 192. Ita correxit seu explicavit S. C. quod in Decr. 16 Jun. 1880 dixerat: „ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris (devotionis) in quibus Litaniae inveniuntur apostolica sanctione carentes." *Acta XIII. p.* 91.

3. Quum quis petiisset num prohibitum sit in libris nuncupatis Devotionis (gebedenboeken) textui latino Ordinis Missae ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari, S. R. C. declarare censuit: „Libros eorumque versiones de quibus agitur, a canonicis praescriptionibus et Apostolicis Decretis, Episcoporum auctoritati omnino reservari; ideoque licitum non esse Fidelibus horum uti editionibus, nisi istae expressam praeseferant Episcoporum adprobationem. In una Neo-Eboracen. 4 Aug. 1877. *Acta XIII. p.* 429.

4. Ex hisce patet nullam precationis formulam coram populo usurpari licere, nisi ferat Episcopi approbationem.

—

CAPUT VII.

Admonitiones.

1. Admonitionum nomine intelliguntur variae allocutiones familiares, quas missionarii in decursu exercitiorum ad populum faciunt.

2. In hisce observanda Regula 15 Concion. „Curent ut rationem et modum quem observare debent in rebus populo denuntiandis .... a Superiore accipiant." Et Instructio Belgica n. 31. „ut missionarii nihil publicent, quod non ad missionem pertinet; reliqua a Parocho ipso denuntianda sunt." Vide supra p. 146. n. 6.

3. Fiunt ordinarie post singula exercitia, antequam populus discedat. Quum vero Fideles post concionem saepe versentur in pio affectu, admonitiones potius fiant post cantum vel post repositionem SS^{mi}, si expositum fuit.

4. Scopus harum admonitionum est: ut ordo et tempus exercitiorum innotescat; — ut perturbatio et confusio vitetur et omnia ordinatim fiant; — ut caerimoniarum finis et significatio intelligatur; — ut abusus impediantur, obstacula removeantur; — ut media indicentur; —

ut fervor excitetur, sustentetur, laudando etc.; — ut objectiones deleantur; — ut tempestive et debito ordine accedatur ad confessionem, ad Communionem; videat num expediat volentibus confiteri numeros distribuere ut singuli suum tempus sciant; etc.

5. Occasione admonitionum hortantur missionarii, si opus est, Fideles ad recollectionem animi, ad reverentiam in domo Dei, ad fidelitatem in sequendis exercitiis, ad orandum pro mutua salute, ad afferendum malos libros, verbo ad omnia, quae ad bonum successum tum in genere quum in specie conferunt. *Namp. Ch. III.* § 5. *p.* 89 Hac occasione etiam monita danda sunt quae in sectione superiore cap. VI. p. 135 recensita sunt.

6. Admonitiones fiant sermone brevi, perspicuo, familiari, imo aliquousque acuto, vitando tamen semper ne quid triviale aut pungens, aut amarum vel quod risum moveat, dicatur. Appareat in dicente summa benevolentia et prudentia; si reprehensio sit danda, id cum omni charitate et lenitate fiat.

—

CAPUT VIII.

Indulgentiarum promulgatio.

1. Inter ea quae S. P. N. cupit, ut Christifidelibus commendemus annumeravit et indulgentias; „laudando stationes, peregrinationes, indulgentias, cruciatas et candelas accendi solitas in ecclesiis." *Reg.* 6ª *ad sentiend. cum Ecclesia.*

2. Curet igitur Praeses missionis, ut variae indulgentiae, quae supra p. 74 secensentur, variis missionis diebus tempestive populo annuntientur, ut sese ad eas lucrandas praeparare queat.

3. Attamen priusquam publicentur, apud populum debita indulgentiarum aestimatio est excitanda, ne forte offendamus in monitum Salvatoris: „Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos." Matth. VII: 6; atque ut satisfiat Decreto Conc. Trid. Sess. 25 monenti: „ut insigne hoc indulgentiarum munus . . . pie, sancte et incorrupte omnibus Fidelibus dispensetur."

4. Explicabit modo ad captum auditorum accommodato:

Quid sit indulgentia et quotuplicis generis, de quibus fuse P. Schneider in opere: Die Ablässe p. 1—23 et p. 55—58.

Earum *excellentiam;* sunt enim „coelestes Ecclesiae thesauri et Christi Fidelibus salutares". *Conc. Trid. Sess.* 21 *Cap.* 9. et S. P. N.: „Dei amantibus et coelum quaerentibus sunt ingens thesaurus et gemmae pretiosae." *Epist. Lib.* 1 *Epist. XI.*

Utilitatem ostendet praecipue ex gravitate et rigore poenarum Purgatorii. (*Lancic. opusc. VI n.* 132—154.) et ex eo, quod sint plerumque applicabiles Fidelibus defunctis. „Mortuo ne prohibeas gratiam". Eccli VII: 37. *Schneid. p.* 39—54.

5. Exponet *conditiones* quae ad eas lucrandas sunt explendae, scilicet:

1°. Intentio saltem virtualis, seu propositum habitum nec revocatum illas lucrandi. *Schneid. p.* 70. *et Lehmk. II n.* 538.

2°. Status gratiae et charitatis, saltem dum expletur ultimum opus praescriptum; et ubi agitur de indulgentia plenaria plerumque additur: *qui vere poenitentes confessi;* qua clausula significatur statum gratiae per confessionem esse procurandum. *Schneid. p.* 71.

3°. Ut *opera praescripta* integre, actu libero (non aliunde debito) tempore et loco indicatis, devote et juxta intentionem, si quae indicetur, adimpleantur.

6. Opera quae pro lucrandis indulgentiis plenariis ordinarie injunguntur sunt: *confessio*, *Communio*, *oratio* ad intentionem Summi Pontificis; saepe requiritur ut hae preces fiant sub *visitatione* alicujus *ecclesiae;* aliquando additur aliquod pium exercitium, eleemosyna, jejunium, peregrinatio etc.

7. Circa haec opera notanda sunt plura, quae longiora sunt, quam ut hic referri possint. Quae hic missionarius utiliter populo exponere posset, summarie indicabimus.

8. *Circa confessionem observet*:

a. Valere etiam confessionem paschalem seu annuam de praecepto nisi agatur de indulgentia jubilaei, tunc debet id expresse declarari.

b. Privilegium confessionis hebdomadalis. Decr. 9 Dec. 1763. *D.* 231; quo semel confitendo singulis hebdomadis omnes indulgentiae acquiri

possunt singulis hebdomadis occurrentes, modo reliquae conditiones singulis vicibus implcantur. Excipe jubilaeum. *D.* 364. (1)

c. Unam confessionem sufficere ad omnes indulgentias plenarias lucrandas eodem die occurrentes. Vide Decr. 434.

d. Eam fieri posse pridie diei cui adnexa est indulgentia. Vide Decr. 426, 214.

e. Non requiri ut detur absolutio, modo poenitens rite dispositus confiteatur. Decr. 20 Aug. 1822 ad 2, *D.* 253, Item *D.* 295 *et* 359 *ad* 4; ubi confessio (si praescribitur) declaratur necessaria etiam quando quis culpae certae sit immemor, non vero absolutio tunc est necessaria.

f. Notet pro indulgentiis Viae Crucis non aliud requiri quam ut exercitium illud rite peragatur, ut infra Cap. XVII dicetur.

g. Notet *tempore missionis* sufficere ut semel accedant ad Poenitentiae Sacramentum, ad acquirendas indulgentias plenarias omnes quae eo tempore occurrunt. Ex concessione Leonis XIII d. 15 Mart. 1884. *Supra p.* 76; sed Communio, preces etc. sunt repetendae.

9. *Circa Communionem:*

a. Paschalem valere ut supra dictum est de confessione. Decr. 10 Maii 1844 ad 1. *D.* 327.

b. Unam sufficere ad omnes indulgentias plenarias ejusdem diei, ut supra n. 3. Vide Decr. 291 ad 1; 327 ad 1; 399 ad 1.

c. Fieri posse pridie ut supra n. 4, et Decr. 252.

d. Illam *pro indulgentia missionis* posse commutari cum pueris etc. vide supra p. 75.

e. Item *cum infirmis* et physice impeditis extra communitatem tamen degentibus; iis a confessario alia opera injungi possunt pro *Communione* et *visitatione ecclesiae.* Decreto U. et O. 18 Sept. 1862. *D.* 393.

10. *Circa preces ad intentionem Summi Pontificis:*

---

(1) Debet fieri confessio haec „quolibet decurrente septem dierum spatio, non sufficit ut fiat infra octo dies." S. C. 23 Nov. 1878, ad 1. *D.* 439. Satisfaciunt autem qui stato die ex. gr. Sabbato confessionem peragere solent. 25 Febr. 1886 ad 1. *Acta XVIII p.* 412; et *N. Rev. Théol. T.* 18 *p.* 258 Non autem necesse est ut confessio fiat stato die, sed sufficit ut unumquodque spatium 7 dierum habeat suam confessionem. Ibid. *Rev. Th. et T. XI p.* 31. et *Theol. Mor. P. Lehmk. II. n.* 539. ubi etiam ex „Raccolta" p. XVIII observatur: „Si quando ob legitimum impedimentum exceptio fiat a regula hebdomadariae confessionis, id non obesse indulgentiis lucrandis."

a. Intentio haec describitur plerumque sequentibus verbis: „pro „haeresum extirpatione, christianorum Principum concordia et pace, „Fidei catholicae propagatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, „peccatorum conversione etc.

b. Non opus est, ut haec explicite intendantur, sufficit intentio implicita sc. orandi ad mentem Summi Pontificis. Decr. 12 Jul. 1847 ad 3. *D.* 344.

c. Ubi nihil definitur, 5 *Pater* et *Ave* videntur sufficere, nec opus est ut flexis genibus dicantur. Resol. 18 Sept. 1862. *Schneid. p.* 92.

d. Non possunt anticipari, sed debent dici ipso die quo indulgentia lucranda est, Decr. 12 Jan. 1878 ad 2. *D.* 434, idque, quando nihil definitur a media nocte ad mediam noctem, Decr. 12 Jan. 1878 ad 1 *D.* 434 (1), aut ut plerumque definitur, quando indulgentia festo dici adnexa est, a primis vesperis festi ad solis occasum ejusdem festi i. e. a tempore quo solent cantari primae vesperae usque ad crepusculum vespertinum sequentis diei. Prudenter agent Fideles si preces ab ortu solis ante ejus occasum persolvunt quando indulgentia alicui festo vel solemnitati adnexa est.

e. Sint preces illae indebitae. *D.* 291.

f. Toties sunt repetendae, quoties quis indulgentiam lucrandam acquirere cupit. Decr. 12 Jan. 1878 ad 3. *D.* 434.

g. Possunt recitari in communi alternatim, ex Decr. 29 Feb. 1820 ad 4. *D.* 249.

h. Surdo-muti satisfaciunt, si preces sint publicae, quando corpore quidem adjuncti caeteris Fidelibus in eodem loco orantibus, mente in Deum elevata et piis cordis affectibus orent; si autem agatur de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii possunt easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. Decr. U. et O. Pius IX 15 Mart. 1852. *D.* 355.

11. *Circa visitationem ecclesiae.*

---

(1) Prinzivalli n. 214 refert Decretum S. C. 2 Julii confirmatum a S. S. 3 Julii 1784 ubi dicitur tempus lucrandi indulgentiam casu quo in concessione omittuntur verba „*a primis Vesperis etc.*" decurrere ab *ortu solis;* sed est mendum et in eo Decreto textus restituendus dicendo: Diem naturalem a media nocte incipere. S. C. 12 Jan. 1878. N. Rev. Théol. T. 18 p. 181.

a. Attendant Fideles ad speciem ecclesiae quae visitanda assignatur; an quaecumque, an publica, an parochialis etc. Pro *indulgentia utraque missionis* nulla requiritur visitatio, vide supra p. 74 et 79; nec pro indulgentia benedictioni papali adnexa, supra p. 75 n. II; nec pro indulgentia pro peractis precibus perseverantiae, p. 75 n. III; nec pro indulg. mense Decembri p. 75 n. V; — sed requiritur pro indulg. in die erectionis crucis etc. p. 79 n. II et pro indulg. in anniversario die etc., quidem visitatio alicujus ecclesiae vel publici oratorii, p. 75 n. IV.

NB. *Publicum* oratorium in monasteriis, seminariis aut conventibus censendum non est si plebs christiana ad illud accedere non solet. 22 Aug. 1842. *D.* 310.

b. Visitatio sit pia ex fide et religione; sit opus indebitum, ne ergo fiat sub Missa obligationis, sed hac audita exeat templo et iterum illam ingrediatur cum intentione persolvendi preces pro indulgentia, vel alio tempore v. gr. sub vesperis vel laudibus id faciat.

c. Fieri debet ipso die, (nec anticipari potest) et intra tempus debitum ut supra de precibus n. 4 dictum est. Sed nihil refert, utrum ante vel post Communionem aut etiam confessionem fiat. Decr. 19 Maii 1759. *D.* 214.

d. Si quis eodem die plures indulgentias vult acquirere pro quibus visitatio ecclesiae requiritur, toties visitatio realiter est iteranda quoties talis indulgentia est lucranda, et pro singulis visitationibus de novo ecclesiam ingredi debet. Decr. 29 Febr. 1864. *D.* 399.

e. Cum Fidelibus qui in illo statu physico sunt, quo impediantur ne visitationem illam peragant, confessarii respectivi illam in aliud opus pium commutare possunt. Ex Decr. U. et O. Pius IX d. 18 Sept. 1862 *D.* 393. Excipiuntur in illo Decreto qui in communitate commorantur. Religiosi eodem gaudent privilegio. *Supra p.* 164, n. 9.

f. Ad postulatum: „Ut conditio visitandi ecclesiam pro lucrandis indulgentiis generice saepe praescripta, adimpleri possit a personis utriusque sexus in communitate et sub regula viventibus, visitando oratorium domesticum", responsum est non expedire. S. C. 18 Dec. 1885; S. S. 16 Jan. 1886 ad I. *Acta XVIII p.* 462.

Attamen Nostris (et plerisque Regularibus) hoc privilegium concessum est. Vide *supra p.* 62 *n.* 12 *et p.* 65 *n.* 3.

g. Ad postulatum: „ut in casu quo *morale* aliquod impedimentum adsit, prudenti confessarii arbitrio dijudicandum, visitandi ecclesiam (ex. gr. Regularium aut parochialem) quae de jure visitanda foret ad aliquam indulgentiam lucrandam, haec visitatio designatae ecclesiae arbitrio confessarii commutari possit in aliud pium opus (ex. gr. in visitationem alterius ecclesiae", R. Negative. S. C. 18 Dec. 1885, S. S. 16 Jan. 1886 ad III. *Acta XVIII p.* 462.

h. Quod olim ex Decreto U. et O. 2 Aug. 1760 Confraternitatibus petentibus concedebatur jam a Pio IX concessum est absque recursu ad S. Sedem, nempe ut *visitatio ecclesiae* requisita ad indulgentias lucrandas Confraternitati concessas pro confratribus etc. infirmis aut carcere detentis in aliud opus pium commutari possit. 25 Febr. 1878, et Decretum Generale 20 Aug. 1887. *Acta XX p.* 207.

i. Imo S.S. D. Leo XIII concessit ut gravi alia ex causa cum iis visitatio ecclesiae a confessario commutari possit. Legitimitas impedimenti relinquitur judicio et discretioni confessarii. S. C. 25 Jun. S. S. 16 Jul. 1887 ad 4 partem dubii II. *Acta XX p.* 108. (1)

k. Surdomutis sufficit ut ecclesiam visitent, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus. Decr. U. et O. Pius IX 15 Mart. 1852 *D.* 355.

12. *Circa alia opera exponet:*

a. Ad indulgentiam plenariam missionis requiri, ut saltem *quinquies* exercitiis missionis interfuerint. *Supra p.* 74 *n. I.* At ex concessione Greg. XVI 17 Mart. 1841 confessarii respectivi in ea re cum infirmis possunt dispensare injungendo alia pia opera. *Supra p.* 74 *n. I. A.* Item ex concessione Pii IX 29 Mart. 1855 cum iis qui a longe veniunt, ut minus frequenter accedant. *Supra p.* 75 *n. I. B.*

b. Ad indulgentiam missionis secundam, *p.* 79 *n. II*, requiri ut *quater* interfuerint, qua in re nulla est concessa dispensatio.

---

(1) Quod S. C. Indul. 16 Jan. 1886 ad preces Illmi ac Revmi D. Casparis Mermillod concessit facultatem commutandi etiam *alia opera* pro indulgentiis requisita, videtur esse aliquid omnino particulare. Conf. Decretum diei 16 Jan. 1886. *Acta XVIII, p.* 462 et Decretum supra citatum. *Acta XX, p.* 207. – Vide Decretum Societatis Jesu de Confraternitatibus, 16 Jul. 1887.

13. In gratiam eorum qui ad majorem solemnitatem vellent *Indulgentiam Missionis* ipsis verbis Summi Pontificis publicare, dabitur Breve concessionis cum ejus versione Neerlandica in *Formulari.*

—

CAPUT IX.

De benedicendi ritu in genere.

1. In omni benedictione extra Missam Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis (i. e. in colore diei) utatur, nisi alius color indicetur. *Rit. Rom.*

Privilegium est Patrum Soc. J. per Decr. S. C. Episc. et Reg. 8 Nov. 1588 confirmatum, ut sine superpelliceo stolam induant, tum in administratione, etiam in publicis ecclesiis, Poenitentiae Sacramenti tum in benedictionibus extra Missam, maxime quando fiunt in locis privatis. *Gonlenv. p.* 76.

In benedictionibus, quae fiunt in altari, Sacerdos utitur pluviali. „Cum celebrans utitur pluviali, semper deponit manipulum; et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus quae fiunt in altari, celebrans stat sine planeta cum alba et stola. *Rubr. Gen. Missalis, Tit. XIX.* 4.

2. „Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquae benedictae et aspergillo, et cum hoc Rituali seu Missali." *Rit. Rom.*

Candelae accensae non requiruntur, nisi in benedictionibus cinerum, palmarum et candelarum.

3. „Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco paratam." *Rit. Rom.* De Herdt ponit inter indecentia vestes monialium, enses, vexilla, candelas etc.

4. Materia benedicenda sit moraliter praesens. „Certum est (ait de Herdt) a benedicente non benedici res, quae in sacculis vel sub vestimentis retinentur, neque quae inter populi assistentis multitudinem quasi absconduntur, aut quae a benedicente nec videri, nec in se aut alio continente ordinario demonstrari possunt. Aliqui docent sufficere propinquitatem 20 aut 30 passuum. *De Herdt, Praxis, p.* 194.

5. „Stando semper benedicat, et aperto capite". *Rit. Rom.* Et si benedictio fit ad altare, se sistat Sacerdos in cornu epistolae; cum vero dextera rem signat, ponat sinistram super altare.

6. In principio cujusque benedictionis dicat se signans:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram. (1)

℣. Dominus vobiscum (*non se vertens ad populum*),

℟. Et cum spiritu tuo.

In hisce omnibus uti et ad *Oremus* et sub oratione tenet manus junctas ante pectus, faciens tamen ad *Oremus* et ad SS. Nomen Jesu capitis inclinationes versus crucem altaris.

7. Post versus supradictos dicitur Oratio propria una vel plures, prout in Rituali Romano vel Missali notatum est. *Rit. Rom.* Illi soli libri adhibendi sunt, aut eae benedictiones solummodo usurpandae sunt quae Rituali Romano conformes sunt. S. R. C. 7 Apr. 1832 (4532); nec licet aliis formulis uti quam quae a S. R. C. approbatae sunt. Nostris uti licet formulis quae pro *particularibus locis* a S. R. C. rite fuerunt approbatae. Pius IX, 14 Mart. 1864. *Supra p.* 25.

8. Quando nulla datur formula „producendum est signum crucis super re benedicenda cum formula „*In nomine Patris etc.*" deinde rem benedictam absque cereo accenso aqua benedicta aspergat. S. R. C. 12 Aug. 1854. *F. n.* 12. Sed datur jam formula pro quaqumque benedictione in Appendice Ritualis p. XCVIII; quam infra in Formulari sub n. 1 describemus. Ast in eodem Appendice facile est, aliquam aptam orationem reperire.

9. „Postea rem aspergat aqua benedicta et ubi notatum fuit pariter incenset nihil dicendo." *Rit. Rom.* Aspersio et incensatio debent fieri ter: 1°. in medio, 2°. a dextris et 3°. a sinistris rei benedicendae, aut quoad Sacerdotem ipsum stantem coram re benedicenda 1°. ante ipsum, 2°. versus sinistram suam et 3°. versus dextram suam.

10. „Noverit Sacerdos quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant; ne majoris dignitatis munera temere aut imperite unquam usurpet propria auctoritate." *Rit. Rom.*

---

(1) In nonnullis benedictionibus additur: Domine exaudi orationem meam etc.

Benedictiones Episcopis reservatae sunt: 1°. in quibus intervenit S. Unctio; 2°. Sacerdotalium indumentorum et supellectilium altaris, mapparum, corporalium, tabernaculi, seu vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda. *Miss. Rom.* et *Rit. Rom. p.* 394; 3°. Novae crucis et imaginum, intellige (ait de Herdt *Praxis p.* 191.) „si fiant publice, cum concursu populi, cum solemnitate, cantu, pluribus ministris etc.; non autem privatas quae fiunt absque praedicto apparatu a solo Sacerdote cum unico ministro." 4°. Lapidis primarii novae ecclesiae vel oratorii publici; benedictio novi coemeterii, novae ecclesiae vel oratorii publici; ad reconciliandam ecclesiam violatam. Si quando sacerdos obtinuit delegatam potestatem benedictiones Episcopis proprias peragendi, tenetur ad formulas et ritus in Rituali descriptos nec uti potest iis quae in Pontificali habentur.

11. Habentur etiam benedictiones Religiosis Ordinibus reservatae. *Rit. Rom. Append. p. CXXXVI et seq.*, quae nonnisi a Sacerdotibus specialem facultatem habentibus adhiberi possunt.

12. Formula benedictionis ad omnia, (vide infra Formulare n. I.) a quovis Sacerdote adhiberi potest pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano. *Append. Rit. Rom. p. XCVIII.*

—

CAPUT X.

De benedictione coronarum etc.

§ I. Monita ad benedicentem.

1. Magnum thesaurum indulgentiarum nobis contulerunt Summi Pontifices Fidelibus communicandum, concedendo facultatem benedicendi coronas, rosaria etc., benedictione papali eisque adnectendi indulgentias in summario infra descripto contentas; nec non eas a S. Birgitta nuncupatas. *Supra p.* 26, 86, 88.

2. Ut autem benedictio haec suum effectum sortiatur, plura sunt observanda, quae materiam, formam, usum etc. rerum benedicendarum spectant. Praecipua referuntur in Summario indulgentiarum nuperrime de novo jussu SS. D. N. Leonis PP. XIII edito, quare illud hic

transcribimus prout reperitur in recenti opere a P. Schneider edito „Rescripta Auth." Pars II. p. 345.

1. Summarium indulgentiarum (1) quas SS. D. N. Leo PP. XIII impertitur Christifidelibus qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint.

Monita.

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII impertitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1°. Ut christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis objectis.

2°. Quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3°. Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex (2) stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4°. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel jam consueta forma canonizati, vel in Martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

5°. Hisce praehabitis indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis objectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Indulgentiae.

6. Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. V. Mariae (3), aut rosarium, ejusve

(1) In decretis vocatur aliquando *Instructio*, vel Elenchus indulgentiarum quas Summus Pontifex etc. Discrepat hoc novum summarium quoad res in paucis ab illo edito jussu Pii IX 14 Maii 1853. Prinz. Supplem. n. XLVII et Raccolta p. 392 (421).

(2) In exemplari Roma misso ponitur hic *ex ferro*; quod tamen deest etiam in Elencho an. 1853.

(3) In Elencho 1853 ponitur simpliciter: vel (coronam) B. V. Mariae.

tertiam partem, aut divinum officium, vel officium parvum ejusdem B. Virginis, aut fidelium defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere, si fuerit sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad sacram Synaxim accedet, quolibet ex infrascriptis diebus, nempe: Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; — itemque diebus festis SS^mae Trinitatis, Corporis Christi; — Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae; — Nativitatis S. Joannis Baptistae, S. Josephi Sponsi ejusdem B. Mariae Virginis; — SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, Mathiae et Omnium Sanctorum, eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum *plenariam indulgentiam* lucrabitur.

7. Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam 7 *annorum totidemque quadragenarum* acquiret;

Quavis Dominica vel alio anni festo 5 *annorum totidemque quadragenarum* lucrabitur:

Sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, 100 *dierum* indulgentiam acquiret.

8. Praeterea, quisquis consuevit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adjectisque precibus, quoties id peregerit, 100 *dierum* indulgentiam consequetur.

9. Quisquis in mortis periculo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque juxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitutione quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus

et sacra Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit SS. Nomen Jesu, *plenariam indulgentiam* assequetur.

10. Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. Mariae Virginis, toties 50 *dierum* indulgentiam acquiret.

11. Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties 200 *dierum* indulgentiam lucrabitur.

12. Quisquis ad aeris campani signum, mane, vel meridie, aut vespere solitas preces nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*; vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit Psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, 100 *dierum* indulgentiam acquiret.

13. Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione et morte Domini Nostri Jesu Christi, terque orationem Dominicam et salutationem angelicam recitaverit.

14. Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devote ter recitaverit *Pater* et *Ave Maria* in SS^mae^ Trinitatis, aut (1) in memoriam quinque vulnerum D. N. Jesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave Maria*, 100 *dierum* indulgentiam acquiret.

15. Quisquis devote pro Fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, 50 *dierum* indulgentiam consequetur.

Declarationes.

16. Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

17. Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecesso-

(1) In Elencho 1883 ponitur: *et.*

ribus suis jam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

18. Jubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis objectis juxta decretum s. m. Alexandri VII editum die 6 Febr. 1657 non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita objecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, juxta decretum S. Congregationis indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositum editum die 5 Junii 1721.

19. Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum s. m. Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi hujusmodi objecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

20. Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi crucifixis, absque particulari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitutione *Pia Mater*.

21. Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum indulgentiarum pro majori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen, ut pro quolibet elencho, qui ubicumque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum. (1)

(1) In exemplari aliquo Roma misso decrat haec paragraphus, unde quidam inferebant, sufficere ut versio ab Ordinario approbetur. Sed standum est sequenti decreto; ad Qu.: « Haec prohibitio estne mere politica et ad ecclesiastici regni incolas tantum, non ad universos orbis fideles directa? Obligatne in conscientia extra fines Romani Imperii?» Resp. S. C. 20 Sept. SS. 23 Sept. 1775 ad 4. « Relatum et servetur decretum." D. 237.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium, etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Februarii 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secret.

Ad elenchum in Actis vol. I. p. 573 notatur: „Praesens indulgentiarum elenchus cessat morte RR. Pontificum, et post novi Pontificis electionem iterum confirmatur vel renovatur."

2. Decreta S. C. Indulgentiarum hanc facultatem spectantia.

1. Ex inscriptione Instructionis supra p. 171 relatae patet Nostros benedicere posse coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas et numismata medalje vulgo nuncupatas, modo habeant qualitates requisitas ut infra dicetur.

2. Nomine autem *coronae* intelliguntur coronae omnigenae modo sint approbatae a S. Sede; sed applicatio indulgentiarum restringitur ad eas indulgentias quae in Instructione supra p. 171 sunt recensitae. S. C. 16 Jan. S. S. 21 Jan. 1747 ad 1 *D.* 161. Nec potest hac facultate applicare indulgentias tributas coronis Domini vulgo dictis Camaldulensium, 29 Maii 1841 ad 7 *D.* 291. — Nec indulgentias a diva Birgitta dictas. Leo XIII, 17 Nov. 1883, *supra p.* 26, qui *sanavit* tamen errorem in quo aliqui ex Nostris versati sunt. Ibid. Idem dicendum de indulgentiis quibus alia rosaria vel coronae ditata sunt ut rosarium Dominicanorum, corona septem dolorum etc.

3. Qui vero accepit facultatem benedicendi cruces seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in hora mortis, non potest quidem alia objecta quam cruces et numismata benedicere nisi aliunde de contrario constet, sed potest eisdem applicare omnes indulgentias Summarii supra citati. Ita S. C. 20 Sept. S. S. 23 Sept. ad 1 et 3. *D.* 237.

4. Applicatio indulgentiarum non potest fieri ad res quae supra n. 1 non sunt nominata. Resp. Praef. Congr. Indulg. 23 Jul. 1836. *Schneid. p.* 586. 1.

5. Potest quis etiam pro seipso cruces et rosaria etc. benedicere. S. C. Indulg. 16 Jul. 1887 ad VI. *Acta XX*, *p.* 63.

3. Servanda circa materiam ex qua objecta benedicenda confecta esse debent.

1. *Quoad coronas et rosaria.*

„Globuli possunt esse ex ferro, stanno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis." 29 Febr. 1820 U. et O. ad 1. *D.* 249. Imo ex vitro et crystallo modo sint solidi et compacti. Ibid. ad 2. — Etiam ex chalybe polito 22 Mart. 1839 ad 2. *D.* 271. Quinimo ex ebore et ligno, ex corallio (koralen), ambaro (barnsteen), encausto (porselein), marmore, alabastro. *Schneid. p.* 582, *n.* 5 *et* 6. Et revera ubi in Instructione materies enumerantur quae pro crucibus etc. excluduntur, coronae nec rosaria nominantur. *Supra p.* 171, *n.* 3.

2. *Quoad imagines.*

„Sanctitas sua rejicit imagines impressas sive depictas." *Supra p.* 171, *n.* 3.

3. *Quoad cruces, crucifixos, parvas statuas et numismata.*

„Sanctitas sua rejicit quae ex stanno, plumbo vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur." *Supra p.* 238, *n.* 3.

Rejicienda igitur quae ex gypso (gips) confecta sunt sed admitti possunt cruces et crucifixi ex ebore et ex ligno; ita *P. Schneid. p.* 582. *n.* 5.

Quamvis indulgentiae applicari non possint objectis fragilibus, licet tamen ea benedicere. *P. Schneid., ibid. n.* 4.

Hinc S. C. affirmat facultatem Episcopis tributam adnectendi indulg. 40 dierum aliquibus imaginibus seu statuis lucrandam a visitantibus eas etc.; sed adjicit: „servatis tamen Apostolicis ordinationibus circa fragilitatem objectorum quibus non sunt adnectendae indulgentiae." 24 Jan. 1846. *D.* 333.

Indulgentiae adhaerent imagini crucifixi; vide infra § 2., n. 10.

4. Servanda circa formam earum rerum.

1. *Quoad coronas.*

a) Eae solae admitti possunt quarum forma a S. Sede fuit approbata. Index ed. 1877 p. XLVIII. *Kathol., Deel* 75, *bl.* 61 et p. XLVII

legitur: „Prohibita sunt rosaria quaecumque de novo inventa aut invenienda sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum rosarium Deo et B. V. sacrum antiquaretur. Approbatas vide infra § IX.

b) Indulgentiae non possunt applicari annulis in quibus sculpti sunt globuli decem. 20 Jun. 1836 ad 5 *D.* 257 et Responsum Card. Praef. Congr. Indulg. nomine Greg. XVI die 23 Jul. 1836. Ill°. D°. Bouvier. *Schneid. p.* 586.

2. *Quoad statuas et numismata:*

a) Imagines et icones debere repraesentare Sanctos vel jam canonizatos vel in Martyrologiis rite probatis descriptos. Instr. supra p. 171, n. 4. Ergo excluduntur icones vel numismata imagines Beatorum referentes, ut S. R. C. declaravit die 16 Jun. 1674. *Acta XI p.* 405.

b) Non tamen excluduntur numismata quae duplicem imaginem prae se ferunt quarum una facies Sanctum ex supra indicatis repraesentet, et altera referat Beatum, 22 Dec. 1710. *D.* 32. Imo haec superficies etiam repraesentare potest imaginem Summi Pontificis aut alterius personae sanctitate celebris. Declar. Substituti S. C. Indulg. Oct. 1868. *Schneid. p.* 583.

5. De formula qua sunt benedicenda.

1. Ad indulgentias has applicandas sufficit signum crucis cum intentione indulgentias concedendi super objecta prolatum. 11 Apr. 1840. ad 5. *D.* 281. Nec prolatio verborum nec aspersio aquae benedictae necessariae sunt ne quidem quum in Indulto existat clausula: „*In forma Ecclesiae consueta.*" 7 Jan. 1843 ad 2, 3 et 4. *D.* 313.

2. Idem valet pro corona S. Birgittae. Ex Decreto 281, vide supra et Rescripta auth. p. 699.

3. Sed pro coronis rosarii Dominicanorum et Septem Dolorum servanda est formula particularis ut eis adnectentur indulgentiae, hisce particulariter concessis, 29 Febr. 1864. *D.* 401; et ad petionem ut in hac re daretur dispensatio, respondit S. C. id non expedire. Ibid. ad 2. — Idem dicendum de coronis Domini seu Camaldulensium. *Gonlenv. p.* 78 et de numismate S. Benedicti. *Prinz. D.* 114.

4. Si coronae, cruces etc., antequam tali vel tali personae distribuantur, *in globo* benedicantur cum applicatione indulgentiarum, valida

est benedictio. S. C. 5 Mart. S. S. 12 Mart. 1855. *D.* 363. Et indulgentiae transeunt in personam quae eam primo accipit ut suam.

5. „ Uni et eidem rei, puta uni coronae, possunt applicari diversae indulgentiae v. gr. Apostolicae et S. Birgittae, sed ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia, 29 Febr. 1820 ad 3. *D.* 249. Coronae igitur quae jam aliquam benedictionem cum indulgentiis acceperunt, possunt etiam a PP. Crucigeris benedici. P. Schneider contra aliquos. *p.* 193.

§ 2. Monita danda populo.

1. Ante benedictionem docebit missionarius quae objecta benedici possunt cum applicatione indulgentiarum. Communicabit praecipua ex eis quae supra p. 175, II n. 1, III, IV et V n. 4 et 5 relata sunt. Si benedictio fieret nudo signo crucis, monendus esset populus, id ex concessione S. Sedis sufficere, nec S. Patrem aliter solere benedicere. *Schneider p.* 581.

2. Communicabit decretum quo S. C. districte prohibuit, ne coronae, cruces etc. in posterum aut publice, aut secreto *vendantur*, vel quomodocumque *commutentur*; addita etiam declaratione, quod *non transeant* personam illorum, quibus prima vice distribuantur, et quod neque *commodari*, aut precario dari possint ad lucrandas indulgentias, bene vero ad nudam precationem, et quod, aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea *subrogari* altera *non* valeat. Quod si secus fiat, saepe dictae cruces et coronae careant indulgentiis jam concessis. 4 Jun. 1721 *D.* 78 (1) et Decretum generale Alex. VII d. 6 Febr. 1657. *Decreta auth. Append. n. IV p.* 447; D. 16 Jul. 1887. *Acta* XX *p.* 63 et Instructio supra p. 174 n. 18. Ergo:

3. Non possunt *vendi*, imo „ qui emit ea ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum non potest *petere pretium* ab accipientibus sine culpa nec sine periculo (deperditione) indulgentiarum. S. C. 22 Febr. S. S. 12 Jul. 1847 ad 2. *D.* 344. Atque hoc a S. C. denegatum fuit alicui, qui secum plures coronas detulerat e Terra Sancta, etiamsi contenderet se rogare pecuniam pro

(1) Alii ponunt 5 Jun. 1721. Schneid. p. 583. Prinzivalli D. 50. SSo Domino relatio facta est 4 Jun. sed a S. C. publicata 5 Jun.

expensis in emptione, pro vectigalibus factis et pro summo labore ac discrimine vitae quod obierat. 14 Dec. 1722. Idem 31 Jan. 1837 et 2 Oct. 1840 (*Prinz. D.* 505) *Schneid. p.* 585. Cf. et S. C. 15 Maii 1886. *N. Rev. Théol. T.* 18 *p.* 338.

Postquam igitur res receperint benedictionem, debent gratis aliis tradi. Idem valet de cingulo S. Joseph, de scapularibus nempe benedictis, in casu quod indulgentiae adhaereant benedictioni etc. Accipi possunt eleemosynae, sed neque directe neque indirecte eae tamquam debitae exigi possunt. *Schneid. p.* 585. Tutius est nullas eleemosynas admittere.

4. Quando aliquis rem ita benedictam suam fecerit ut ejus indulgentias lucretur, aut ea ut tali usus fuerit non potest ultro eam alteri *donare*, ut is indulgentias sibi acquirat. Ex Decr. Alex. VII supra p. 178 et ex Instructione supra n. 18 et ex Resol. S. C. Indulg. 19 Jan. 1711 et iterum 23 Febr. 1711. *D.* 34.

5. Nec transeunt indulgentiae in personam quae rem indulgentiatam *invenit* aut post mortem primi domini eam *acquirit*, quia indulgentiae non transeunt personam prioris domini. 10 Jan. 1836. *Prinz. D.* 482 et *Schneid. p.* 585 *n.* 15.

6. Nec possunt hae res aliis *commodari* ea scilicet intentione ut eis indulgentiae communicentur; licet vero si commodentur simpliciter ad recitandum rosarium, 10 Jan. 1839, ad 5. *Prinz. D.* 482. Idem valet de corona S. Birgittae, si commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recitationem orationum. S. C. 9 Febr. S. S. 13 Febr. 1745. *N. E. D.* 151 et *Instr. n.* 18.

7. *Deperdita re*, pereunt etiam indulgentiae, nec alia assumi potest, sed alia de novo debet benedici. Supra Instr. n. 18 et 6 Mart. 1756. *Prinz. D.* 225.

8. *Fracta re*, pereunt indulgentiae si res perdidit suam formam moralem. 19 Jun. 1833. *Schneid. p.* 583 et P. Theodorus a Sp. S. Parte II p. 230, „Respondemus cum distinctione: si parva sit fractio, . . . non perire indulgentias, quia adhuc quoad formam moralem eaedem res mobiles perseverant; secus vero si numismata notabiliter frangerentur, ut Sancti imaginem non referrent, quia idem numisma moraliter non remaneret". *Schneid. p.* 584.

9. *Quoad coronas* vero: a) certo non pereunt indulgentiae si fracto filo seu catenula globuli reservantur, licet alio ordine connecterentur, nam indulgentiae adnexae sunt globulis. *Schneid. p.* 583 contra aliquos. *Mélang. t. I, IV p.* 145. b) Neque si deperderentur pauci globuli v. gr. quatuor vel quinque; S. C. 10 Jan. 1839 ad 4. *Prinz. D.* 482; — unde auctores: benedictio non perit, modo remaneat major pars globulorum. *Mélang. Théol. T. I p.* 145 *IV*, ex Responso ibi allato 30 Aug. 1847: „Dummodo calculi seu globuli in majori eorum parte perseverent, indulgentias corona non amisit". — c) Neque „si successive calculi frangerentur (perderentur), et statim fieret aliorum substitutio (in minori parte); nam novi calculi traherentur ad unitatem numericam ejusdem rosarii". P. Theod. a Sp. S. *Schneid. p.* 584. Hoc verum manet etiamsi tali modo successive omnes globuli renovarentur, sed singulis vicibus in minori numero quam qui supersunt.

10. *Quoad crucifixos* sciendum, indulgentias cadere in solam imaginem Christi, quae imago igitur transferri potest in aliam crucem absque periculo amittendi indulgentias ipsi collatas. 11 Apr. 1840 ad 6. *D.* 281. Haec crux potest esse ex ligno.

11. *Notandum.* De crucifixo quem Nostri deferre possunt ad infirmos ut eis impertiatur indulgentia plenaria, dicitur: „quam semel electam mutare non licet, nisi eventu amissionis." Supra p. 65.

12. *Quoad conditiones ad lucrandas indulgentias*:

1°. Moneat non requiri ut prius tres coronae recitentur: Nam ad Q. „An quis possidens rosarium 5 vel 15 decadum a Sanctitate Vestra vel ejus delegato Sacerdote ad hoc, cum applicatione consuetarum indulgentiarum etiam S. Birgittae nuncupatarum benedictum, necessario vel saltem convenienter praevie ter recitare debeat suum hujusmodi rosarium, ut possit lucrari indulgentias illi adnexas, scilicet, uti asseritur ab aliquibus, primo pro Romano Pontifice, secundo pro S. Matre Ecclesia, tertio pro Sacerdote, qui illud benedixit?" R. Negative, juxta plurima generalia decreta. 15 Mart. 1835. *Schneid. p.* 590 *n.* 26.

2°. Pro *indulgentiis papalibus* sufficere 1°. ut aliquod ex praedictis objectis secum habeat vel apud se in cubiculo etc. retineat; et 2°. illud secum ferendo vel coram illo preces praescriptas recitet. Vide Instr.

n 1 et 2 supra p. 171; 3°. sufficere ut singulis hebdomadis coronam recitent, quin opus sit mysteria meditari, 1 Jul. 1839 ad 2 *D.* 273, vel Missam audiant (exclusa tamen illa ad quam quis aliunde obligetur) ut sub consuetis conditionibus lucretur: a) *indulgentiam plenariam* in omnibus festis majoribus Christi Domini, B. Virginis Mariae, SS. Apostolorum (non vero S. Barnabae) S. Joannis Bapt., S. Joseph et OO. Sanctorum. *Instr n.* 6 *p.* 172. — b) Si id fecerit in minoribus festis Christi Domini aut B. Virginis, lucrabitur indulg. 7 *an. et* 7 *quadr.* — Si in aliis festis anni aut Dominicis 5 *an. et* 5 *quadr.* — Si in quocumque die 100 *dierum. Instr. n.* 7. — c) Praeterea lucrabitur plures indulgentias partiales pro operibus pietatis et misericordiae. — d) Tandem indulg. plen. in articulo mortis. — Omnes indulgentias esse applicabiles Fidelibus Defunctis.

3. Quum autem coronis benedictis adnectantur etiam indulgentiae a *S. Birgitta* nuncupatae docebit: a). Eum qui recitando coronam seu rosarium, corona utitur sic benedicta, lucrari indulgentiam 100 *dierum* pro qualibet oratione Dominica et pro qualibet salutatione Angelica, nec non pro quolibet, si dixerit, symbolo Apostolico. Indulg. sunt applicabiles Fid. Defunctis. Leo X, 6 Idus seu 10 Jun. 1515. *Summ. Indulg. n.* 1. *Infra* § *III.* — b). Neque hic requiri meditationem mysteriorum. 1 Jul. 1839 ad 1, *D.* 273; — neque ut sex decades dicantur et in singulis decadibus symbolum Apostolorum repetatur, quod solummodo de essentia est pro corona S. Birgittae proprie dicta. 15 Jan. 1839. *D.* 268; — Nos autem habere facultatem adnectendi illas indulgentias ordinariis coronis 5 decadum de qua facultate etiam sermo est in D. 268 et 20 Jun. 1836 ad 6, *D.* 257; et per coronas sic benedictas acquiruntur indulgentiae memoratae recitando coronam in communi. 24 Sept. 1841. *Schneid. p.* 199; et 22 Mart. 1839 ad 1, *D.* 271; 20 Jun. 1836 ad 6, *D.* 257; 28 Sept. 1838 ad 3, *D.* 264. — c). Non acquiritur illa indulg. 100 dierum si unum aut alterum *Pater* aut *Ave* aut *Credo* separatim ad illam coronam recitetur, 27 Aug. 1832. *Schneid. p.* 201, et 29 Maii 1841 ad 8. *D.* 291. Hoc privilegium competit soli coronae a PP. Crucigeris benedictae. Vide infra § VII. — d) „Qui coronam hanc cum alio vel aliis recitaverit, omnes et singuli recitantes easdem indulgentias perinde

ac si quisque seorsim id egerit, consequentur." Summ. Indulg. n. III. *Rescripta Auth. Part. II*, *n.* 3. Et in genere: orationes quibus applicatae sunt indulgentiae possunt recitari alternatim cum socio quin indulgentiae amittantur, 29 Febr. 1820. *D.* 249. Addit tamen P. Schneider p. 201 singulos coronam benedictam manu tenere debere ex S. C. 27 Aug. 1832. — Ergo non sufficit ut unus coronam teneat quem admodum id concessum est pro rosario Dominicanorum. 22 Jan. 1858. *D.* 384 et *infra* § *VIII.* — e). Si quis habet coronam a Nostris birgittatam et a PP. Dominicanis benedictam non ideo lucretur ad singula *Pater* et *Ave* 200 dies indulg. sed dumtaxat 100 dies. *Schneid. p.* 201. Nam uni eidemque coronae possunt quidem adnecti indulgentiae diversae sed ad eas lucrandas opera iterabilia sunt repetenda, 29 Febr. 1820 ad 3, *D.* 249 et *Schneid. p.* 203, nisi constet de contraria intentione Summi Pontificis.

4. Coronae birgittinae non sunt confundendae cum coronis a PP. Crucigeris benedictae, de quibus infra § VII.

§ 3. Summarium indulgentiarum quae coronis S. Birgittae sunt concessae. (1)

I. 100 dies pro singulis *Pater*, *Ave*, *Credo*. *Leo X*, 6 *Idus Julii* 1515.

II. Insuper 7 an. 7 q. quando in communi recitetur. *Idem.*

III. Potest alternatim cum aliis recitari. *Idem.* Vide supra p. 181, d.

IV. Indulgentiae illae sunt etiam applicabiles Fid. Def. *Ben. XIV*, 10 *Mart.* 1742.

V. Qui per integrum annum quotidie dictam coronam saltem 5 decadum recitaverit, semel in anno lucratur indulgentiam plen. die eligenda. (Confessio, Communio, Preces.) Clem. XI. 22 Sept. 1714.

VI. Qui saltem semel in hebdomada, lucratur indulgentiam plen. in festo S. Birgittae. (Confess. Comm. et preces visitando propriam cujusque parochialem ecclesiam.) *Ben. XIV*, 15 *Jan.* 1743.

VII. Indulgentiae plen. in articulo mortis. (Confessio, Comm. si potuerit, sin minus elicita cordis contritione ore, si potuerit, alioquin corde saltem Jesu Nomen invocaverit.) *Idem.*

VIII. Qui *per mensem* continuum quotidie eam recitaverit, lucratur

(1) Vid. Rescripta authentica P. Schneider, p. 332.

indulgentiam plen. intra ejusmodi mensem die eligenda. (Conf. Comm. preces aliquam ecclesiam visitando). *Idem.*

IX. Qui eamdem coronam penes se deferens pro Christi fidelibus in agone constitutis ad signum campanae flexis genibus Deum deprecabitur, qua vice id egerit, lucratur indulgentiam dierum 40. *Idem.*

X. Qui apud se dictam coronam habens vere peccatorum suorum poenitens conscientiam suam examinaverit, ac ter *Pater* et *Ave* recitaverit, indulgentia 20 dierum gaudebit. *Idem.*

XI. Qui ipsam coronam retinens SS. Missae Sacrificio quocumque feriato vel festivo die, — aut verbi Dei praedicationi devote interfuerit, — aut SS. Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur, associaverit, — aut devium aliquem ad viam salutis reduxerit, — vel in honorem D. N. J. C., seu B. Mariae V., aut ejusdem S. Birgittae quodcumque pium opus peregerit et ter *Pater* et *Ave* recitaverit, indulgentiam 100 dierum consequetur. *Idem.*

XII. Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias .... aut sibi aut Fidelibus Defunctis applicare potest. *Idem.*

S. C. Indulg. praesens summarium recognovit typisque imprimi ac publicari permisit. Datum Romae etc. 9 Jul. 1878.

§ 4. Quae curanda a Praeside missionis ante benedictionem.

1. Praefectus missionis, quantum fieri potest, curabit ut in locis, ubi missionem daturus est, adsit copia coronarum, numismatum etc., ut omnes pro libitu ea sibi procurare possint.

2. In medio missionis, quando populus jam ad meliorem frugem redit, annuntiet diem et horam qua hanc benedictionem peracturus est. Eligantur dies et hora qua quam plurimi adesse possint, et satis tempestive id fiat, ut tempus reliquum sit populo ad res benedicendas sibi procurandas.

3. Optandum foret, ut Summarium indulgentiarum verteretur in linguam vernaculam pro qua re recurrendum est ad S. Congr. Indulgentiarum. Supra p. 174, n. 21.

4. Instruct populum de qualitatibus quas res benedicendae habere debent juxta dicta superius § I. nn. 3 et 4, p. 176, seu potius quae res excludantur ab indulgentiis, licet non ideo excludantur a

benedictione. Statuae ex gypso possunt quidem benedici sed non ditari indulgentiis.

5. Posse quidem res benedicendas afferri per alium quam cui destinatae sunt, imo res posse in globo benedici et post benedictionem distribui, sed sub poena amissionis indulgentiarum prohibitum esse ne vendantur aut pro eis expensa repetantur. Vide supra § II. n. 3. p. 178.

6. Sufficere ad benedictionem cum indulgentiis percipiendam, ut res a benedicente conspici possint, nec opus esse, ut aqua benedicta eas attingat. Vide supra Cap. IX n. 4 p. 168.

7. Hanc occasionem nactus loquetur, si videbitur de ornatu quo domus christianorum decorari decet; adsit ibi oportet crucifixus (1), imo, si fieri posset, in singulis cubilibus adesse deberet; adsit aliqua statua vel imago B. V., S. Joseph etc., aqua benedicta, cerea benedicta, palmae ramus item benedictus; adsit copia librorum precationum, spiritualium ut historia utriusque Testamenti, liber Evangeliorum etc; dicet decere, ut quisque habeat suum rosarium; exponet excellentiam hujus precationis, quam salutare sit, eam quotidie in communi peragere etc.

8. Indicabit in genere quam plurimas indulgentias rebus hac benedictione sacratis adnexas esse. Advertat tamen missionarius indulgentias a Pio IX communi recitationi rosarii concessas non acquiri nisi rosarium a PP. Dominicanis aut a facultatem habentibus sit benedictum. S. C. 14 Dec. 1857 S. S. 28 Jan. 1858. *D.* 384 *et Infra* § *VIII n.* 6. Verumtamen pro recitatione in communi etiam iis qui corona utuntur S. Birgittae concessae sunt indulgentiae, nempe 7 an. et 7 q. et si id fiat per mensem quotidie, etiam acquiri potest semel in mense indulgentia plenaria die pro libitu. Supra § III. n. II. et VIII. p. 182 n. 3. d. sed unusquisque debet suam coronam manu tenere, quod non requiritur si adhibetur rosarium Dominicanorum. Vide infra § VIII n. 6.

§ 5. Ritus solemnis benedicendi coronas etc.

1. Hora indicata missionarius superpellicio et stola pro ratione temporis indutus accedit ad altare, intonat *Veni Creator* aut aliquem

(1) Vide, P. Felix 1860 Confer. 2a, part. II. p. 79. Et fusius P. Grou, Science pratique du crucifix. Méditations.

ex Psalmis v. gr. *Beatus vir.*, vel *Lauda Jerusalem Dominum* etc. quem prosequuntur cantores vel clerus. Interim ascendit suggestum.

2. Finito cantu brevem sermonem habebit in quo explicet quid sit acturus, ex qua facultate agat etc. *supra p.* 8.

3. Deinde praelegendo vel summatim edicendo publicabit indulgentias quae conceduntur lucrandae. *Vide p.* 171 *et p.* 182, 254, additis et explicatis conditionibus ad hoc requisitis *Vide supra p.* 180 *n.* 12.

4. Post haec cantabit vel recitabit orationes proprias praemissis versiculis: *Adjutorium nostrum* etc., *Dominus vobiscum* etc. Orationes reperies in *Formulari* sub n. II pro crucibus; sub n. III pro statuis et numismatibus; sub n. IV pro coronis et rosariis; sub n. V pro rosariis Dominicanorum si quis habens facultatem ea benedicendi, ea vellet uti.

5. Dictis orationibus asperget res aqua benedicta 1° in medio, 2° ad suam sinistram, 3°. ad suam dexteram, nihil dicens.

6. Deinde dabit monita de non donando — non commodando — non vendendo; dicat quando pereant indulgentiae juxta superius dicta § II. p 178.

7. Solemnitati finis imponatur cantando *Magnificat* aut recitando rosario, aut alio pio exercitio.

Complementi causa sequuntur quaedam notiones de aliis coronis.

§ 6. De coronis Crucigerorum (Kruisheeren.)

1. Haec corona seu hoc rosarium gaudet privilegio, ut quoties quis in ea devote dicat orationem Dominicam vel salutationem angelicam, toties obtineat indulgentiam 500 dierum. Pro acquirenda hac indulgentia necesse non est, ut integrum rosarium recitetur. Concessit Leo X Brevi 20 Aug. 1516, et confirmavit S. C. 11 Mart. SS. 15 Mart. 1884 ad 1 et 3. *Acta XVI, p.* 404. Ergo quoties quis ad eam coronam recitet *Pater* vel *Ave* lucratur pro singulis eorum 500 dies indulgentiarum. Consul. *ibid p.* 411.

2. Reservatur vero haec benedictio Magistro Generali Ordinis S. Crucis, et facultatem hanc communicare potest solummodo cum Sodalibus sui Ordinis, non autem aliis, quod S. C. judicavit non concedendum. *Ibid. ad* 4, *p.* 405.

3. Corona sic benedicta capax manet aliarum benedictionum et indulgentiarum; corona papalis ergo, birgittata etc. capax manet benedictionis Patrum Crucigerorum. *Schneid. p.* 194.

§ 7. De rosario Dominicanorum.

1. Constat hoc rosarium proprie ex 15 decadibus, quarum singulae continent unum *Pater* et 10 *Ave*. *Credo*, *Gloria*, *Pater* et ter *Ave* quae praemitti solent ad obtinendam confirmationem in Fide, Spe et Charitate laudabiliter quidem praemittuntur sed non pertinent ad essentiam. *Schneid. p.* 186. Corona constat ex 5 decadibus. In Indultis rosaria et coronae promiscue accipienda sunt, 20 Sept. 1775 ad 2. *D.* 237.

2. Rosaria benedicenda debent omnino 5 vel 10 vel 15 decenariis coalescere. *Nota in Libello concessionis facultatis.* Si habent 6 decenarios, tunc ita debent esse compositi ut 5 primi decenarii forment unum quid totum, vel ita sint dispositi ut facile internosci possint. Resp. Mag. Gen. Ord. Praed. 12 Oct. 1854 et 26 Nov. 1857. *Schneid. p.* 190. Si aliam formam prae se ferunt non possunt ditari indulgentiis a Ben. XIII concessis. *Ibid.*

3. Ad lucrandas indulgentias hujus rosarii mysteria D. N. I. C. sunt recolenda, nec eorum vice mortem aut cetera novissima aut alia pia ac religiosa meditari sufficit. S. C. 6 Aug. S. S. 13 Aug. 1726. D. 92. „Sed sufficit meditatio *mentalis* eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Angelicae salutationes, ut ex decreto S. hujus C. d. 13 Aug. 1726 a Ben. XIII approbato." 1 Jul. 1839 ad 4. *D.* 273. Meditandum est in singulis decadibus super uno ex quindecim mysteriis laetis videlicet, dolorosis et gloriosis. 28 Jan. 1842 ad 3. *Prinz. D.* 528 et *Schneid p.* 190.

Satisfit huic meditationi praemittendo aliquas formulas quibus mysterium enuntietur, ut in prima decade: in hoc primo mysterio laeto considerabimus, ut Angelus Gabriel nuntiavit B. Mariae, illam concepturam et parituram Dominum nostrum etc. 28 Jan. 1842 ad 4. *Prinz. D.* 528 et *Schneid. p.* 191; et addit S. C.:

„Juxta Constit. s. m. Ben. XIII, quae incipit *Pretiosus* sub die 26 Maii 1727, animadvertendum est, quod pro personis idiotis, quibus

nulla capacitas est talia mysteria meditandi, satis est, rosarium tantum recitare," ut indulgentias possint lucrari; „temetsi (ut addit S. S.) plane volumus, ut iisdem reparationis nostrae mysteriis sanctissimis meditandis juxta rosarii institutum assuefiant." *Schneid p.* 191.

4. „Electio mysteriorum est libera, sed invaluit consuetudo, ut per gyrum cujuslibet hebdomadae singula mysteria determinatis diebus recolantur, nempe gaudiosa in II et V feria, dolorosa in III et VI feria, gloriosa tandem in Dominica, IV feria et Sabbato." 1 Jul. 1839 ad 5. *D.* 273.

5. Alia conditio, ut acquiri possint indulgentiae *recitationi* hujus rosarii concessae, est, ut 5 vel 15 decades uno tractu sine interruptione morali recitentur, „quinque denaria non possunt dividi nec diversis temporibus etiam ejusdem diei recitari; et ad preces ut hoc concederetur responsum est, id non expedire. S. C. 14 Dec. 1857, S. S. 22 Jan. 1858 ad 2 et 3. *D.* 385.

Ergo indulg. 100 dierum non acquiritur dicendo unum alterumve *Pater*, *Ave* etc. hoc rosario utendo, 29 Maii 1841 ad 8. *D.* 291.

Sed confratres SS. Rosarii qui pro pluribus indulgentiis singulis hebdomadis recitare debent rosarium integrum i. e. 15 decadum, hi possunt ad eum effectum dividere rosarium in plures quam tres partes. Ibid. *D.* 385 ad 2.

6. In recitatione privata rosarium manu tenendum et globuli volvendi sunt, *Schneid. p.* 192; sed in *recitatione communi* rosarii sufficit ad lucrandas Indulgentias ut una persona coronam benedictam manu teneat et globulos volvat et ut reliqui Fideles ceteris curis semotis se componant pro oratione facienda una cum persona quae tenet coronam. S. C. 14 Dec. 1857 et S. S. 22 Jan. 1858. *D.* 384. Nec opus est, ut alii rosarium secum habeant, ut aliqui contenderunt. *Schneid. p.* 192. Est hoc indultum speciale pro hoc rosario.

7. Facultas haec rosaria benedicendi cum applicatione indulgentiarum petenda est a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum aut ab aliquo qui habet facultatem subdelegandi. Sed restringitur usus hujus facultatis ad loca „ubi non sunt conventus seu domus Ordinis Praedicatorum." *Libell. concessionis p.* 5.

Eo ipso, quod quis sit Rector alicujus confraternitatis SS. Rosarii,

non habet facultatem hanc nisi in Indulto Apostolico addita sit facultas Rectori pro tempore rosaria benedicendi atque illis consuetas indulgentias applicandi. 30 Jan. 1839 ad 1 *D.* 270. Hoc idem valet, etiamsi sodalitas Apostolica delegatione fuerit erecta. S. C. 22 Febr. S. S. 12 Jul. 1847. ad 1. *D.* 343.

8. Pro hac benedictione signum crucis non sufficit, sed utenda est formula speciali. 29 Febr. 1864. *D.* 401.

Formula habetur in *Formulari* sub n. V.

Indulgentiae omnibus Christi fidelibus concessae, qui in precatione rosarii hac corona utuntur. (1)

1. „Omnes christifideles, vel integre vel tertiam rosarii partem recitantes, pro quolibet *Pater* et quolibet *Ave* 100 *dies* indulgentiae consequuntur."

„Quod si per annum singulis diebus saltem tertiam partem recitabunt, confessione et Communione praemissa, in die ad libitum eligenda *plenariam* consequentur indulgentiam, dummodo tamen rosaria a PP. Ord. Praedic. fuerint benedicta. Ben. XIII *Sanctissimus* die 13 Aprilis 1726. Quae sunt indulgentiae ipsae jam coronis S. Birgittae concessae, sicut videre est in summario earumdem 4 Dec. 1714 in Bullario Clem. XI." (*Rescripta auth. n.* 52 *et* 373).

2. „Omnes christi fideles, etiam societati non inscripti, qui saltem contrito corde tertiam rosarii partem devote recitaverint una cum aliis, vel domi aut in ecclesia seu oratorio publico vel privato, decem annos totidemque quadragenas consequentur semel in die. Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 12 Maii 1851. *Rescripta auth. n.* 373.)

3. „Iis qui in more habebunt recitandi tertiam rosarii partem una cum aliis saltem ter per hebdomadam plenaria conceditur indulgentia qualibet postrema die Dominica uniuscujusque mensis lucranda, si tamen vere contriti et confessione et Communione suscepta visitabunt ecclesiam quamcumque aut publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem summi Pontificis orabunt. Idem. *Ibid.*

(1) Ex libello authentico Romano.

§ 8. Aliae coronae quae a Nostris possunt benedici.

NB. Licet coronae hae speciales sibi habeant indulgentias, Nostri tamen illis adnectere non possunt nisi indulgentias coronae papalis. Coronae a S. Sede approbatae sunt sequentes:

1. *Apostolica*, Sororum Visitationis. Constat ex numismate cui subnexi sunt 2 globuli majores, 33 minores et 3 majores. Preces et indulgentias referunt *Acta IV. p.* 474.

2. *Cordis Jesu SS.* Constat 5 partibus, in singulis dicitur 1 *Pater* et 5 *Gloria.* Preces addendae et indulgentiae habentur in Raccolta *p.* 142 (153) *et Schneid. p.* 168.

3. *Cordis Mariae.* Constat 5 partibus, in singulis dicuntur 1 *Pater* et 7 *Ave.* Preces addendae et indulgentiae habentur in Raccolta, *p.* 204 (219).

4. VII *Dolorum B. M. V.* Patrum Servitarum. Constat 7 partibus, in singulis dicitur 1 *Pater* et 7 *Ave.* Preces et indulgentias vide in Raccolta *p.* 226 (243); *et Schneid.* 213, 717 *et* 734 *et Rescripta auth. p.* 650. pro benedictione formula propria *Rituale Rom. Append. CLXXXI*, et *Formulare infra n. IX.*

5. *Domini*, Camaldulensium. Constat 3 decadibus in quibus dicitur 1 *Ave* et 10 *Pater*, adduntur 1 *Ave* 3 *Pater* 1 *Ave* et *Credo. Raccolta p.* 35 (37). *Schneid. p.* 163, ubi preces et indulgentiae dantur.

6. *Domini*, Franciscanorum. Constat 33 Pater et Ave. *Ferr. v.* indulg. *Art.* V *n.* 11. Vide tamen Acta I p. 550 et 554 ubi dubitatur de authenticitate indulgentiarum.

7. VII *Gaudiorum B. M. V.*, Ordinis Seraphici. Constat 72 *Ave* et 7 *Pater. Ferr. v.* Indulg. *Art. V. n.* 10 et *Acta I p.* 550 *et seq.* ubi, quod constet de indulgentiis et benedictio non requiratur.

8. *Immaculatae Conceptionis*, PP. Cappuccinorum. Constat ex 15 globulis in 3 partes divisis, in quibus dicitur 1 *Pater* et 4 *gloria.* Preces et indulgentias dat Raccolta. *p.* 183 (198), et *Schneid. p.* 221.

9. *S. Michaelis* seu Angelica. Constat 9 partibus in honorem 9 Chororum et in singulis dicitur 1 *Pater* et 3 *Ave.* Preces et indulgentias indicat Raccolta *p.* 271 (291) et *Schneid. p.* 223.

10. *Pretiosi Sanguinis Jesu.* Constat 7 partibus in honorem septem

effusionum sanguinis; in 6 prioribus dicuntur 5 *Pater* et 1 *Gloria* sed in 7ª 3 *Pater* et 1 *Gloria*, ut ita compleatur numerus 33. Preces adjungendae et indulgentiae reperiuntur in Raccolta *p.* 119 (128), et *Schneid. p.* 147.

11. *XII Privilegiorum B. V.* Constat 3 partibus, in singulis dicitur 1 *Pater* 4 *Ave* 1 *Gloria* cum brevibus orationibus. *Raccolta p.* 197 (212).

12. *Stellarum* 12 *B. V. M.* Constat ex 12 *Ave* cum oratiunculis. *Raccolta p.* 218 (234).

13. *Terrae Sanctae.* Coronae communes quae aliquem ex locis sanctis tetigerunt. Non habent alias indulgentias quam quae coronae papali sunt tributae. *Raccolta p.* 397 (426). Specialem tamen elenchum indulg. hujus coronae dat P. Schneid. *Decr. Auth. p.* 349, qui in aliquibus discrepat ab elencho papali.

14. *Quinque Vulnerum*, Passionistarum. Constat 5 partibus, in singulis dicitur 5 *Gloria* et 1 *Ave.* Preces et indulgentias dat Raccolta *p.* 105 (112). *Schneid. p.* 182.

—

CAPUT XI.

De scapularibus.

1. Inter devotiones quae populo christiano sunt carae, procul dubio ponenda est gestatio scapularis, et quidem imprimis scapularis B. V. de Monte Carmelo nuncupati. Existimant enim, idque non immerito, se per istiusmodi vestis gestationem sibi procurare specialem Dei Genitricis protectionem.

2. Quum autem per scapulare rite impositum Fideles simul cooptentur in confraternitatem cujus scapulare illud tessera est, (S. C. 26 Jan. 1871 ad 1. D. 428) ipsis hoc ipso confertur magnus thesaurus gratiarum, privilegiorum, indulgentiarum, quo dictae confraternitates a S. Sede ditatae sunt.

3. Nostris in Provincia Neerlandica a Pio IX potestas facta est per Provincialem obtinenda benedicendi et imponendi quinque scapularia nempe: 1°. SS. Trinitatis seu album; 2°. B. V. de Monte Carmelo seu taneum; 3°. Septem Dolorum B. V. seu nigrum; 4°. Immaculatae

Conceptionis seu coeruleum; 5°. Pretiosissimi Sanguinis seu rubrum; idque modo omnino speciali et extraordinario non solum intra sed etiam extra missionum solemnitatem ut videre est in indulto supra p. 26 n. 8 relato.

Per Praep. Gen. Sacerdotes ex Nostris designari possunt, qui commutent obligationes requisitas pro *Privilegio Sabbatino*. Supra p. 27.

4. Ut autem Fideles gratiis etc. quae confraternitatibus ejusmodi sunt concessae fruantur, requiritur ut omnia quae circa formam, benedictionem, impositionem, gestationem scapularium praescripta et decreta sunt exacte observentur. Error enim circa ea etiam involuntarius facit ut indulgentiae etc. non acquirantur.

5. Missionarii igitur erit, populum de his omnibus instruere, quare compendiose ea hic referimus. Quae autem de scapulari B. V. de Monte Carmelo a Congr. Indulg. statuta sunt, colore excepto, etiam in aliis scapularibus observanda sunt.

§ 1. De scapulari in genere.

I. De forma materiali scapularis.

1. Ut scapularia valida sint, ratione materialis formae requiritur et sufficit, ut habeant omnia requisita substantialia, quae inveniuntur in respectivis scapularibus majoribus Ordinum Religiosorum. *Acta IV p.* 101.

2. Constare debet duabus partibus seu oris, duplici funiculo suspensis, quarum una pars ad pectus, altera vero ad dorsum desinat; et sic et non aliter a confratribus perpetuo deferendum est. Praep. Gen. Carm. 21 Jun. 1841. *Recueil p.* 433.

3. Debet esse confectum *ex lana*; si vero panniculus ex xylino (katoen) vel ex alia simili materia confectus est scapulare est invalidum. S. C. 20 Jul. S. S. 18 Aug. 1868. ad 1. *D.* 423.

4. Et quidem ex lana *textura reticulata* (geweven). Excluditur omne opus laneum acu picto (ricamo, broderie, stik- en breiwerk). *Ibid. ad* 2.

5. Sit *quadratum* oblongum non rotundum, ovale vel multangulum. Nihil enim innovandum ait S. C. in Decreto superiore ad 5. *D.* 423.

6. *Color* est etiam de essentia. Color scapularis Carmelitici est

taneus (runkleurig, roodbruin). Praep. Gen. 21 Jun. 1841. *Recueil p.* 438. Attamen colori vulgo *tanné* subrogari potest alter consimilis seu niger. 12 Febr. 1840. *D.* 278.

Non officit, quod color ille artificialiter sit productus contra quosdam. Praep. Gen. Carm. 10 Mart. 1856 ad 8. *Falise Resol. p.* 235.

Religiosi qui ex suo Instituto jam gerunt scapulare fuscum aut subnigrum vel leucophaeum (grijs, zwartachtig) non opus habent gestare aliud scapulare, illud enim suum potest benedici ut scapulare B. V. de Monte Carmelo. Ita PP. Carm. *Recueil. p.* 447. Sed hoc non amplius est tutum ex declaratione S. C. Indulg. data Tertiariis S. Franc., quibus praescribitur duplex scapulare, si volunt indulgentias lucrari Confrat. B. M. de Monte Carm. 10 Jun. 1886 ad 1 en 2. *Acta XIX*, *p.* 44.

Color scapularis Immaculatae Conceptionis necessario debet esse coeruleus. 22 Aug. 1843 ad 1. *D.* 307.

7. *Vincula* quibus utraque ora conjungitur, possunt esse cujusvis coloris. Praep. Gen. Carm. 19 Nov. 1831. *Recueil p.* 438; imo et cujuscumque materiae, ut ex lino, serico etc. Ita etiam *ritus servandus*, Romae 1882 editus. *Schneid. p.* 421. Quandoque tamen et color vinculorum praescribitur. Lazaristae volunt ut vincula eorum scapularis sint rubri coloris.

8. *Ornamenta*, ut imago B. V. non sunt de essentia. *Recueil* p. 437. Scapulare potest quidem ornari opere acu picto idque cum materia non lanea sed ex serico, argento, auro, etc., dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat. S. C. 20 Jul. S. S. 18 Aug. 1868 ad 3 et 4. *D.* 423. Pro scapulari SS. Trinitatis crux bicolor est de essentia. Infra § V.

9. Si in benedictione et impositione adhibitum fuerit scapulare non rite compositum; v. gr. si scapulare impositum confectum erat ex duobus quidem pannis sed in una eademque extremitate funiculorum positis, receptio in confraternitatem est invalida; et ille error non corrigitur eo quod ipsemet admissus postea sibi imponat scapulare rite confectum. Hujusmodi impositiones tamen Pius IX ubicumque factas sanavit. S. C. 11 Aug. S. S. 18 Sept. 1862. *D.* 394.

10. Si quis *plura scapularia* vellet gestare, diversi panniculi possunt quidem iisdem funiculis connecti sed ita debent esse dispositi ut semper

una pars singulorum ab humeris, altera a pectore dependeat. Invalidum esset scapulare si in una extremitate solus panniculus taneus in altera solus panniculus caeruleus etc. adnecteretur. S. C. 29 Aug. S. S. 26 Sept. 1864. *D.* 408.

Invalidum etiam esset scapulare, si ad repraesentanda varia scapularia, „unicus tantum in utraque funiculorum extremitate panniculus habeatur, in quo conspicitur ornamentum intextum, vel acu pictum ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia. S. C. 20 Jul. S. S. 28 Aug. 1868 ad 6. *D.* 423. Item invalida fierent scapularia, si in quatuor angulis unius, reliqua quatuor adnecterentur. Ita Secr. P. Gen. Carm. et Secr. S. C. Indulg. *Schneid.* p. 443.

Ordinarie singuli panniculi in utraque extremitate funiculorum ita superponuntur, ut color eorum diversus appareat. Quod efficitur sumendo panniculos diversae dimensionis, ita ut inferior major sit quam ille qui ei imponitur. — Haec tamen forma videtur improbari a S. Congregatione. Nam ad Q.: „An pro induendo fideles quinque scapularibus, totidem „etiam benedictiones, impositiones ac receptiones requirantur, vel „unica tantum, et quae sufficit?" R. Affirmative ad 1^{am} partem: „Negative ad 2^{am}, nisi ex speciali Indulto S. Sedis, et ea formula, „quae in eodem conceditur, et ad mentem. Mens est ut qui Sacerdotes „utuntur Indulto Apostolico induendi Christifideles quinque scapularibus „non benedicant scapularia, nisi ea sint distincta, id est vere quinque „scapularia, sive totidem, sive duobus tantum funiculis unita, et ita „ut cujuslibet scapularis pars una ab humeris, alia vero a pectore „pendeat; non vero unum tantum scapulare in quo assuantur diversi „coloris pannuli, prout ab hac S. Congr. jam cautum est. S. C. 27 Apr. 1887 ad 4. *Acta XIX p.* 558.

11. Si quis igitur adscriptus est duabus confraternitatibus, quae habent scapulare ejusdem coloris, is debet tamen duo distincta scapularia gestare et quidem juxta consuetudinem cujusque confraternitatis. Ita declaravit S. C. pro fratribus Tertii Ordinis S. Francisci qui simul adscripti sunt confraternitati B. V. de Monte Carmelo. 10 Jun. 1886. *Acta XIX p.* 44.

II. De scapularis gestatione.

1. Gestandum est scapulare ita ut una pars pectus, altera scapulas tegat. Hoc est de essentia, ut quis lucretur indulgentias, 12 Febr. 1840. *D.* 277. Indulgentiis autem privantur „qui utrumque panniculum sacri habitus ex eadem parte pendentem et simul junctum deferant; qui eum non supra pectus sed ab humero transversim sub brachio quolibet gestent." 12 Febr. 1840. *D.* 279. Qui eum tamquam cingulum portent. *Schneid. p.* 421; et *Recueil p.* 434.

Multo minus indulgentias acquirunt qui panniculos vestibus suis consuunt, quin ex funiculis dependeant. 28 Apr. 1716. *D.* 60.

2. Potest tamen gestari sub vel super vestibus; nec opus est, ut nudum corpus tangat. S. C. 5 Mart. 1855 ad 2. *D.* 367. et 26 Jul. 1855 ad 2. *Prinz. D.* 652 et *Schneid. p.* 421 *n.* 6.

3. Non est prohibitum, illud alia materia involvere, ut melius conservetur. *Schneid. p.* 421. *n.* 6.

4. *Alia conditio* est, ut *continuo* die ac nocte gestetur, ut verificentur verba B. M. V. „in hoc moriens aeternum non patietur incendium."

Si quis vero per breve tempus aut diei partem illud deponit non amittit indulgentias. Prior Gen. Carm. 7 Maii 1838. *Recueil. p.* 448.

Si per diem integrum, amittit indulgentias personales eo die. *Ibid.*

5. Qui ad longum tempus dimisit scapulare non tenetur ad novam inscriptionem (seu receptionem), sed ut iterum indulgentias lucretur, sufficit ut habitum iterum resumat. 27 Maii 1857. *D.* 379.

6. Si quis ex contemptu projecit scapulare, an tunc indiget nova admissione? Respondent PP. Carm.: Negative „quemadmodum non est iterum ordinandus qui ex contemptu deponit per tempus longius vel brevius habitum clericalem. Poeniteat, habitum sanctum ex se resumat, et in misericordia Dei confisus, opera confratrum repetat, gaudens de promissa remuneratione." Ex aedibus Gen. SS. Teresiae et Joannis a Cruce, 10 Mart. 1856 ad. 22. *Falise Resol. S. C. Indulg. p.* 237.

Contrariam tamen sententiam tenet P. Schneider qui dicit S. Congregationem esse in eadem sententia. *Schneid. p.* 422 *n.* 7.

Huic sententiae subscribit etiam P. Lehmkuhl dicens: „sicut nemo

nolens admitti potest, ita nemo nolens in pia associatione retinetur." *Theol. Mor. Vol. II. p.* 393. *n.* 560.

7. Primum scapulare quod imponitur aut assumitur necessario debet esse *benedictum*. Vide preces Decreti 19 Sept. 1850. *D.* 350, ubi ex Brevi Clem. XI. 24 Nov. 1702 „teneri prima vice recipere habitum seu scapulare *benedictum*" etc. Ergo si Sacerdos in susceptione unico utatur scapulari quod singulis imponit et aufert, curare debet ut ille qui tali modo receptus est, sibi pro prima vice procuret scapulare benedictum, S. C. 20 Jul. S. S. 18 Aug. 1868 ad 1. *D.* 421. Sed hoc primo scapulari trito vel amisso, potest aliud sibi imponere etiam non benedictum et absque nova caerimonia. Praep. Gen. Carm. 10 Mart. 1856 ad 21. *Falise Resol. p.* 237. et *P. Schneid.* ex opusculo „Ritus servandus etc. *p.* 422 in nota; et S. C. 27 Maii 1857.

Hoc valet etiam de aliis scapularibus excepto scapulari SS. Trinitatis, quod quum sit renovandum iterum debet benedici a facultatem habente. Praep. Gen. Ord. SS. Trin. 14 Jun. 1880 et 2 Dec. 1881. *Schneid. p.* 406. *n.* 4.

Hinc Adm. R. P. Petrus Beckx litteris 6 Jan. 1884: „Sacra item Congr. Indulg. *sanavit*, rogante me, defectus a quibusdam e Nostris commissos in scapularibus imponendis tum B. M. V. de Monte Carmelo, tum Immaculatae Conceptionis, nominatim eum defectum, qui a nonnullis committebatur dum pluribus Fidelibus unum et idem scapulare imponebant, quin ipsos monuerint, ut moneri debent, benedicendum esse scapulare, quod primum induitur". *Arch. Prov.*

III. De benedictione et impositione scapularium et facultate Nostris circa ea data.

1. Facultas Nostris a Pio IX concessa (supra p. 26) est omnino extraordinaria, et modus benedicendi et imponendi scapularia, uti et adoptandi Fideles in confraternitates iis adnexas discrepat ab illo modo, qui sub poena nullitatis sequendus est ab iis, qui non habent nisi facultatem ordinariam, prout haec concedi solet a Superioribus Ordinum ad quos illa scapularia pertinent.

2. Attendant Nostri ad *restrictiones* nostrae facultati appositas:

1°. Haec facultas exerceri potest solummodo in ditione seu territorio Provinciae Neerlandicae, juxta instructionem § *Quod si* appositam Decreto S.C. 26 Jan. 1871. *D.* 428.

2°. Nec exerceri potest „in locis ubi adsunt Religiosi, quibus ex privilegio proprii Ordinis benedictio et collatio praedictorum scapularium competat." *Ex Indulto ipso.* Attamen existentia conventus monialium non impedit hoc exercitium. 22 Aug. 1842. *D.* 309 et 3 Mart. 1843. *D.* 316. Superiores Gen. Ord. Carmelitarum possunt concedere facultatem etiam pro locis ubi adest conventus sui Ordinis. 24 Aug. 1844 ad 1. *D.* 329.

3°. Requiritur praevius consensus Ordinarii.

3. Exerceri tamen ea potest etiam extra missionum solemnitatem.

4. Existentia confraternitatis nec hujus erectio est necessaria, ut Fideles quos sacro habitu investimus participes fiant privilegiorum et indulgentiarum quae hisce confraternitatibus propriae sunt. *Ibid.* et 26 Jan. 1871 ad 2. *D.* 428. et *Instructio adnexa.*

5. *Benedictio* scapularium fieri potest ex altari vel e suggestu. *Ex Indulto p.* 27.

Imo ex regula generali benedictio scapularis potest anticipari et privatim peragi, nec opus est ut fiat in actu impositionis. Juxta Decr. 18 Aug. 1868 ad 1. *D.* 421; et *Schneid. p.* 423.

6. „*Forma benedictionis* Ritualis vel Breviarii Ordinis Carmelitarum non est de essentia, sed proferenda sunt verba, quae sunt substantialia." 24 Aug. 1844 ad 3. *D.* 329 et 18 Aug. 1868 ad 2. *D.* 421. Formula PP. Discalceatorum Ord. Carm. differt a formula Calceatorum, sed effectus est idem. Praep. Gen. Carm. 27 Jun. 1839. *Recueil p.* 520.

Attamen „signum crucis manu efformatum absque ulla verborum pronuntiatione et aquae benedictae aspersione non sufficit". S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 1. *Acta XIX. p.* 558.

7. *Impositio* scapularis benedicti ex regula ordinaria fieri debet sub poena nullitatis ab ipso benedicente. 16 Jun. 1872. *D.* 430. Pius IX vero defectus exortos ex eo quod unus benediceret scapulare, alter vero imponeret, sanavit. *Ibid.* Confer D. 397; 394.

Valida tamen est receptio, si sacerdos unum idemque scapulare

benedictum singulis imponit et aufert, ita tamen ut primum scapulare quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum. S.C. 20 Jul. S.S. 18 Aug. 1868 ad 1. *D.* 421.

Ubi scapulare mulieribus conferendum est, solent Patres Theatini illud uni humero earum imponere, quod non officit validitati. *Schneid. p.* 416. *Nota.*

Sed non sufficit illud in manus tradere adscripti. Praep. Gen. Carm. 10 Mart. 1856 ad 17. *Falise Resol. p.* 236.

Licet valida sit receptio ad sacrum scapulare cum habitu qui solum ante pectus pendeat, tamen ut sic admissi gaudeant privilegiis etc. debent illud et super pectus et super humeros pendulum gestare. Praep. Gen. Carm. 7 Maii 1838. *Recueil. p.* 372.

Sacerdos habens facultatem ut indiscriminatim scapulare conferat omnibus Christi fidelibus, potest hoc sibimetipsi imponere; minime vero id valide potest si hanc facultatem taxative tantum habeat v. gr. pro aliqua monialium communitate tantum. 7 Mart. 1840 *D.* 280.

Nostri vero ex facultate supra p. 26 allata possunt valide impositionem peragere „absque eo quod manu benedicentis scapularia collo Fidelium appendantur."

Indultum hoc primo concessum fuit PP. SS. Redemptoris a Pio VII d. 8 Jan. 1803. Vide Decr. 19 Sept. 1850. *D.* 350.

8. Verba „*Accipe vir* etc." quae ex rituali Carmelitarum pronuntiantur in collatione seu impositione scapularis, non sunt essentialia quoad verba ipsa sed solummodo quoad sensum, juxta Decreta 24 Aug. 1844 ad 3. *D.* 329; et 18 Aug. 1868 ad 2. *D.* 421. At receptio est invalida „si fiat simplici intentione concepta animo, ac verbis nullis adhibitis." S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 2. *Acta XIX p.* 558.

9. Verba illa „*Accipe vir* etc." usurpari possunt in plurali juxta rubricam ipsam praepositam in precibus benedictionis sacri scapularis. 5 Febr. 1841 ad 4. *D.* 286.

10. Quando igitur non habetur indultum quo quisque sibi imponere potest scapulare suum, sequenti modo procedi potest: 1°. Recitantur more solito preces (in numero plurali) super Fidelibus genuflexis et 2°. quando venit ad verba „*Accipe vir* etc." imponit singulis scapulare nihil dicens; et quum quisque suo munitus est scapulari dicit: „*Accipite*

viri et mulieres etc." Ita in instructione Praep. Gen. Carm. 29 Nov. 1865. *Recueil p.* 443.

Nos autem jubebimus post preces, ut Fideles sibi imponant suum vel sua scapularia et his impositis dicemus: „*Accipite* etc."

11. Notandum est, hac nostra facultate nobis non competere facultatem commutandi opera seu obligationes quae praescribuntur ad fruendum privilegio sabbatino scapulari B. V. de Monte Carmelo adnexo. „Haec facultas debet expresse enuntiari in Rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium". 22 Jun. 1842. *D.* 305. „Idque verum manet, etsi recursus ad alterum habentem hanc facultatem impossibilis sit." *Ibid.*; item, etsi quis esset moderator confraternitatis cum facultate exercendi munera confraternitatis. 24 Aug. 1844 ad 2. *D.* 329. PP. Carmelitae volunt ut haec facultas in scriptis sigillo munitis obtineatur. Ita Deputatus Ord. Carmel. 7 Oct. 1840. *Recueil p.* 485.

Praep. Gen. Soc. J. suis sacerdotibus hanc facultatem communicare potest. *Supra p.* 27.

IV. De receptione in confraternitatem scapularis et nominum inscriptione.

1. Receptio pertinet ad essentiam 24 Aug. 1844 ad 3. *D.* 329.

2. Fit autem per verba: „Ego vos recipio etc. vel per similia, sed „proferenda sunt verba quae sunt substantialia." 18 Aug. 1868 ad 2. *D.* 421. Imo in ipsa benedictione et impositione scapularis, quae auctoritate fiant, consistit formalis receptio. *Schneid. p.* 417.

3. Quoad *nominum inscriptionem* adverte:

1°. Nos ex Indulto Pii IX Fideles indulgentiarum 5 scapularium participes reddere, quin opus sit „ut nomina catalogo inscribantur". *Supra p.* 27.

2°. Extra hoc vel simile indultum, inscriptio haec ut quid essentiale existimatur. *Acta IV p.* 237. Etiam pro confraternitate scapularis B. V. de Monte Carmelo. Nam Indultum Greg. XVI dd. 30 Aprilis 1838 ex quo pro hac confraternitate inscriptio non amplius erat necessaria, revocatum est a Leone XIII Decreto 27 Apr. 1887. *Acta XIX p.* 556.

Indultum ipsum habent *Decreta Auth.* in Appendice n. XIV p. 470, quo S. S. simul sanavit praeteritas receptiones sine nominum inscriptione factas. Igitur corrigendum est. *D.* 330.

Confirmatur haec necessitas inscribendi nomina sequenti responsione: Ad Q.: „Utrum Sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christi fidelibus et eosdem adscribendi confraternitatibus a S. Sede approbatis." R. Affirmative ita tamen ut sacerdotes (praefati) .... penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt transmittere tenentur ad Superiores respectivae sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in album ipsius sodalitatis referantur". 26 Jan. 1871 ad 1. *D.* 428.

Nomina etiam mitti possunt ad monasterium Carmelitarum Sororum. 22 Aug. 1842 ad 2. *D.* 309.

Sub missione autem hoc impossibile est, et ex concessione nobis facta omitti potest pro confraternitatibus quinque scapularium supradictorum.

4. Inscriptio vero materialis a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem tantum Christi fidelis sit rite receptus. 25 Sept. 1845 ad 1. *D.* 331.

5. Etiam *parvulis* scapulare imponi potest, qui „cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possunt et valent". 29 Aug. 1864. *D.* 410.

6. Absentes aiunt PP. Carmelitae non solemus recipere. Nec possunt adscribi juxta decretum de non adscribendo absentes confraternitatibus. 28 Apr. 1761. *D.* 226 et 13 Apr. 1878. *D.* 437. Quod confirmatur pro confraternitatibus scapularium in declaratione super hoc decreto data a S. C. d. 26 Nov. 1880. *D.* 453 § *III p.* 428.

7. *Infirmi* possunt scapulare recipere in lecto. Praep. Gen. 10 Mart. 1840 ad 7. *Falise Resol. p.* 235 et *Schneid. p.* 425. In casu necessitatis omitti possunt preces, modo imponatur scapulare etiam antea benedictum cum verbis substantialibus „*Accipe vir etc.*", et „Ego te recipio etc."

8. SS. D. N. Leo PP. XIII sanavit omnes receptiones invalidas

ad sodalitatem vel unionem scapularis cujuscumque bona tamen fide peractas. 20 Jul. 1884. *N. Revue Theol.* 7. *XVI p.* 467.

9. Ex conventione facta inter utrumque ordinem Carmeliticum die 15 Aug. 1616 et a Paulo V approbata „Per idem est recipi in confraternitatem B. V. de Monte Carmelo sive auctoritate Ordinis Discalceatorum sive Calceatorum, et idcirco eadem utrisque privilegia sunt". Fr. Leopoldus Praep. Gen. 15 Dec. 1844. *Recueil p.* 459 *et* 498. Quod confirmatur Decreto S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 10. *Acta XIX p.* 559.

10. Complementi gratia subjungimus hic in n. sequenti reliquas Resolutiones scapularia spectantes.

NB. „Declaratio S. Congregationis de servandis substantialibus in „adscriptione fidelium confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo „debet etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera scapularia". S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 3. *Acta XIX p.* 558.

V. De facultate benedicendi scapularia.

1. Ubi ageretur de erigenda confraternitate alicujus scapularis, observanda sunt quae de erigendis confraternitatibus praescripta sunt.

2. Facultas benedicendi scapularia a summo Pontifice vel a Praepositis Ordinum est obtinenda, siquidem hi ab Ipso facultatem obtinuerunt eam cum aliis extra suum Ordinem communicandi. Attamen qui obtinuit a S. Sede hanc facultatem non ideo eximitur a petitione litterarum facultativarum Superiorum Ordinum, nempe SS. Trinitatis, Carmelitarum et Servorum B. V. Mariae S. C. Indulg. 16 Julii 1887. *Acta XX p.* 253. Leo XIII receptiones ex hoc capite nullas sanavit. Ibid. (1)

3. Prior alicujus conventus Carmelitici eam non communicare potest nisi cum suis subditis; Provincialis etiam aliis qui in territorio suae Provinciae commorantur, idque non nisi pro tempore sui muneris. P. Leopoldus a S. Hieronymo Praep. Disc. *Recueil p.* 488; et *Schneid. p.* 416.

---

(1) Nostra facultas subsistit non petitis hisce litteris. Supra p. 27, Nota 2. Ultimis temporibus fere omnes Superiores petierunt et obtinuerunt, ut nulla aggregatio sit valida absque sua recognitione, vide infra n. 9 et 10.

4. Ut haec facultas exerceatur consensus Episcopi non est necessarius, nisi id expresse stipuletur. 26 Jan. 1871 *D.* 428. Nec praevia erectio confraternitis requiritur. *Ibid.*

5. Qui habet facultatem illimitatam potest eam exercere ubique locorum. *Ibid.* Excipiuntur tamen plerumque loca ubi Religiosus Ordinis etc. existit, cui proprium est tale scapulare benedicere. Vide supra p. 196 n. 2. Si parochus obtinuit eam quin aliqua limitatio sit addita, eam etiam extra limites suae paroeciae exercere potest. 10 Maii 1844. *D.* 326.

6. Facultates quae conferuntur Superioribus aliorum Ordinum, conferuntur vel ratione personae vel ratione officii; si personae, expirant obitu hujus personae; si officii i. e. tamquam superiori domus, vel parocho, moderatori confraternitatis, confessario monialium etc. qua tali; tunc transit in successores eorum sive praedecessor obierit sive adhuc vivat, sed functus est officio, quin tamen habeat facultatem suos subditos subdelegandi. Praep. Gen. Carm. 13 Mart. 1846. *Recueil p.* 510.

7. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare seu alium sibi subrogare qui valide benedicat etc. scapularia etc. nisi id expresse concedatur, ut plerumque fit in diplomate quod datur moderatoribus confraternitatum. *Recueil. p.* 500.

Quoad *Episcopos* qui ex delegatione apostolica confraternitates erigere possunt, Pius IX concessit, „ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire judicaverint" parochos *pro tempore* in rectores, moderatores cum facultate benedicendi etc. scapularia etc. 8 Jan. 1861. *D.* 389. *U et O.* Et *sanavit* praeteritas designationes parochorum nec non acta per ipsos tamquam rectores etc. *Ibid.* Confer *D.* 343.

Parochus per se non potest subdelegare suum vicarium. 22 Aug. 1842 ad 1. *D.* 306. In casu vero necessitatis, impedito parocho, vicario ejus competunt facultates rectoris „dummodo vicarius sit de gremio sodalitatis". 7 Jun. 1842 ad 2. *D.* 304.

Quando capellano monialium concessa est facultas, et duo capellani monialibus assignarentur, tunc uni tantum competit facultas, nisi expresse utrique fuerit impertita. Et his absentibus haec facultas non

competit sacerdoti qui locum eorum supplet. 24 Apr. 1843 ad 1 et 2. *D.* 319.

8. Ratione subjectionis monasterii monialium Ordinis Carmelitarum Episcopo, huic non competit facultas benedicendi parvos habitus ejusdem Ordinis cum adnexis indulgentiis non obstante quacumque consuetudine. 22 Maii 1739. *D.* 129.

9. Concessio plura scapularia *uno opere conjuncta* imponendi acquiri potest a S. Sede per Breve. Sed eadem facultas obtineri etiam potest mediantibus Secretaria Memorialium, SS. Rituum Congregatione, nec non S. C. de Propaganda Fide.

Q.: 1. Utrum hujusmodi concessio mediantibus Secretariis Brevium et Memorialium etc. obtenta *sola* sufficiat ad validam memoratorum scapularium benedictionem et impositionem, an vero insuper necessarium est, ut habeatur et obtineatur facultas dicta scapularia benedicendi et imponendi a respectivi Ordinis Superiore? S. C. Indulg. R. Negative ad primam partem, affirmative quoad secundam.

Q.: 2. An hac sola facultate a S. Sede obtenta memorata quatuor scapularia (sc. SS. Trinitatis, Immac. Conceptionis, Septem Dolorum B. M. V., ac de Monte Carmelo uno opere conjuncta) valide benedici et imponi valeant etiam singillatim, ita scilicet, ut unum vel duo ex his scapularibus valide benedici et imponi valeant quin benedicantur et imponantur cetera? R. S. C. Indulg.: Ad S. Rituum Congregationem. (1)

Q.: 3. An qui dicta quatuor scapularia benedicendi imponendique facultatem a respectivi Ordinis Superiore obtinuit licite et valide uti possit breviori formula a SS. Rituum Congregatione approbata, non obtenta ad hoc a S. Sede facultate speciali.? R. S. C. Indulg. Valide: quidem, sed non licite. 12 Sept. 1883. *Schneid. Rescripta Auth. n.* 444 *p.* 679.

Q.: 4. Petitur sanatio. R. Exhibeatur libellus pro Postulatis. Ibid.

10. Quando ergo quis a memoratis Secretariis sc. Brevium et Memorialium, S. C. de Propaganda Fide, obtinuit ut varia scapularia *sub unica formula* possit benedicere et imponere, eo ipso non est exemptus ab

(1) In Indulto enim concessum erat ut ea benedicerentur sub una tantum formula qua PP. Redemptoristae utuntur.

obligatione petendi insuper facultatem conferendi ea scapularia a respectivis Superioribus Ordinum quibus scapulare proprium est. Hinc in concessione utendi formula simultanea PP. Redemptistorum reperitur haec clausula: „dummodo ab iis, quibus jus est eadem respective benedicendi atque imponendi veniam obtinuerit." *Schneid. Rescr. auth. p.* 443 et 444. Vide supra n. 2. (1)

11. Qui a variis superioribus, jus habentibus scapulare imponendi facultatem tribuere, eam obtinuit, non ideo jus habet ea simul sub unica formula benedicendi etc. *Schneid. Rescr. auth. p.* 443.

12. Nec formula simultanea *licite* adhiberi potest, sine concessione a S. C. Rituum obtenta. *Schneid. Rescr. auth. p.* 443.

§ 2. De scapulari B. V. de Monte Carmelo.

I. Origo, dignitas et privilegia.

1. *Origo.* Undequaque gravissimae procellae Ordinem Carmelitarum impetebant, Beatus Simon Stock auxilium a B. V. implorat. Die 16 Julii 1251 Ipsa illi apparet propitia et scapulare illi porrigit dicens: „Dilectissime fili, accipe tui Ordinis scapulare, meae confraternitatis „signum, tibi et cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens „aeternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in peri- „culis, foedus pacis et pacti sempiterni." *Recueil p.* 205, 359, 373; et *Ben. XIV de Festis Tom II.*

2. *Dignitas.* En quomodo eam describit Consultor S. C.: „Inter tot tantaque argumenta ad aeternam fidelium salutem promovendam opportuna, quibus abundat pia mater Catholica Ecclesia, devotae congregationes seu confraternitates sunt enumerandae, utpote fontes bonorum operum; ex quibus non ultimum profecto sibi vindicat locum coetus, qui militans sub vexillo B. V. de Monte Carmelo ejus sancto habitu honestatur. Ab ipsa quippe benignissima Dei Genitrice V. M. institutus (*a*), Ecclesiae cognitus et probatus (*b*), illis praestat spiritualibus

(1) Nec valide possunt erigi cum indulgentiarum participatione inscio Magistro Generali Confraternitas SS. Rosarii D. 19 et 26 Aug. 1747 et 11 Apr. 1864. Nec congregationes nostrae B. V. Mariae nec Bonae Mortis nisi a Praep. Gen. S. J. aggregentur 17 Sept. 1887. Idque nequidem vigore Litterarum Apostolicarum quibus Episcopis facultas tribuatur erigendi in genere sodalitates cujuscumque tituli et invocationis cum respectivis indulgentiis.

emolumentis, quae pium et fidelem legum sectatorem ad exoptatam beatitudinem tuto valeant perducere. Transcribuntur enimvero confratres in specialem Deiparae filiationem (*c*), salus illis a periculis animi et corporis praesto est (*d*), juvantur in morte, post exitum piacularibus flammis cito eripiuntur (*e*), bonorum operum et suffragiorum universi Ordinis Carmelitici peculiari participatione locupletantur (*f*). Hisce permoti Summi Pontifices nedum firmarunt sodalitium sacri scapularis constitutionibus suis, sed copiosa insuper largitione indulgentiarum ejusdem incremento prospexerunt (*g*). Hac enim illecebra innumeri per universam Ecclesiam devoti, persuasi de veritate promissionis a Dei Matre factae Sancto Simoni Stock in favorem confratrum pium hunc ritum religiose usurpantium, magna voluntate sodalitati dant nomen eorumque spes laetissimo ut plurimum exitu coronatur."

Acta I p. 242. Evolvuntur haec puncta in opere *Recueil* etc. (*a*) Ch. II. p 205; (*b*) Ch. IV p. 240, Ch. VI, § II, et § IV; (*c*) Ch. VII p. 335; (*d*) Ch. V Miracles etc. p. 256—298; (*e*) Allusio ad privilegium sabbatinum de quo infra n. 4; (*f*) Ch. VII § III p. 341 et § IV; (*g*) Ch. XII p. 379.

3. Primum igitur privilegium hujus scapularis in eo consistit; quod est *tegumentum salutis* tam corporis quam animae; id est prout explicat P. Daniel. a Virgine Maria in speculo Carmelitano. Tom. II p. 433: „quantum est ex parte B. V. ex capite gratiae illius copiosae quam „confratri apud Filium suum impetrabit intuitu scapularis jam olim „collati in signum salutis, foedus pacis et pacti sempiterni, nisi scilicet „ex alio capite impingat in petram scandali et lapidem offensionis per „temerariam divinae legis transgressionem." *Schneid. p.* 411.

4. Huic addidit ipsa B. V. secundum, *privilegium sabbatinum* nuncupatum, in apparitione Joanni Papae XXII Avinione facta et Bulla ejusdem Pontificis: *Sanctissimo uti culmine*, 3 Mart. 1322 Avinione data, confirmata. *Recueil. p.* 221. Verba quae spectant confratres haec sunt: „Sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa est Carmelita, sequentem effata sermonem: . . . . . si alii devotionis causa in sanctam religionem ingrediantur, sancti habitus signum ferentes, appellantes se confratres et consorores mei Ordinis praenominati, liberentur et solvantur a tertia corum peccatorum portione, a die quo

praefatum Ordinem intrabunt, castitatem si vidua est, promittendo; virginitatis si est virgo fidem praestando, si est conjugata inviolati conservationem matrimonii adhibendo, ut Sancta Mater imperat Ecclesia. Fratres professi dicti Ordinis supplicio solvantur et culpa, et die quo ab isto saeculo recedunt, properato gradu accelerant purgatorium, ego Mater gratiose descendam sabbato post eorum obitum, et quot inveniam in purgatorio liberabo et eos in Montem Sanctum vitae aeternae reducam. Verum quod ipsi confratres et consorores teneantur ad horas canonicales ut opus fuerit, secundum regulam datam ab Alberto; illi qui ignari sunt, debent vitam jejunam ducere diebus, quos sacra jubet Ecclesia, nisi necessitatis causa alicui essent traditi impedimento; mercurio ac sabbato debeant se a carnibus abstinere, praeterquam in mei Filii Nativitate. Et hoc dicto evanuit ista sancta visio." *Recueil* p. 221.

Confirmatum est hoc privilegium a Clem. VI: *Ex clementi* 12 Aug. 1530; S. Pio V: *Super dispositione*, 18 Febr. 1566; Greg. XIII: *Ut laudes*, 18 Sept. 1577. Et a S. Romana et universali Inquisitione sub Paulo V, die 20 Jan. 1613 decreto tenoris sequentis: „Patribus Carmelitanis permittitur praedicare, quod populus christianus possit pie credere de adjutorio animarum fratrum et confratrum sodalitatis Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, videlicet: B. V. animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiae jejunia observaverint et feria quarta et sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit), suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem B. V. dicatus est, adjuturam. Ita in summario Indulg. die 1 Dec. 1866 approbato. *Rescripta auth. P. II. p.* 475, et *Recueil p.* 387.

5. Ditantur hoc scapulare gestantes plurimis indulgentiis, ut infra dicetur postquam conditiones exposuimus quae in illum finem sunt implendae.

II. Quae sunt praestanda ut quis privilegium sabbatinum adipiscatur.

1. Fideliter gestare scapulare.

2. Servare castitatem juxta suum statum.

3. Recitare quotidie horas canonicas, aut qui ad has non tenentur saltem officium parvum B. V., nempe unum nocturnum juxta diem hebdomadis cum laudibus et horis parvis, idque si norunt legere. 18 Aug. 1868 ad 4. *D.* 419. Qui alia ex ratione jam tenentur ad horas canonicales vel officium B. V. recitandum satisfaciunt huic obligationi quin aliud officium recitent; sufficit ut in hunc finem suam intentionem dirigant. *Recueil.* Qui legere non possunt, debent jejunare diebus quos sacra jubet Ecclesia, et abstinere a carnibus diebus mercurii et sabbato, praeterquam quando Nativitas Domini in dictis diebus incidit. *Recueil. p.* 211—223.

Super his plura sunt advertenda.

4. Non intenditur ut quis faciat *votum* castitatis, sufficit propositum. *Recueil p.* 216. — Peccatum contra hanc virtutem non irritat privilegium, modo postea propositum renovetur et emendatio sequatur. *Ibid. p.* 479. Licet etiam statum mutare et matrimonium inire. *Ibid.*

5. Valentes legere tenentur recitare parvum officium B. V. exceptis iis, qui jam tenentur ad recitationem divini officii (Breviarii) 18 Aug. 1868 ad 1. *D.* 419. Nec possunt ejus loco assumere abstinentiam. *Recueil p.* 480. — Officium B. V. debet recitari juxta ritum Romanum, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum. 18 Aug. 1868 ad 2 et quotidie est recitandum. Ibid. ad 3. *D.* 419.

Etiam ii qui recitant officium tenentur ad servanda jejunia Ecclesiae. *Schneid. p.* 419. Ergo si non possunt jejunare, jejunium est commutandum juxta ea quae infra dicentur n. 7.

6. Officium et abstinentia feria IV et sabbato, possunt ob justam tamen causam commutari in aliud opus pium a confessario habente *specialem* facultatem. Ita in opusculo: *Ritus servandus.* Romae 1882. *Schneid. p.* 420 *n.* 3. Vide supra p 198, n. 11.

Praep. Gen. Calceatorum hanc *specialem* facultatem dat sacerdotibus, sed Prior Gen. Discalc. eam dat sacerdotibus ad confessiones audiendas

approbatis. Ast commutatio haec non necessario per proprium confessarium facienda est, et potest fieri etiam extra tribunale confessionis. *Schneid. p.* 419. *n.* 3.

7. At S. C. declaravit: „accedente gravi impedimento non teneri confratres neque ad jejunium, neque ad recitationem horarum canonicarum aut officii parvi B. M. V.; neque ad abstinentiam diebus mercurii et sabbati: consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessarii pro aliqua commutatione impetranda." S. C. die 6 Aug. 1841 ad forman aliorum Decretorum. *Prinz. D.* 514 *ad* 2. in una Ambianen. et iterum in una Briocen. die 22 Jun. 1842. quae decreta quidem desunt in nova editione sed citantur a P. Grassi in Compendiosa Narrazione etc. *Schneid. p.* 419, et ut authentica agnoscuntur a Praep. Gen. 10 Mart. 1856 ad 31. *Falise*, *Resolut. p.* 239.

P. Deputatus vero Carmelitarum monet: „Confratres statutis diebus jejunare aut carnibus abstinere minime valentes, sive officium parvum B. M. V. recitare, non sunt omnino liberi sed indigent commutatione." 7 Oct. 1840 ad 1. *Recueil p.* 485.

8. In commutatione officii conveniens est, non necessarium ut partem officii v. gr. *Magnificat* includat. Commutatio autem fiat pro arbitrio sacerdotis sitque proportionata et conveniens petenti. Praep. Gen. 2 Dec. 1843. *Recueil p.* 495.

9. Quando quis in electu ciborum non est sui juris, ac proin non nisi difficile abstinentiam servare possit, habetur ratio sufficiens ad abstinentiam commutandam. PP. Carm. *Recueil p.* 494 et seq.

III. Conditiones adimplendae ut quis lucretur Indulgentias scapulari de Monte Carmelo concessas.

1. De his S. C.: „Christifideles, qui in confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem, unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae confraternitati, dummode tamen pia peragant opera injuncta in concessione earumdem. Servare autem abstinentiam a carnibus quarta feria, necnon septies in die orationem

Dominicalem et Angelicam salutationem recitare, haud sunt conditiones generales pro lucrandis indulgentiis deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda qui speciales indulgentias lucrari cupiunt (et pro iis in concessione ipsa sunt praescripta.) 12 Febr. 1840. *D.* 279; et *Recueil p.* 384.

Impositio scapularis et inscriptio nominis non sufficiunt. 22 Febr. 1847. *D.* 337. Sed debet benedici et gestari scapulare.

2. Ad lucrandas indulgentias saepe praescribitur visitatio ecclesiae Ordinis; sed Pius IX concessit sequentem commutationem: „Omnes confratres et consorores, si in locis versantur, ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede ejusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, respectivam parochialem ecclesiam statis diebus devote visitaverint, ac reliqua injuncta pietatis opera rite in Domino praestiterint." Brev. 15 Jan. 1855. In Summ. Indulg. *Rescr. Auth. P. II p.* 474; et *Recueil p.* 473. et *Acta XIX p.* 558 *VIII.*

IV. Gratiae et Indulgentiae.

I. SUMMARIUM EARUM APPROBATUM A S. C. 1 DEC. 1866. (1)

Indulgentia plenaria sub conditionibus ordinariis sc : conf. comm. preces.

1. Die illa, qua quis recipiendo habitum, confraternitatem ingreditur. Paul. V: *Cum certas* 30 Oct. 1606; et *Recueil p.* 380.

2. In festo principali Commemorationis B. V. Mariae de Monte Carmelo die 16 Julii, vel Dominica immediate sequenti, aut alia ejusdem mensis juxta locorum consuetudinem. *Ibid.*

3. In mortis articulo, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis susceptis, ad devotam SS. Nominis Jesu invocationem ore, si fieri potest, sin autem corde. *Ibid.* et *Recueil p.* 381. *n.* 3.

4. In una Dominica cujusvis mensis, interessendo processioni per confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendae. Idem *Piorum*

(1) P. Schneider, Rescripta Authent. p. 473.

hominum, 3 Aug. 1609, et *Alias volentes* 19 Jul. 1614 et *Recueil p.* 473, ubi ponitur Dominica tertia.

5. Iis qui praedictae processioni commode assistere non valent, si capellam respectivae confraternitatis devote visitaverint. Clem. X *Commissae Nobis*, 8 Maii 1673; et *Recueil p.* 383. *n.* 13.

6. Infirmis, captivis et peregrinis, qui hujusmodi capellam dicta Dominica visitare nequiverint, si officium parvum B. V. M., aut 50 *Pater* et *Ave* recitaverint, et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi et S. Communionem recipiendi quamprimum potuerint, quod adimplere omnino tenentur. Clem. X. *Bulla nuper citata;* et *Recueil p.* 383, *n.* 14.

Forma hujus benedictionis habetur in *Formulari*, n. VI.

Indulgentiae partiales.

1. Indulgentia 5 *annorum et totidem quadragenarum*, semel in mense si poenitentes confessi SS. Euch. Sacramentum sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint. Paul. V: *Cum certas* supra cit. et *Recueil p.* 381. *n.* 6.

2. Item, comitando SS. Sacramentum, dum ad infirmos defertur, cum candela accensa, et pro iis pias ad Deum preces fundendo. *Ibid. Recueil p.* 382. *n.* 8.

3. *Indulg.* 3 *an. et* 3 *q.* in qualibet ex festivitatibus B. M. V. quae celebrantur ab universa Ecclesia, confitendo, et SS. Eucharistiam sumendo in ecclesia vel capella confraternitatis, et ut supra orando. *Ibid.* et *Recueil p.* 382. *n.* 7.

4. *Indulg.* 100 *dierum.* Corpora defunctorum tam confratrum et consororum quam aliorum ad sepulturam associando, ac pro eorum animabus Deum exorando. — Officium B. M. V. parvum devote recitando. — Assistendo Missis aliisque divinis officiis in ecclesia vel capella confraternitatis. — Pauperes hospitio recipiendo, aut eis in eorum necessitatibus vel periculo peccandi existentibus auxilium ferendo. — Pacem cum inimicis propriis, vel alienis componendo. — Devium aliquem ad viam salutis reducendo. — Ignorantes Dei prae-

cepta et ea quae sunt ad salutem edocendo; — aut aliud quodcumque pietatis vel caritatis opus exercendo. *Ibid.*

Omnes et singulae praedictae indulgentiae per Paulum V concessae animabus purgatorii per modum suffragii possunt applicari. Clem. X *Cum sicut accepimus*, 2 Jan. 1672.

Gratiae nuper concessae.

1. Loco ecclesiam Ordinis, respectivam parochialem visitare. Vide supra p. 208 n. 2. et *Recueil p.* 473.

2. Omnes et singulae Missae, quae in suffragium celebrantur confratrum et consororum, eodem gaudent privilegio, ac si in *altari privilegiato* celebratae fuissent. S. C. Indulg. 22 Jun. 1865 et *Recueil p.* 424.

Aliae gratiae.

Nempe privilegium sabbatinum. Vide supra p. 204. n. 4.

Aliae multae indulgentiae, quae brevitatis causa omittuntur, in Summario indulgentiarum Bullarii Ordinis part. 2. p. 600 continentur.

Decretum. Hoc Summarium rite recognitum et authenticis documentis revisorum judicio conforme repertum, imprimi posse et ubique promulgari permittitur. Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiarum die 1 *Decembris* 1866. *Ant. M. Card. Panebianco*, Praef. — *Philippus Can. Cossa*, Substit. —

II. ALIAE GRATIAE ET INDULGENTIAE.

1. Praeter promissiones B. Simoni Stock (*supra p.* 203. *n.* 2) et Joanni XXII (*supra p.* 204) a SS. Virgine factas, tribuitur confratribus *participatio* omnium bonorum spiritualium ordinis Carmelitici juxta Bullam Clem. VII *Ex clementi*, 12 Aug. 1850. *Rescr. auth. p.* 471. *Nota.*

2. Sodales recipere possunt in hora mortis *Absolutionem generalem* cum plen. indulg. a confessario habente facultatem benedicendi scapularia, aut in hujus defectu a quocumque alio confessario per Ordinarium approbato. Clem. VII ut supra. *Recueil p.* 496 et S. C. 27 Apr. 1887 ad 13. *Acta XIX p.* 559. Sed adverte absolutionem hanc seu benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis non nisi semel in eodem morbi statu impertiri posse.

S. C. 20 Sept. S. S. 23 Sept. 1775 ad 5. *D.* 237 et alibi pluries. Nec licet eam iterare super eumdem aegrotum licet id fieret a diversis sacerdotibus (ex diversis titulis) facultatem habentibus. S. C. 5 Febr. 1841 ad 7. *D.* 286. et S. C. 5 Mart. SS. 12 Mart. 1855. *D.* 362.

Ex Decreto Gen. tum S. C. Inquisitionis tum S. C. Rituum a Leone XIII sancito jam unica formula est adhibenda, nempe Benedictina vel consueta, non quae exhibentur ut propria pro confraternitatibus Montis Carmeli etc. 22 Mart. 1879. *D.* 444.

3. Confratres lucrari possunt *indulgentias stationales* in ecclesiis Ordinis, visitando unum vel plura altaria et recitando 5 *Pater* et *Ave* in memoriam Passionis D. N. J. C. simulque orando pro exaltatione S. Matris Ecclesiae. Clem. VII *Ex clementi*, 12 Aug. 1530 et alii Pontifices. *Recueil p.* 425—429.

4. Praeter supra memoratas possunt confratres acquirere *indulgentiam plenariam.*

a) In una ex *quartis feriis* cujuslibet mensis, non autem ut alii referunt in singulis feriis quartis ut habetur apud *Schneid. p.* 414 et *Mélang. Théol. T* 3 *p.* 171. Ita declaravit S. C. 27 Apr. 1887 ad 11. *Acta XIX p.* 559.

b) In pluribus festis visitando ecclesiam Ordinis vel ubi desit parochiae etc. *Recueil chap. XIII.*

a. In festis mobilibus.

In Paschate ind. pl.; insuper 35 a. et 35 q. in ipso die et in unaquaque die Octavae. — In Pentecoste ind. pl. et 35 a. et q. — Feria VI. Hebd. Maj. ind. pl. et 195 a. et q. — Occasione precum 40 horarum ind. pl.

b. In festis reliquis.

Jan. 20. SS. Fab. et Seb. ind. pl. et 35 a. et 35 q. —

Febr. 2. Purif. B. V. ind. pl. bis et insuper 425 a. et q.; et in unaquaque die Octavae 65 a. et q. — 4. S. Andreae Corsini. ind. pl.

Mart. 19. S. Joseph ind. pl. in festo vel sub Octava. Praeterea i. pl. qui septem feriis IV, quae festum praecedunt, interfuit expositioni SS. Sacrm. et pro unaquaque vice 100 d. — 25. Annuntiatio B. V. ind. pl. bis, et 425 a. et q., in diebus Octavae vero 65 a. et q.

Maii. 3. Inventio S. Crucis, ind. pl. et 195 a. et q. — 5 S. Angeli ind. pl. — 16, S. Simonis Stock. ind. pl. — 25 S. M. Magd. de Pazzis ind. pl.

Jun. 24. S. Joan. B. ind. pl. et 35 a. et q. etiam sub octave. — 29. SS. Ap. Petri et Pauli. ind. pl. et 35 a. et q. etiam sub octava.

Jul. 2. Visitatio B. V. ind. pl. et 30 a. et q. etiam sub octava. — 16. B. V. de Monte Carm. ind. pl. in festo aut sub octava, et altera ind. pl. sub octava, insuper 305 a. et q. — 20. S. Elias. ind. pl. — 26. S. Anna ind. pl.

Aug. 7. B. Albertus. ind. pl. — 15. Assumptio B. V. ind p. bis; et 425 a. et q. sub octava vero 65 a. et q. — S. Joachim. ind. pl. — 27 Tranverberatio S. Teresiae. ind. pl.

Sept. 8. Nativ. B. V. ind. pl. bis et 425 a. et q.; sub oct. 65 a. et q. — 14 Exalt. S. Crucis. ind. pl. et 195 a. et q. — 29 S. Michaël. ind. pl. et 35 a. et q.

Oct. 15. S. Teresia. ind. pl. in festo aut sub octava.

Nov. 1. OO. Sanctorum. ind. pl. et 35 a. et q. etiam sub octava — 21. Praesent. B. V. ind. pl. et 30 a. et q. etiam sub octava. — 24. S. Joan. a Cruce. ind. pl. in festo aut sub octava.

Dec. 8. Imm. Conc. B. V. ind. pl. et 30 a. et q. etiam sub octava — 25 Nativ. D. N. I. C. ind. pl. et 35 a. et q. etiam sub octava.

Aliae indulgentiae partiales.

1. 7 a. et 7 q. et 160 dies visitando ecclesiam Ordinis et orando *Pater* et *Ave* pro vivis et defunctis. *Recueil p.* 395 *X.*

2. 87 a. et 87 q. singulis Sabbatis et Dominicis anni, si confessi ad S. Communionem accedunt. *Ibid. p.* 394 *V.*

3. 300 dies abstinendo a carnibus feriis IV et Sabbatis *Recueil p.* 381 *n.* 5.

4. 40 dies dicendo 7 *Pater* et *Ave* in honorem 7 gaudiorum B. M. V. *Recueil p.* 381 *n.* 5.

V. Solemnitas benedictionis scapularium.

1. Missionarius Fideles tempestive moneat, ut sibi procurent scapulare. Instruat eos de materia, forma etc. quam scapulare habere debet juxta dicta p. 191.

2. Omnes qui volunt adscribi confraternitati sciant se debere in persona praesentes esse, et suum proprium scapulare afferre et in manu tenere ita ut a benedicente videri possit.

3. Praemittatur aliquis cantus.

4. Exponat qua potestate agat supra p. 26 et ut scrupulos praeveniat, monebit populum lege quidem ordinaria requiri, ut sacerdos, qui benedicit scapulare, illud etiam imponat, sed jam ex privilegio a Pio IX concesso sufficere ut post benedictionem quisque sibi suum scapulare collo circumponat.

5. Dicat de origine, si videbitur, sed praesertim de dignitate et privilegiis scapulari propriis. Supra § I p. 203.

6. Ante vel post benedictionem exponet, quae sunt observanda 1° ut participes fiant indulgentiarum supra p. 207 et 2°. Privilegii sabbatini supra p. 206. Quod hoc primum scapulare benedictum perpetuo est gestandum modo praescripto supra p. 194. Si autem deperditur etc. ejus loco assumi posse scapulare non benedictum modo habeat materiam formam et colorem determinatum.

§ 3. Scapulare coeruleum seu Conceptionis Immaculatae B. M. V.

I. Origo, leges, finis.

1. *Origo.* Scapulare hoc initio saeculi XVII revelatum fuit ven. servae Dei Ursulae Benincasa Religiosarum Theatinarum institutrici. Quum in festo Purificationis ardentissimo amore incensa cum multis lacrymis et gemitibus pro salute animarum oraret, apparuit ei B. V. veste alba et pallio caeruleo induta, circumstipata innumerabilibus virginibus eodem amictu vestitis. Gestabat puerulum Jesum in brachiis et materno affectu eam alloquens dixit: „Macte animo, Ursula, lacrymas absterge, et a gemitibus cessa, erit enim tibi gaudium magnum; aspice meum Jesum qui et tuus est et ausculta diligenter quid tibi jussurus est.“ Jussit autem ei divinus puer, ut in honorem Immaculatae Conceptionis suae Matris aliquod monasterium erigeret, ubi 33 sorores amictum matris suae gestantes monasticam vitam agerent. Illis quae hoc suum votum explerent, plures et speciales promittebat gratias. Tunc vero

Ursula ut erat zelo animarum flagrantissima petiit, ut eaedem gratiae tribuerentur etiam iis, qui in saeculo manentes speciali modo hoc privilegium suae Matris recolerent, et servantes castitatem juxta vitae suae statum, habitum coeruleum gestarent. Quibus precibus divinus puer annuit, et vidit simul venerabilis serva Dei Angelos, qui sacrum habitum ubique terrarum distribuebant.

Scapulare hoc fuit approbatum et indulgentiis ditatum a Clem. X et XI. *Coelestium munerum.* 12 Mart. 1710, *Schneid. p.* 433.

2. Conferendi hoc scapulare potestas ordinaria est penes Generalem Theatinorum qui residet Romae ad S. Andreae della Valle. Pius IX 19 Sept. 1851.

3. Etiam hoc scapulare debet esse ex lana contexta — color ejus debet esse coeruleus. 22 Aug. 1842. *D.* 307. sitne color clarus an obscurus, nihil refert. *Schneid. p.* 442, funiculi possunt esse cujuscumque coloris. Imago B. V. gestantis puerum Jesu non est de essentia. *Ibid.* Obsoleto scapulari benedicto, novum non benedictum assumi potest (1).

4. Inscriptio et transmissio nominis non est necessaria. Non habet hoc scapulare confraternitatem adnexam. Ita declaravit Superior Theatinorum 29 Mart. 1874; contra vero asserit S. C. de Prop. Fide a S. Sede 28 Febr. 1877, confraternitatem B. et Imm. Virginis M. fuisse approbatam. *N. Rev. Theol. T.* 18 *p.* 114.

At huic declationi contradicit S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 5 ubi dicit suscipientes et gestantes scapulare caeruleum non constituere confraternitatem. Acta XIX p. 558.

5. *Finis* principalis hujus devotionis est: 1°. honorare privilegium Immac. Conceptionis B. M. V.; 2°. orare pro emendatione morum et pro conversione eorum qui se vitiis dedunt. Nullae tamen preces praescribuntur, sed unusquisque assumat sibi quaedam opera pietatis, quibus justitiam Dei placare et ejus misericordiam implorare satagat, „quod si quis brevem et cuique aptam methodum exquirat, ea esset, ut scilicet quotidie 12 *Ave* in peculiarem duodecim privilegiorem B. V. honorem, ac ter *Pater* terque *Gloria* in honorem SS. Trinitatis humil-

(1) Ex libello scapularis caerulei p. 7—9. *Schneid. Rescr. Auth. p.* 579.

lime recitet, sicut S. Andreas Avellinus in more habebat, omnibusque id agere solerter insinuabat. Vide Raccolta p. 197 (212).

Praeter enuntiata pietatis opera tria etiam necessaria sunt: 1°. animae a peccatis omnibus mundities; 2°. virtutum exercitatio; 3°. perseverantia in iis erga B. V. immaculatam operibus peramanter excolendis; ait enim S. Bernardus: Perseverantia sola meretur coronam. Epist. 122. *Schneid Rescr. auth. p.* 577.

II. Summarium indulgentiarum quas Greg. XVI 12 Jul. 1845 probavit et confirmavit quasque Pius IX 7 Jun. 1850 etiam animabus in Purgatorio existentibus suffragari posse declaravit. (1)

Indulgentiae plenariae.

1. Die, qua quis sacro induitur scapulari.
2. Si adscriptus ordinetur sacerdos, cum primam Missam celebrat.
3. In articulo mortis. (2)
4. Cum spiritualia exercitia peraguntur, *semel* in anno.
5. Prima cujuslibet mensis Dominica die.
6. In sabbatis quadragesimae.
7. Dominica die et feria VI hebdomadae Passionis.
8. Feria IV, V et VI hebdomadae majoris.
9. In solemnitatibus: Nativitatis, — Epiphaniae, — Paschatis, — Ascensionis D. N. J. C., — Pentecostes, — SS. Trinitatis.
10. In festis: Conceptionis immaculatae, — Nativitatis, — Purificationis, — Annuntiationis, — et Assumptionis B. M. V.
11. Die 19 Martii, in festo transitus S. Josephi, sponsi B. V. M.
12. Die 24 Martii (celebratur festum B. Josephi Mariae Card. Thomasii, Conf. Clerici Regularis.)
13. Die 3 Maii in festo Invent. S. Crucis D. N. J. C.
14. Die 17 Junii (celebratur festum B. Pauli Buralis E. Card. de Aretio, Conf. Clerici Regularis.)
15. Die 24 Junii, in festo Nativitatis S. Joannis Baptistae.

---

(1) P. Schneider. Rescr. authent. p. 574.

(2) Pro absolutione in articulo mortis adhibeatur formula Benedictina, Leo XIII 7 Jul. 1882.

16. Die 29 Junii, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

17. Ultima Dominica mensis Julii.

18. Die 2 Augusti, in festo B. V. Mariae Angelorum, vulgo della Porziuncula.

19. Die 7 Augusti, in festo S. Cajetani Thienaei, Card. Clericatus Regularis Patriarchae.

20. Die 28 Augusti, in festo S. Augustini E. et D.

21. Die 14 Septembris, in festo Exaltationis S. Crucis, qua die Congregatio Clericorum initium sumpsit.

22. Die 29 Septembris, in festo S. Michaelis Archangeli.

23. Die 2 Octobris, in festo SS. Angelorum Custodum.

24. Die 15 Octobris, in festo S. Teresiae Virginis.

25. Die 1 Novembris, in festo Omnium Sanctorum.

26. Die 10 Novembris, in festo S. Andreae Avellini C. Cleri Regularis.

27. Die 13 Novembris (celebratur festum B. Joannis Marinonii Conf. Clerici Regularis.)

28. Prima et ultima die Novendialium Nativitatis D. N. I. C.

29. In expositione SS. Sacramenti per horas XL semel in anno.

30. Quotidiana semel in anno acquirenda.

31. Semel in anno die a P. Praeposito Generali Clericorum Regularium statuenda (statuit 12 Aprilis, diem anniversariam canonizationis S. Cajetani.)

Aliae Indulgentiae.

32. Indulgentiae *Stationum* ecclesiarum Urbis, ut videre est in Missali Romano, dummodo quis adeat ecclesiam Clericorum Regularium Congregationis Theatinae, ibique orent (1)

33. Indulgentiae septem Basilicarum *bis in mense*, dummodo oretur ante septem altaria in dicta ecclesia Cleric. Reg. (1) et (2)

34. Indulgentiae, quas lucrifaciunt, qui visitant Sanctum Sepulcrum et Terram sanctam Palestinae, *bis in mense* orando in eadem ecclesia (1) et (3).

(1) Vide infra n. 62.

(2) Vide Raccolta p. 379 (406.) 1. Indulgentiae plurimae, quas eo die visitantes illas ecclesias lucrantur. 2. Pius IX 26 Jan. 1866 concessit Indulg. plen. (Conf. comm. preces.) Vide et Rescr. auth. p. 356 et 360.

(3) Vide Analecta Tom. I. p. 600; Lucius Ferr. V. Indulg. Art. V. n. 8 Amort de Indulg. p. 54.

35. Insuper si quis recitet 6 *Pater*, *Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis et B. Mariae V. sine labe conceptae, orando, ut dignetur Deus sanctam Ecclesiam catholicam triumphis quotidie augere, haereses extinguere, pacem et concordiam inter christianos principes fovere, universas sibi comparat indulgentias septem Urbis Basilicarum, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi Compostellae.

Praeterea S. C. Indulg..... die 31 Martii 1856 decreto suo declaravit, supradictas indulgentias..... toties quoties acquiri posse et quocumque loco preces fuderint, servato decreto S. C. Indulg. die 7 Martii 1678 approbato ab Innoc. XI., quod incipit *Delatae saepius*, (1) neque oportere alias preces addere, ac Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptionem praemittere, sed sufficere sex tantum *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitari, uti supra, easque applicabiles etiam esse animabus in purgatorio degentibus. Quod quidem decretum Pius PP. IX s. m. 14 Aprilis ejusdem anni 1856 benigne approbavit.

36. 60 *annorum*, quando quis horae dimidio animam sacris meditationibus exercet.

37. 20 *annorum*, quando quis infirmos invisit, ut eos corporaliter vel spiritualiter aliquo modo coadjuvet, aut si impediatur, pro eis recitet 5 *Pater*, *Ave* et *Gloria*.

38. 20 *annorum*, in octavis festorum Domini (2)

39. 20 *annorum*, in festis Sanctorum ex Ordinibus Regularibus Eremitarum S. Augustini, Praedicatorum, Carmelitarum, SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, et Servorum B. Mariae Virginis. (3)

40. Nempe: *Ex ordine Eremitarum S. Augustini.*

19 *Jan.* S. Fulgentii Rupensis Ep. C. — 10 *Febr.* S. Wilhelmi Ducis C. et M. — 17 *Mart.* S. Patricii Ep. C. — 4 *Maii* S. Monicae Vid. — 17 *Maii* S. Possidii Ep. C. — 12 *Jun.* S. Joannis a S. Facundo Conf. — 13 *Aug.* S. Simpliciani Ep. C. — 16 *Aug.* S. Alipii Ep. C. — 23 *Aug.* S. Liberati et Soc. MM. — 5 *Sept.* S. Antonini M. — 10 *Sept.*

---

(1) Juxta memoratum decretum indulg. plenaria pro vivis concessa in diem certum ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die. (Prinz. D. 17.)

(2) Nempe: 1 Jan. Circumcisio D. N. et oct. Nativ. — 13 Jan. Oct. Epiph. — Dominica in albis — fer V. post Ascens. — et fer V. post solemn. Corporis Dni. Confer D. 392.

(3) Quae sequuntur a numero 40 ad 43 utrimque inclusive desumta sunt ex Prinz. Supplem. n LIV. p. 148.

S. Nicolai a Tolentino Conf. — 18 *Sept.* S. Thomae a Villanova Ep. C. — 16 *Oct.* S. Maximae V. et Soc. MM. — 16 *Dec.* SS. Virgines Africae.

41. *Ex Ordine Praedicatorum.*

23 *Jan.* — S. Raymundi de Pennafort Conf. — 13 *Febr.* S. Catharinae de Riccis V. — 7 *Mart.* S. Thomae de Aquino Conf. et. D. 5 *Apr.* S. Vincentii Ferrerii Conf. — 20 *April* S. Agnetis a Monte Politiano V. — 29 *April.* S. Petri M. — 30 *April.* S. Catharinae Sen. V. — 5 *Maii*, S. Pii V. Papae. — 10 *Maii*, S. Antonini Ep. D. — 4 *Aug.* S. Dominici Conf. — 16 *Aug.* S. Hyacinthi Conf. — 30 *Aug.* S. Rosae Limanae V. — 10 *Oct.* S. Ludovici Bertrandi Conf.

42. *Ex Ordine Carmelitarum.*

22 *Jan.* S. Anastasii M. — 28 *Jan.* S. Cyrilli Ep. D. — 4 *Febr.* S. Andreae Corsini, Ep. C. — 12 *Febr.* S. Dionysii Papae. — 13 *Febr.* S. Euphrosinae V. — 24 *Febr.* S. Telesphori Papae M. — 15 *Febr.* S. Petri Thomae Ep. M. — 25 *Febr.* S. Avertani M. — 6 *Mart.* S. Cyrilli Conf. D. (Episc. Constantinopolitani. *Recueil p.* 24) — 13 *Mart.* S. Euphrasiae V. — 29 *Mart.* S. Bertholdi Conf. — 8 *April.* S. Alberti Patriarchae Constantinop. — 5 *Maii*, S. Angeli M. — 16 *Maii*, S. Simonis Stock Conf. — 21 *Maii*, Translatio S. Joannis a Cruce Conf. — 25 *Maii*, S. Mariae Magd. de Pazzis V. — 14 *Jun.* S. Elisaei Proph. — 13 *Jul.* Translatio S. Teresiae V. — 20 *Jul.* S. Eliae Proph. — 7 *Aug.* S. Alberti Conf. — 27 *Aug.* Tranverberatio S. Teresiae V. — 2 *Sept.* S. Brocardi Conf. — 25 *Sept.* S. Gerardi Ep. M. — 21 *Oct.* S. Hilarionis Ab. — 26 *Oct.* Translatio S. Andreae Corsini Ep. C. — 30 *Oct.* S. Serapionis Ep. C. — 14 *Nov.* OO. SS. Ord. Carm. — 14 *Dec.* S. Spiridionis Ep. C. — 16 *Dec.* Translatio S. Mariae Magd. de Pazzis V.

43. *Ex ordine SS. Trinitatis.*

8 *Febr.* S. Joannis de Matha Conf. — 13 *Nov.* OO. SS. ejusdem Ordinis. — 20 *Nov.* S. Felicis de Valois Conf.

44. In caeteris festis minoribus B. M. V. (1)

45. Quoties ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedatur.

---

(1) Juxta D. 392 in festis quae celebrantur ab universa Ecclesia. Nempe: *Feria VI Hebd. Passionis* 7 Dol. B. V.; — 2 *Jul.* visitatio; — 16 *Jul.* B. V. de Monte Carm.; 5 *Aug.* Dedic. B. M. ad Nives — *Dom. sub Oct. Nativ.* S. Nominis Mariae; — *Tertia Dom. Sept.* 7 Dol. B. V. — 24 *Sept.* B. M de Mercede; — *Prima Dom. Oct.* SS. Rosarii; 21 *Nov.* Praesentatio.

46. Quando quis SS. Sacramentum, quod ad infirmos defertur, comitetur.

47. Si 7 *Pater*, *Ave* et *Gloria* pro infirmo, qui sacram recepit Eucharistiam recitentur.

48. In singulis anni festis, in quibus plenaria indulgentia conceditur, dummodo ecclesia Cler. Reg. Congr. Theatinae visitetur, quin opus sit, ut Poenit. et Euch. Sacramenta suscipiantur. (Vide infra n. 62.)

49. Qualibet die ad Vesperas, si *Salve Regina* recitetur, ac pro Ecclesiae necessitatibus precationes fundantur.

50. A Dominica die Septuagesimae ad Diem Dominicam Palmarum *semel in die*, dummodo S. Euch. sumatur et 7 *Pater*, *Ave* et *Gloria* pro Ecclesiae necessitatibus dicantur.

51. In festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, si qua eleemosyna impendatur.

52. In tribus feriis VI cujusque mensis, si ad S. synaxim accedatur.

53. In septem diebus novendialium Nativitatis D. N. J. C. (vide supra n. 28.)

54. Qualibet feria II visitando SS. Euch. Sacramentum.

55. *Quinque annorum* et *totidem quadrag.* qualibet die, visitando ecclesiam Cler. Regul. Theatinorum, atque etiam aliam ecclesiam, recitando 5 *Pater*, *Ave* et *Gloria*.

56. 300 *dierum*, qualibet die Octavae Pentecostes.

57. 200 *dierum*, si verbum Dei audiatur.

58. 60 *dierum*, si quod opus pietatis peragatur.

59. 50 *dierum*, si sacra Jesu et Mariae nomina devote invocentur.

60. 50 *dierum*, si *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitetur pro vivis et defunctis in quacumque ecclesia.

61. Insuper quoties Missae sacrificium pro aliquo defuncto celebratur, qui sacrum rite benedictum gestaverit scapulare coeruleum, altare in quo illud Deo offertur, tamquam *privilegiatum* habetur.

62. Denique fel. rec. Pius PP. IX sub die 3 Dec. 1847 praedictum scapulare gestantibus concessit pariter, ut in iis locis, in quibus deest ecclesia Clericorum Regularium, quam ad lucrandas quasdam ex supradictis indulgentiis adire ibique orare deberent, aliam ecclesiam, in

qua tamen aliquod adsit altare B. Mariae Virginis, substituere valeant.

S. C. Indulg.... praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secr. ejusdem S. C. die 26 *Aug.* 1882. *Franc. Della Volpe*, Secret.

Forma benedictionis hujus scapularis habetur in Formulari. n. VII.

§ 4. Scapulare nigrum seu septem Dolorum B. M. V.

I. Origo, leges, finis.

1. *Origo.* Scapulare hoc proprium est Ordinis Servitarum seu Servorum Mariae, qui ortum habuit versus medium saeculum decimum tertium. Ipsa B. Virgo voluit ut vestes servorum suorum essent nigri coloris, idque in memoriam dolorum quos pro salute generis humani passa est. Ut autem eadem devotio inter fideles excitaretur coeperunt Patres Servitae distribuere parva scapularia ejusdem coloris et gestantes ea in confraternitatem coadunare. Urbanus Papa VIII brevi 18 Sept. 1628 Generali ejus Ordinis potestatem fecit ut similes confraternitates erigere possit etiam in ecclesiis non sui Ordinis. *Schneid. p.* 425 etc.

Eidem Ordini proprium est Rosarium septem Dolorum B. V. vide supra p. 189.

2. Nostris in Provincia Neerlandica a Pio IX facultas data est hoc scapulare benedicendi etc. et Fideles assumendi in confraternitatem ei adnexam cum communicatione indulgentiarum etc. absque eo quod confraternitas ejusmodi sit erecta, aut nomina catalogo inscribantur etc. vide p. 26. De facultate autem benedicendi rosaria septem Dolorum nulla fit in Indulto mentio.

3. Si quis scire cupit, quae servanda sint ubi talis confraternitas erecta est, adeat *P. Schneider*, 2 *Theil*, *III Abschnitt n.* 146. Lege ordinaria inscriptio nominum eorumque transcriptio in catalogum alicujus conventus Ordinis est requisita ad lucrandas indulg. *Schneid. p.* 427.

4. Scapulare hoc debet esse ex lana nigri coloris; ornatur plerumque imagine Virginis septem dolorum quod tamen non pertinet ad essentialia. Funiculi possunt esse cujuscumque materiae et coloris.

5. *Scopus* ob quem hic habitus traditur est fovere peculiarem devotionem erga B. V. Matrem nostram doloribus sauciatam, ut hac

ratione Fideles excitentur ad exhorrenda et expianda peccata quae sunt praecipua causa horum dolorum. *Schneid. p.* 428.

Libellus confraternitatis hortatur confratres, ut quotidie recitent 7 *Pater* et *Ave* in honorem 7 dolorum B. V. Mariae; illi autem sunt quos experta est 1°. in prophetia Simeonis; — 2°. in fuga in Aegyptum; — 3°. in remansione pueri Jesu in Jerusalem; — 4°. quum obvium habuit Filium bajulantem crucem; — 5°. quum videt Filium suum in cruce pendentem; — 6°. quum eum exanimum excepit in sinum suum; — 7°. quum in sepulcro deponebatur. — Praeterea recitent singulis hebdomadis rosarium septem dolorum, et in vigiliis festorum B. V. et feriis VI anni jejunent aut aliquam mortificationem faciant. *Schneid. ibid.*

II. Summarium indulgentiarum confratribus et consororibus Societatis septem Dolorum B. M. V. concessarum (1)

Indulgentiae plenariae.

1. Die quo suscipiunt habitum. (Conf. Comm. etc.) Paul. V Brevi *Cum certas* d. 14 Febr. 1607.

2. In festo principali confraternitatis a primis vesperis ad occasum solis festivitatis hujusmodi. (Confessio, Communio et visitatio ecclesiae confraternitatis, ibique orare pro christianorum principum concordia etc.)

3. In articulo mortis, qui poenitentes et confessi ac S. Comm. refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

4. In solemni processione de Ordinarii loci licentia in una ex cujuslibet mensis diebus Dominicis peragendae, si devote interfuerint et confessi, S. Comm. refecti pro christianorum principum concordia etc. pias ad Deum preces effuderint. Paul. V: *Volentes Nos* 7 Jun. 1611, et Urb. VIII: *Pastoris aeterni*, 18 Sept. 1628.

5. In Dominica Passionis a primis vesperis etc. Si confessi, et Communione refecti visitaverint ecclesiam seu capellam vel oratorium suae respective confraternitatis, ibique pias considerationes septem

(1) P. Schneider Rescr. authent. p. 647.

Dolorum B. V. et praecipue Passionis D. N. J. C. fecerint ac pro christianorum etc. oraverint. Innoc. XI Brevi *Commissae Nobis.* 1 Sept. 1681.

Indulgentiae partiales.

6. 7 *an. et* 7 *q.* in festis Nativitatis, — Annuntiationis, — Purificationis, — et Assumptionis B. M. V. similiter a primis vesperis etc. Confessio, Comm. et visitatio ecclesiae seu oratorii vel capellae respective confraternitatis et ibi orare pro . . . . etc. Paul. V: *Cum certas*, 14 Febr. 1607.

7. 7 *an. et* 7 *q.*, qui singulis sextis feriis in memoriam et honorem Passionis D. N. J. C. 5 *Pater* et *Ave* recitaverint, dummodo poenitentes, confessi ac. S. Comm. refecti fuerint.

8. 5 *an. et* 5. *q.*, qui SS. Euch. ad infirmos comitati fuerint et pro eorum salute preces Deo effuderint.

9. 100 *dierum*, quando Officium B. M. V. in ecclesia seu oratorio dictae confraternitatis insimul recitaverint.

10. 60 *dierum*, quoties antiphonae B. V. *Salve Regina* et Litaniis ejusdem B. M., quae singulis diebus Sabbati sub vesperis decantantur, interfuerint; — aut eodem die 7 *Pater* et *Ave* in honorem 7 Dolorum ejusdem B. M. recitaverint; — aut Missis et aliis divinis officiis per dictos confratres in ecclesiis vel oratoriis ejusdem confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis; — aut congregationibus publicis vel privatis dictae confraternitatis ubivis faciendis similiter interfuerint; — aut corpora defunctorum tam confratrum, quam aliorum, ad sepulturam comitati fuerint; — aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus egerint.

11. 100 *dierum*, per annum exercentibus se in piis meditationibus septem Dolorum B. M. V. et Passionis D. N. J. C., ac praesertim Oratione Dominica et Salutatione Angelica cum cantico *Stabat Mater dolorosa etc.* in ecclesiis praedictis recitari aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac orantibus juxta mentem Summi Pontificis. Innoc. XI: *Commissae Nobis*, 1 Sept. 1681.

12. Indulgentiae *Stationum Urbis* prout describuntur in Missali Romano, ac si ipsi confratres et consorores personaliter ecclesias tam intra quam extra eamdem Urbem positas ad id destinatas diebus

stationum devote visitaverint, dummodo ecclesiam sive capellam vel oratorium suae respectivae confratermitatis devote adeant. Innoc. XI, *ibid.*

Privilegia.

13. Omnes confratres et consorores confraternitatis septem Dolorum B. M. V. etiam regulares utriusque sexus cujuscumque Ordinis, qui ob infirmitatem, vel aliud legitimum et grave impedimentum nequeant ecclesiam confraternitatis visitare, possunt indulgentias omnes lucrari dummodo visitatio, de qua supra, a respectivo confessario in aliud pium opus commutetur. Clem. XIII per Decr. S. C. Indulg. 17 Aug. 1762.

14. Omnes praefatae indulgentiae . . . . sunt applicabiles per modum suffragii animabus fidelium defunctorum. Innoc. XI ut supra.

S. C. Indulg . . . . praefatum Summarium uti authenticum recognovit typisque mandari benigne permisit, ejusque exemplaria confraternitatibus aggregandis tradenda praecepit, ut Procuratoris Generalis Ordinis Serv. B. M. V. nomine subscribantur et ejusdem Procuratoris sigillo muniantur. Ex Secret. ejusd. S. C. die 12 *Jan.* 1884.

Franc. Della Volpe, Secret.

Addc ex Indulto Leonis XIII 27 Apr. 1887: in locis, ubi nulla adest ecclesia neque Ordinis Servorum B. M. V. neque confraternitatis VII Dolorum, adscripti acquirere valent omnes indulg. dicti Ordinis ecclesiis adnexas visitando respectivam parochialem ecclesiam *Acta XIX. p.* 560.

Sequuntur in Rescr. auth. indulgentiae concessae recitantibus coronam 7 Dol. B. M. V. modo haec sit benedicta formula propria a sacerdote qui ad hoc facultatem obtinuit a R. Priore Generali. Huic enim Leo PP. XIII, sanatis erroribus prioribus, fecit potestatem ut sacerdotibus quibuscumque demandare possit benedictionem coronarum 7 Dol. ad effectum consequendi indulgentias huic coronae concessas. In audientia habita die 9 Jan. 1884. *Schneid. Rescr. auth. p.* 652.

Ritus benedicendi Scapularia nigra, necnon ritus benedicendi coronas 7 Dolorum B. V. M. reperiuntur in *Formulari.* n. VIII et IX.

§ 5. Scapulare album seu SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

I. Origo, leges, finis.

1. *Origo.* Confraternitas, in qua hoc scapulare porrigitur, erecta fuit a Patribus Ordinis SS. Trinitatis, qui ut notum est, divina revelatione a S. Joanne de Matha et S. Felice Valesio fuit institutus et ab Innoc. III 28 Jan. 1198 approbatus, eo fine, ut Christianis, a Turcis et Mahumedanis in dirissima captivitate detentis, libertas procuretur, aut saltem ab eis periculum deficiendi a fide avertatur. *Schneid. p.* 400 *etc.*

2. Facultates et privilegia Nostris in Prov. Neerl. a Pio IX circa hoc scapulare concessa, vide supra p. 26.

3. Lege ordinaria quidem nomina receptorum scribenda sunt in catalogo quem benedicens apud se servabit. Praep. Gen. Disc. 2 Dec. 1881. *Schneid. p.* 406 *nota* 1. Nos autem ab ea lege exempti sumus.

4. Scapulare hoc debet esse ex lana alba. 18 Aug. 1868. Urbis. *D.* 423. Ferat necesse est in anteriore parte crucem, cujus pars verticalis sit rubri, pars transversalis coerulei coloris. Si novum assumitur, hoc etiam debet prius benedici a potestatem habente. Praep. Gen. 14 Jun. 1880 et 2 Dec. 1881. *Schneid. p.* 406. *n.* 4. et *Rescr. auth. p.* 476.

5. *Scopus* hujus scapularis atque confraternitatis ei adnexae est: 1°. Cultum SS. Trinitatis promovere quae est fons omnium bonorum, principium et fundamentum nostrae fidei et religionis. Eam igitur confratres saepe invocabunt, honorabunt . . . praecipue digne ambulando in conspectu divinae ejus Majestatis. 2°. Saepius orabunt pro infirmis et periclitantibus in fide. 3°. Promovebunt praecipue ea opera quibus conversio infidelium intenditur ut sodalitas Propagationis Fidei, S. Infantiae Jesu etc.

Pius IX Rescripto 21 Mart. 1855 Patribus Discalceatis curam commisit de emendis et educandis pueris Maurorum (negers) et concessit eis veniam eleemosynas ultro oblatas in hunc finem expendendi. *Schneid. p.* 402.

6. Ad lucrandas indulgentias requiritur:

1°. Ut fratres et sorores accipiant et secum ferant (modo supra

p. 194 descripto) scapulare ex lana alba et cruce ex rubro caeruleoque colore signatum, atque rite benedictum. vide supra n. 4. p. 224.

2°. Ut opera a Summis Pontificibus in concessione indulgentiarum praescripta fideliter adimpleant.

3°. Eleemosynae largitio non pertinet ad essentialia opera praestanda.

II. Summarium
omnium indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum confraternitatibus erectis et institutis ab Ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum divina revelatione fundata a SS. Joanne de Matha et Felice Valesio. (1)

I. INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. In die *aggregationis.* (Conf. Comm. preces.) Paul. V: *Coelestes*, 6 Aug. 1608. *n.* 1.

2. In *articulo mortis* dummodo S. Scapulario induti confessi S. Comm. refecti SS. Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint Paul. V ut supra *n.* 2.

3. Interessendo *processioni* una ex Dominicis cujuslibet mensis in ecclesiis Ordinis et confraternitatis. (Conf. Comm. preces). Paul. V: *Pias Christi fidelium.* 11 Nov. 1620 *n.* 15. Qui solum confessi sunt, 7 *an.* 7 *q. n.* 8.

4. Semel *singulis mensibus* pro iis qui singulis diebus recitarunt ter *Pater*, *Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis. Conf. Comm. et preces visitando aliquam publicam ecclesiam; et 7 *an.* 7 *q.* pro qualibet die. Pius IX 22 Mart. 1847. *n.* 28.

5. *Semel in mense* pro Trisagio: „*Sanctus*, *sanctus*, *sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua: Gloria Patri*, *Gloria Filio*, *Gloria Spiritui Sancto*," quotidie recitato. Conf. Comm. visitatio alicujus ecclesiae; et 100 *dies* semel in die, 300 *d.* vero in singulis anni Dominicis, in festo et octiduo SS. Trinitatis. Clem. XIV 26 Jun. 1770 *n.* 34.

---

(1) P. Schneider, Rescr. authent. p. 476. — Quum autem hoc Summarium sit valde longum, illud contraximus; et indulgentias aptiore ordine disposuimus adjectis numeris sub quibus in summario authentico describuntur.

Hae indulgentiae acquiri possunt etiam ab iis qui non sunt confratres. *Ibid.* et *Raccolta p.* 1.

6. Pro *triduo* aut *novendiali* exercitio, quod sive publice sive privatim in honorem SS. Trinitatis tam ante festivitatem ejusdem quam quocumque anni tempore corde contrito peragetur, *Indulg. plen.* ea die in qua confessi, S. Comm. refecti aliquam ecclesiam publicam visitaverint ibique etc. et in quolibet die 7 *an. et* 7 *q.* semel. Pius IX 8 Aug. 1847. *n.* 35. Extenduntur hae indulg. ad omnes Christi fideles. *Ibid.* et *Raccolta p.* 4.

7. Proficiscentibus ad Infideles. Paul. V et supra. *n.* 4.

8. Captivis post reditum infra mensem. Ibid. *n.* 5.

9. In pluribus festis. vide infra. III.

Indulg. 7 *an. et* 7 *q.*

10. Qui gestantes pro affectu S. Scapulare benedictum atque signo nostrae redemptionis munitum quotidie recitaverint 6 *Pater* cum *Gloria*, ac etiam 6 *Ave* cum eodem versiculo *Gloria* pro pace christianorum principum etc. Paul. V: *Coelestes*, 6 Aug. 1608. *n.* 6.

11. Qui piis operibus tam spiritualibus quam corporalibus vacaverint pro suorum peccatorum remissione, ac pro captivorum a servitute Turcarum et aliorum infidelium redemptione. Paul. V ut supra. *n.* 9.

12. Rite confessi, vel cum proposito confitendi, assistentes processioni quae fit ad recipiendos captivos redemptos. Paul. V ut supra. *n.* 10.

13. Semel in anno die ad libitum si, confessi et S. Comm. refecti, quotidie per annum dixerint 3 *Pater*, *Ave* et *Gloria*, et semel *Salve Regina*, orantes pro captivis christianis, ut nomen Salvatoris nostri non abnegent, sed cum fortitudine in sancta fide permaneant, et quantocius a barbarorum servitute sint liberati. Idem. *n.* 11.

14. In festis Nativitatis D. N., — Resurrectionis, — Assumptionis B. V. et S. Agnetis secundo, visitando ecclesiam aut oratorium Ordinis vel confraternitatis et orando pro pace etc. Idem. *n.* 7.

Indulg. 5 *an. et* 5 *q.*

15. Comitantibus cum vel sine lumine, si non possint, SS. Euch. Sacramentum, cum ad infirmos defertur et pro ipsis orantibus. Idem. *n.* 12.

Indulg. 100 *dierum.*

16. Quoties comitantur ad sepeliendum corpora defunctorum tam sodalium quam aliorum, orantes pro ipsis defunctis. Idem *n.* 13.

17. Quoties interveniunt Missis, aliisque divinis Officiis, quae in ecclesiis, capellis aut oratoriis confraternitatis celebrantur, — ac insuper intervenientibus ad publicas seu privatas ejusdem confraternitatis congregationes; — et quando pauperibus hospitalitatem praestent, — operibusque pietatis et caritatis dent operam. Idem *n.* 14.

II. ALIAE GRATIAE ET PRIVILEGIA.

18. Indulgentiae *Stationum*, visitando ecclesias Ordinis vel confraternitatis. Clem. X. 11 Febr. 1673. *n.* 25.

19. *Altaris privilegium* quotidianum in ecclesia Ordinis vel confraternitatis, quae eidem Ordini est aggregata, pro Missis quae in ipso in suffragium fratrum defunctorum celebrantur; insuper altaria omnia cujuscumque pariter ecclesiae Ordinis, tum confraternitatis Ordini adscriptae, die obitus seu depositionis cujuscumque religiosi aut confratris, seu etiam die qua eorum mortis notitia pervenerit, privilegiata pro illis similiter declarantur; ac ne animabus illis defraudentur suffragia, casu quo dies praedicti ratione ritus ecclesiae impediti fuerint, benigne concessit dictum privilegium pro prima die non impedita, in qua fiunt funeralia. Pius IX. 30 Jan. 1872. *n.* 28.

20. Benedictio et *absolutio generalis* omnibus confratribus et consororibus diebus ut infra: in festo 1°. SS. Trinitatis; — 2°. S. Agnetis secundo (28 Jan.); — 3°. S. Catharinae V. et M. (25 Nov.); — 4° in Feria Cinerum; — 5°. Feria V in Coena Domini; — 6°. S. P. N. Joannis de Matha (8 Febr.); — 7°. S. P. N. Felicis Valesii (20 Nov.) — Bened. XIV 16 Dec. 1752. *n.* 26.

Animadvertendum vero est, quod diebus quibus datur praefata benedictio et absolutio generalis, proprie non absolvitur a culpa ut declaravit Clem. VIII: *Decet Rom. Pont.* 9 Maii 1612, sed fit communicatio indulgentiarum, bonorum et suffragiorum religionis, omnibus vere poenitentibus confessis et S. Comm. refectis, qui huic sacrae functioni interfuerint in ecclesiis Ordinis peragendae. *Ibid.*

21. Universis Christi fidelibus visitantibus ecclesias aut capellas Ordinis SS. Trinitatis participatio omnium indulgentiarum, privilegiorum, praerogativarum et gratiarum, quae concessa sunt cuilibet domui, conventui aut loco pio tam canonicorum quam clericorum regularium, mendicantium et non mendicantium, monasticorum cujusvis Ordinis sint. Inn. XII: *Salvatoris*, 27 Jun. 1693, confirmato a Greg. XVI Brev: *Paterna, qua nitimur*, d. 11 Sept. 1832. *n.* 29.

22. Pius IX Brevi diei 30 Jan. 1872 declaravit seu denuo concessit, ut omnes Christi fideles in partibus infidelium confratres, quaestores aut procuratores Ordinis SS. Trinitatis in locis quibus non est ecclesia praedicti Ordinis, possint lucrari servatis servandis, supradictas indulgentias propriam ecclesiam visitando. *Rescr. auth. p.* 483. *n. IX.*

23. Omnes indulgentiae defunctis sunt applicabiles. Pius IX S. C. Indulg. 17 Jun. 1847 et 30 Sept. 1852; ac duobus Brevibus 18 Dec. 1857, et 26 Jan. 1858. *n.* 36.

24. In locis, ubi nulla adest ecclesia Ordinis neque confraternitatis SS. Trinitatis, fideles adscripti lucrari possunt indulgentias ecclesiis Ordinis adnexas, visitando ecclesiam parochialem. Pius IX 30 Jan. 1858. Acta XIX *p.* 560.

III. INDULGENTIAE FESTIS ADNEXAE.

Jan. 28. S. Agnetis secundo Ordinis patronae, qua die divina revelatione Ordo SS. Trinitatis institutus fuit *indulg. pl.* conf. comm. visit. eccl. ord. seu confr. vel suae. (1) *n.* 18 *et* 24. Etiam pro omnibus fidelibus. *n.* 30. Insuper 7 *an.* 7 *q.* visit. eccl. ord. sive confr. vel suae. Paul. V 6 Aug. 1608. *n.* 7. — *Bened. et Absol. gen.* Supra *n.* 19.

Febr. 2. Purificatio B. M. V. *indulg. pl.* ut supra *n.* 17.

„ 8. S. Joannes de Matha. *indulg. pl.* ut supra *n.* 22; et pro omnibus *n.* 30. — *Bened. et Absol. gen.* Supra *n.* 19. (2)

„ 14. B. Joannis Bapt. a Conceptione a primis vesp. etc. *indulg.*

---

(1) Conditiones hae etiam aliis diebus sunt implendae. — NB. Clem. X 11 Febr. et 3 Jun. 1673. indulg. sub nn. 16—23 et Inn. XI 14 Dec. 1678 *n.* 24, ubi indulg. concessae pro Dedicatione S. Michaelis Arch., pro festo S. Clementis, Inventionis S. Crucis, Nativ. S. Joann. B. transferuntur ad 28 Jan., fer. IV cinerum; ad Dom. 2m Octobris et S. Cath. V. et M. 25 Nov.

(2) Si hoc festum incidat in feriam IV cinerum aut in Dom. 1am quadrag. tunc transfertur in diem sequentem una cum generali absolutione. *n.* 27.

plen. ut supra *n.* 22, et pro omnibus in eccl. Ordinis non Monialium (3) *n.* 30. — *Bened. et absol. gen.* Supra *n.* 19.

Feria IV Cinerum. Indulg. pl. ut supra *n.* 24. — *Bened. et absol. gen.* Supra *n.* 19.

Coena Domini. Bened. et absol. gen. Supra *n.* 19. — (*Indulg. plen.* ob Stationes).

Resurrectio Domini. 7 *an.* 7 *q.* visit. eccl. ut supra (1) et preces. *n.* 7 (*Indulg. plen.* ob Stationes).

Ascensio Domini (*Indulg. plen.* ob Stationes.)

Maius.

Festum SS. Trinitatis. Indulg. plen. ut supra (1) *n.* 3. — et pro omnibus *n.* 31. — item pro Triduo vel Novena. supra *n.* 6. — *Bened. et absol. gen.* supra *n.* 19.

Julii 5. (S. Michael de Sanctis). *Indulg. pl.* a primis vesp. etc. pro omnibus fidelibus. Conf. comm. visit. eccl. Ordinis non Monialium (3). *n.* 33.

Aug. 15. Assumptio B. M. V. 7 *an.* 7 *q.* visit. eccl. etc. ut supra (1) *n.* 7.

Sept. 8. Nativitas B. M. V. *Indulg. plen.* conf. comm. visit. eccl. etc. ut supra (1) *n.* 16.

„ 28. *Indulg. plen.* Conf. comm. visit. eccl. Ordinis (non vero Monialium (3) pro omnibus fidelibus. Clem. XIII. 1 Sept. 1767. *n.* 32.

Oct. Secunda Dominica. *Indulg. plen.* ut supra (1). *n.* 24.

„ 23. SS. Redemptoris vel quo die de licentia Ordinarii celebratur omnibus fidelibus *indulg. plen.* a primis vesp. etc. Conf. comm. visit. eccl. Ordinis non Monialium. (3). *n.* 33.

Nov. 20. S. Felix Valesius. *Indulg. plen.* ut supra (1). *n.* 23. — *Bened. et absol. gen.* supra *n.* 19.

„ 25. S. Catharinae V. et M. *Indulg. plen.* ut supra (1). n. 24.

Dec. 25. Nativitas D. N. 7 *an.* 7 *q.* visit. eccl. etc. ut supra (1). *n.* 7. et (ob Stationes *indulg. plen.* in Missa tertia) (4).

---

(3) In ecclesiis Monialium indulg. acquiritur dumtaxat a Monialibus et ibi commorantibus. *n.* 32.

(4) Per idem est an facultas recipiendi fideles in confraternitatem SS. Trinitatis obtenta sit a Patribus calceatis vel discalceatis, et indulgentiae utriusque summarii communicantur. S. C. 27 Apr. 1887. *Acta XIX p.* 539.

IV. RITUS BENEDICENDI ETC.

Vide *Formulare* sub n. X.

§ 6. Scapulare rubrum seu pretiosissimi sanguinis Christi.

I. Origo, leges, finis.

1. Scapulare hoc porrigitur in signum commemorativum passionis Domini et adscriptionis confraternitati pretiosissimi sanguinis Christi. Huic confraternitati initium dedit pius sacerdos Franciscus Albertini, qui dolens vastationes, quas initio hujus saeculi XIX perturbatio Gallica ubique efficiebat, piam unionem instituit, cujus sodales devoto cultu passionis Domini et frequenti oblatione sanguinis Christi Deo Patri facta obtinere conarentur expiationem propriarum culparum, exaltationem S. Matris Ecclesiae, peccatorum conversionem et solamen animabus in purgatorio degentibus. Hanc unionem Pius VII anno 1814 in archiconfraternitatem erexit, quae sedem haberet Romae in ecclesia S. Nicolai in carcere. Eam et Pius VII et Pius IX pro devotione qua ferebantur erga pretiosissimum sanguinem locupletissime indulgentiarum thesauris cumularunt.

2. Fideles hoc ipso quod a nostris scapulari rubro benedicto investiuntur, adscripti censentur confraternitati praedictae et participes fiunt omnium indulgentiarum quae ei concessae sunt, idque absque nominis inscriptione (supra p. 26), quae lege ordinaria ad id requiritur, ut patet ex monitis de congregatione erigenda, apud Schneider *Rescr. auth. p.* 549 *et* 551.

3. Ad lucrandas indulgentias, a rite inscriptis nihil aliud requiritur, quam ut fideliter adimpleant opera, quae in ipsa concessione indicantur. Ut quis autem juxta spiritum hujus sodalitatis agat, necesse est ut magna devotione et fiducia pretiosum sanguinem frequenter honoret: recolendo v. gr. septem effusiones cruoris quas Christus subiit, nempe, 1°. in circumcisione; — 2°. in horto; — 3°. in flagellatione; — 4°. in coronatione; — 5°. in bajulatione crucis; — 6°. in crucifixione; — 7°. in lateris transfixione, precando ad singulas unum „*Gloria Patri*"; (indulg. 100 dierum infra II. n. 15) aut saepe repetendo brevem oblationem sequentem: „*Pater aeterne offero tibi sanguinem pretiosum*

Jesu Christi in satisfactionem meorum peccatorum et pro necessitatibus Sanctae Ecclesiae" (Indulg. 100 dierum toties quoties, Pius VII 22 Sept. 1817. *Raccolta p.* 129 (141), et *Schneid. p.* 144. Indulgentiae hae et sequentes omnibus fidelibus sunt concessae.

Habetur etiam corolla pretiosi sanguinis, in qua recitantur ad singulas ex sex prioribus effusionibus 5 *Pater* et unum *Gloria*, ad septimam vero 3 *Pater* cum uno *Gloria*. Indulg. 7 *an.* 7 *q.* semel in die: et si quotidie id fiat, insuper *indulg. plen.* semel in unoquoque mense. Pius VII 18 Oct. 1815. Raccolta addit piissimas preces, quae ex Rescripto Greg. XVI 5 Jul. 1843 omitti possunt, modo recolantur septem mysteria supra descripta. Imo qui nescit illa meditari lucratur indulg. recitando 33 *Pater*. *Raccolta p.* 125 (134). *Schneid. p.* 147.

4. Si quis vellet confraternitatem pretiosi sanguinis erigere, consulat *Rescripta Authentica p.* 549.

II. Summarium indulgentiarum, quas lucrari possunt adscripti piae sodalitati sub invocatione Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (1)

I. INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. Ipso *adscriptionis* die confessi, ac S. Comm. refecti, et juxta mentem summi Pontificis preces offerentes.

2. *Semel in mense* quocumque die ad arbitrium, Sacramentis ut supra susceptis et aliqua in ecclesia orantes, vel si impediti, aliud pium opus confessarii arbitrio exercentes.

3. *In articulo mortis*, Sacramentis susceptis, vel si impediti invocent contriti ore vel corde si ore nequeant, dulcissimum nomen Jesu. Item adscripti consequi poterunt benedictionem in articulo mortis cum indulgentia plenaria ab aggregatoribus ad id facultate munitis.

Aliae indulgentiae plenariae, pro quibus assequendis praeter confessionem et Communionem etiam aliqua ecclesia visitanda est, nisi confessarius ob quamcumque rationabilem causam aliud pium opus praecipiat:

a. Indulgentiae lucrandae diebus hic positis vel *semel infra octavam* ad arbitrium:

(1) P. Schneider. Rescr. auth. p. 549.

4. Prima Dominica Julii, in qua festum Pretiosi Sanguinis celebratur.

5. Diebus festis Nativitatis D. N. J. C., — Epiphaniae, — ac Paschatis Resurrectionis.

6. Itemque Conceptionis, — Purificationis, — Assumptionis SS. V. Mariae, — et sanctissimi Rosarii.

7. Tandem die SS. Apostolis Petro et Paulo sacro, — et in commem. OO. Fid. Defunctorum.

8. Ex decreto autem S. C. Indulg. 3 Julii 1878 eodem modo die 24 Maii, recurrente festo B. M. V. sub titulo *Auxilium Christianorum*, lucrari potest indulgentia plenaria.

b. Indulgentiae lucrandae *diebus sequentibus tantum:*

9. In festo Circumcisionis D. N. J. C.; — singulis feriis VI mensis Martii; — die 28 Martii festo recurrente sacri Sanguinis in ecclesia S. Mariae in Vado Ferrariae; — fer. V in Coena Domini; — die Inventionis SS. Crucis; — Ascensionis; — Pentecostes; — Corporis Christi; — Exaltationis SS. Crucis, et SS. Redemptoris die 23 Octobris.

10. In festo Annuntiationis; — septem Dolorum B. Mariae V. feria VI post Dominicam Passionis; — die B. Mariae V. de Carmelo (16 Julii); — Nativitatis; — septem Dolorum Dominica III Sept.; — ac Praesentationis ejusdem B. Mariae V. (21 Nov.).

11. In festivitate S. Joseph; — S. Joannis Baptistae; — Omnium Sanctorum; — S. Francisci Xaverii; — et S. Nicolai Bariensis.

Notandum, quod ad hujusmodi lucrandas indulgentias potest praemitti confessio et Communio die antecedenti, exceptis feriis VI Martii et feria V. in Coena Domini. (1) At ecclesia visitari nequit, nisi hora ad vesperas celebrandas (primas) pervenerit.

Qui semel in hebdomada, a Dominica ad Sabbatum nisi legitime impeditus fuerit, confitetur, nec conscientia lethalis culpae teneatur non indiget sacramentali confessione pro suprascriptis indulgentiis assequendis, sed sufficit Communio ac oratio in ecclesia, ut supra. (Vide p. 163 n. 8.)

---

(1) Vide supra p. 164, n. 8, d; et n. 9, c.

II. INDULGENTIAE PARTIALES.

12. 10 *an. et* 10 *q.* Conceduntur iis, qui corde contrito visitant ac preces effundunt, ut supra, omnibus festis Domini ac B. V. M. superius non expressis. (1); — *Item.* SS. Apostolorum; — Evangelistarum; - - SS. Angelorum Archangelorum; — necnon S. Joachim, — S. Annae, — S. Laurentii, — S. Stephani, — S. Philippi Nerii, — S. Francisci de Paula, — S. Francisci Assisiensis, — S. Caeciliae, — S. Agnetis, — S. Luciae, — S Catharinae V. M. — et Dominica infra octavam S. Gregorii Thaumaturgi.

13. 7 *an. et* 7 *q.* indulgentur quoties augustissimum Eucharistiae Sacramentum quacumque in ecclesia visitatur, vel imago SS. Crucifixi, sive Deiparae, et quoties quis interest Missis, processionibus aliisque sacris functionibus peragendis, ubi est erecta pia sodalitas pretiosi Sanguinis, se conterendo et orando, ut supra.

14. *Unius anni.* Quocumque modo aliquis suam praestat operam ad devotionem erga pretiosum Sanguinem propagandam, unius anni indulgentia consequitur.

15. Indulgentiam 100 *dierum* consequitur, quicumque et quoties fidei mysteria rudes doceat, — vel comitetur SS. Eucharistiae Sacramentum in supplicationibus; — vel dum uti viaticum infirmis defertur; — vel si impeditus, audiens sonum campanae recitet semel *Pater* et *Ave*; — si inimicos per se vel per alios reconciliet; — si pauperes hospitio excipiat; — vel aliquod defuncti cadaver ad sepulchrum associet; — vel 5 *Pater* et *Ave* recitet in expiationem animarum fratrum et sororum defunctorum; — vel converti fecerit peccatorem ab errore viae suae; — seu dicat 7 *Gloria Patri* in honorem pretiosi Sanguinis, — vel tandem quodcumque opus pietatis sive caritatis exerceat.

16. Adscripti ex Rescripto S. C. indulg. 30 Sept. 1852 participes fiunt omnium bonorum operum ac satisfactionum omnium congregationum atque ordinum regularium utriusque sexus.

17. Item participant bonis spiritualibus, et post mortem omnibus suffragiis, quae ab hujusmodi sodalitatibus pretiosi Sanguinis et ab

---

(1) Quae nimirum ab universa Ecclesia celebrantur, juxta declarationem S. C. Indulg. 18 Sept. 1802. *D* 392. Vide supra p. 218.

adscriptis promoventur, ac tandem omnibus salutaribus operibus Congregationis Missionis a pretioso Sanguine. (1)

III. INDULGENTIAE CONCESSAE OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS LICET NON ADSCRIPTIS PIAE SODALITATI.

1. Recitantibus corollam pretiosi Sanguinis. Vide supra p 331.

2. Pro prece *O Sangue etc.* posita ad finem corollae semel in die 300 *dierum* indulgentia concessa est. Pius VII 18 Oct. 1815. Vide *Raccolta p.* 125 (135). *Schneid. p.* 151.

3. *Centum* vero semel in die recitando omnes aspirationes *Viva, viva Gesu etc.* Pius VII 18 Oct. 1815. Vide *Raccolta p.* 126 (135.)

4. Lucratur 300 *dies* indulgentiae, qui corde contrito et mente recolendo J. C. Passionem recitat 5 *Pater* et *Ave* cum versiculo *Te ergo quaesumus etc.* ac *Requiem aeternam etc.* in suffragium fidelium defunctorum: imo et *plenariam*, si per mensem id quis peregerit, quando ultimo die mensis vel aliquo mensis sequentis SS. Sacramentis participat precaturque juxta mentem Summi Pontificis, ac pro aeterna defunctorum requie. Pius VII 7 Febr. 1817. Vide *Raccolta p.* 385 (413).

5. Quoties recitatur aspiratio: *Aeterne Pater.* Vide *Raccolta p.* 19 (20).

6. Recitantibus septem oblationes pretiosi Sanguinis Deo Patri: *Eterno Padre, vi offro etc.* elargita est indulgentia 300 *dierum* et *plenaria* confessis ac S. Comm. refectis, qui per mensem quotidie eas recitaverint, ultimo die mensis, vel alio sequentis orantes ut supra. Pius VII, 22 Sept. 1817. *Raccolta p.* 126 (137).

7. Quicumque devote adstiterit pio exercitio *mensis* in honorem divini Sanguinis aliqua in ecclesia vel oratorio publico, quilibet sit dies anni, quo incipit, lucratur quotidie 7 *an. et* 7 *q.* indulgentiae, et qui id per decem vices peregerit, *plenariam* si intra mensem vel uno ex septem diebus immediate sequentibus confessus et S. Comm. refectus visitaverit ac oraverit ut supra.

Similiter qui *private* piis precibus ac virtutum actibus divinum Sanguinem honoraverit, indulgentiam 300 *dierum* quotidie consequitur,

(1) Putarem ad hoc requiri ut nomina in albo alicujus confraternitatis scribantur juxta dicta superius p. 198.

et si per mensem id fecerit, lucratur *plenariam*, adimpletis supra positis conditionibus, vel ultimo die, vel aliquo ex septem sequentibus. Pius IX, 4 Jun. 1850. *Raccolta p.* 135 (145); *Schneid. p* 297.

8. Prima Dominica Julii, in qua festum pretiosi Sanguinis celebratur, et feria VI post IV Dominicam quadragesimae, incipiendo a primis vesperis, lucratur indulgentiam (plenariam) qui Sacramentis susceptis ecclesiam, ubi est erecta pia sodalitas pretiosi Sanguinis, visitaverit. Pius IX, 4 Jun. 1850. *Raccolta p.* 135 (146); *Schneid. p.* 298.

9. Animadvertendum est, omnes indulgentias hoc in Summario descriptas, esse perpetuas et applicari posse per modum suffragii animabus piacularibus flammis addictis.

10. Ultimo notandum, quod quocumque idiomate orationes et aspirationes supra positae recitentur, consequi possunt fideles relativas indulgentias.

S. C. Indulg. . . . praesens summarium uti authenticum recognovit, typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secret. S. ejusdem Congr. Indulg. die 4 *Julii* 1878.

A. Panici *Secr.*

IV. PRIVILEGIA CONFRATERNITATIS.

1. Sodalitas pretiosi sanguinis in altari nominatim declarato erigi debet, et ipso facto altare illud *privilegiatum* remanet quotidianum in perpetuum pro defunctis. Monita n. 3 *Rescr. auth. p.* 549.

2. Director piae sodalitatis canonice erectae ipso facto uti adscriptus habetur, eique inest etiam ordinaria facultas aliis sacerdotibus suam potestatem communicandi, qui suo nomine fungentes tali munere sunt vere adscripti et aggregatores, sed alios subdelegare nequeunt, qui autem a rectore delegatus fuerit, in notula separata novos fideles sua manu obsignet, eamque cito ad rectorem mittat, ut cum aliis servetur. Monita n. 5 et 7. *Rescr. auth. p.* 550 *et* 551.

3. Qui habet facultatem adscribendi, habet etiam facultatem benedicendi scapulare rubrum, vel cingulos sive vittas rubeas.

4. Sacerdotes, qui habent facultatem adscribendi, gaudent indulto personali altaris privilegiati *semel* in hebdomada. *Pagella n.* 13 et *Schneid. p.* 396 *n.* 6.

V. BENEDICTIO SCAPULARIS PRETIOS. SANGUINIS.

Vide *Formulare* sub n. XI.

Etiam corollae pretiosi Sanguinis benedici possunt sed non gaudent aliis indulgentiis quam quae coronae papali adnexae sunt, quando hae a facultem habente benedicantur.

§ 7. De simultanea collatione scapularium.

1. Curet missionarius, ut serventur ea quae superius cap. XI § 1, pag. 192 dicta sunt de modo quo plura scapularia eisdem funiculis connecti possunt et debent ut sint valida.

2. Dicat ex qua potestate agat. Supra p. 26.

3. Decreta hanc simultaneam collationem spectantia retulimus supra p. 202.

4. Formula in usu apud PP. Redemptoristas adhiberi quidem potest valide sed non licite absque speciali licentia a S. Sede obtenta.

Nobis hujus formulae usus concessus est.

5. Si quis hanc benedictionem solemniter peragere vellet, sequi potest modum indicatum supra pro scapulari Carmelitano p. 213.

Formula benedictionis *simultaneae* habetur in *Formulari* sub n. XII.

§ 8. Alia scapularia.

1. Lazaristarum seu Congregationis Missionis, vel scapulare rubrum Passionis Domini, sacratissimi Cordis Jesu nec non et Cordis amantissimi et compatientis B. V. M. immaculatae. Non habet confraternitatem adnexam. S. C. 27 Apr. 1887 ad 5. *Acta* XIX *p.* 558.

Historia. *P. Schneider p.* 397.

Indulgentiae. *Rescr. auth. n.* 369 *p.* 285 et *Schneid die Ablässe p.* 399.

Ritus illud benedicendi. *Rituale Rom. Append. p.* CLI et *Schneid. p.* 711.

2. Passionistarum, seu scapulare nigrum SS. Crucis et Passioni D. N. J. C.

Brevis notitia. *Rescr. auth. p.* 571.

Indulgentiae. *Ibid.*

Ritus illud benedicendi. *Rituale Rom. Append. p.* CXLVII.

3. Scapulare B. M. V. de Mercede.

Indulgentiae. *Rescr. auth. p.* 483.

Ritus illud benedicendi. *Rituale Rom. Append. p.* CLXVII.

4. Scapulare B. V. M. sub titulo *Salus infirmorum* proprium Ordini Clericorum reg. infirmis ministrantium instituto a S. Camillo de Lellis.

Indulgentiae et privilegia. *Resc. aut. p.* 630.

Ritus illud benedicendi. *Rituale Rom. Append. p.* CLXXII.

5. Scapulare SS. Cordis Jesu.

Non est scapulare proprie dictum, sed solummodo signum. Conficitur ex uno pannulo ex lana alba cui imponitur vel infigitur imago Cordis Jesu rubri coloris cum inscriptione: *Cessa*, *Cor Jesu nobiscum est*, quae verba tamen possunt abesse. Gestatur solummodo in pectore nec opus est ut benedicatur aut imponatur. Pius IX 28 Oct. 1872 concessit gestantibus illud indulg. 100 *dierum* semel in die lucrandam modo aliquam piam precem recitent v. gr. *Pater*, *Ave*, *Gloria*. Exhibitum est rescriptum S. C. indulg. 18 Dec. 1872 et rescriptum 22 Mart. 1873 reddit illam indulg. applicabilem defunctis. *Schneid. p.* 296; et *Acta VII p.* 156.

6. Scapulare SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae proprium Presbyterorum Congr. Filiorum Mariae immaculatae. Vide *Acta IX p.* 485 ubi breve approbationis 3 Mart. 1876 et indulgentiae.

—

CAPUT XII.

Caerimoniae missionis parvulorum. (1)

§ 1. Renovatio solemnitatis primae Communionis.

1. Solet haec solemnitas parentum et adultorum animos vehementer commovere. Curandum imprimis, ut omnia perfectissimo ordine peragantur. Sedilia cuique assignentur, via indicetur qua a paranymphis aut a ministrantibus Missae ad sacram mensam ducentur et ab ea reducentur. In his omnibus pridie exerceantur, ut fieri solet cum iis qui ad primam Communionem praeparantur.

(1) Confer supra pag. 148.

2. Communio haec fiat, si videbitur, sub Missa solemni celebrata in altari ornato. Si loci dispositio nec leges civiles obstent, pueri sub campanarum sonitu et cantu psalmi *Laudate pueri* modo processionali a scholarum aedibus vel alio ex loco ad ecclesiam duci possent, adhibitis parvis vexillis aliisque ornamentis Supra p. 148 n. 5.

3. Post Evangelium fiat instructio brevis et fervida de sacra Communione et incitentur, ut orent pro parentibus et pro felici successu missionis.

4. Ante et post Communionem fiant a celebrante actus fidei etc. et sacro absoluto cantetur *Te Deum* vel *Magnificat* aut quid simile, ut debitum tempus detur gratiarum actioni. Et in fine recitentur 5 *Pater* et *Ave* ad lucrandam indulgentiam missionis. Tandem indicetur hora qua post meridiem peragetur solemnitas renovationis promissionum baptismalium etc.

5. Sub egressu cantari potest Psalmus *Laudate Dominum omnes gentes*; vel *Lauda Jerusalem Dominum* etc.

6. Post meridiem congregantur iterum omnes pueri qui fuerunt exculti juxta dicta superius, p. 148, qui mane ad Communionem accesserunt, ut renovent promissiones baptismales, et reliqui ut una cum hisce consecrentur B. Mariae Virgini et benedicantur. Etiam ad hanc solemnitatem debent praeparari, doceanturque quid ad quaestiones quae fient debeant respondere.

§ 2. Renovatio promissionum baptismalium.

1. Etiam hac occasione possent adduci processionaliter ad ecclesiam ut supra n. 2 dictum est.

2. Praemisso aliquo cantu, fiat instructio de mediis perseverandi et praesertim de officiis puerorum erga Deum, erga Ecclesiam et erga parentes. Quod si plures parentes adessent indirecte etiam attinget officia parentum erga pueros suos. In fine vero ita sermonem disponat ut explicet quid jam sit acturus et quis sit sensus interrogationum, quas proponet.

Vide *Formulare* sub n. XIII.

§ 3. Dedicatio puerorum B. M. Virgini.

3. Post haec praeparentur ut se cultui B. V. consecrent; dicat de utilitate devotionis erga B. V. M.; efficacitatem hujus devotionis exemplis illustret.

4. Adducatur unus ex singulis turmis ante thronum B. V., qui nomine ceterorum actum consecrationis recitet. Potest etiam formula a missionario praelegi et ab omnibus repeti.

Vide *Formulare* sub n. XIV.

§ 4. Benedictio puerorum.

5. Tandem solemniter benedicantur pueri.

Vide *Formulare* sub n. XV.

6. Publicentur indulgentiae missionis, et pro iis qui nondum frequentant S. Communionem addatur commutatio. Vide p. 75.

Item indulgentiae pro precibus perseverantiae; et recitatis 5 *Pater* et *Ave* dimittantur sub aliquo cantu. V. gr. *Laudate Dominum omnes gentes.*

—

CAPUT XIII.

Benedictio et erectio crucis missionis.

§ 1. Praenotanda.

1. Finis hujus caerimoniae est, ut populus excitetur ad fiduciam in misericordiam divinam et habeat perenne missionis ejusque gratiarum monumentum. Propterea crux illa gerit insignia pontificia thiaram et claves et si placet nomen Pontificis regnantis, ad designandam plenitudinem absolvendi potestatis et in pede crucis *diem* atque *annum* quo crucis erectio locum habuit. Ad majorem excitandam devotionem, convenit ut ei affixa sit imago Salvatoris.

2. Benedicitur et erigitur non in initio missionis, quia tunc potius curiositas quam compunctio excitaretur; nec in fine exercitiorum, tunc enim non omnis obtineretur effectus; sed die, quo fit instructio seu meditatio praeparatoria ad confessiones. Ita *Instr. Belg. n.* 8. Sed nihil impedit, quominus haec solemnitas versus finem missionis peragatur

vel si jam peracta est, ut crux cum pompa ad locum deferatur, ubi deinceps sit permansura, qui locus talis sit, ut accessus ad eam sit facilis.

3. Sub missione maneat crux illa exposita in ecclesia et quidem ita ut facile ab omnibus conspici possit.

4. Seligatur ad hanc solemnitatem dies et hora, quibus quam plurimi adesse possint. Annuntietur indulgentia plenaria et partialis. Supra p. 79. II. et p. 76 n. 2.

5. Eo quod aliquis indulgentias adnectere possit crucibus, non habet potestatem eas benedicendi. Benedictio Crucium majorum quae publice eriguntur reservatur Epicopis, quae intra claustra Superiori. *Schneid. p.* 310. Nobis autem facultatem benedicendi cruces missionis dedit Pius IX. Supra p. 26 n. 5.

§ 2. Ritus benedicendi crucem.

6. Ante solemnitatem prosternitur crux in gradibus altaris majoris, ita tamen ut sacerdoti sub vesperis vel laudibus non sit impedimento. Potest etiam parari in sacristia et suo tempore processionaliter a clero afferri. Si vero crux majoris ponderis esset quam ut facile a clero erigi possit, ponatur erecta in presbyterio vel in loco ubi a populo facile conspici possit.

7. Cantentur Vesperae vel laudes vel etiam solus psalmus *Miserere* et totus clerus sit ad altare in superpelliceo.

8. Post haec missionarius e loco ubi crux est posita, vel e suggestu brevem et fervidum facit sermonem de efficacitate crucis, cui Christus voluit affigi „*delens quod adversus nos erat chirographum decreti etc.*" *Col.* II: 13—15; quae etiamnum pro nobis misericordiam apprecatur, idque profecto multo efficacius quam serpens ille aeneus, quem Moyses Dei jussu in deserto posuit pro signo, *quem cum percussi* (a serpente) *inspicerent, sanabantur. Num.* XXI: 9. Confer et *Joan.* III: 14—21.

Explicabit etiam insignia, claves regni coelorum, amplissimam potestatem qua Summus Pontifex et Episcopus missionarios omnesque confessarios intruxit ad remittenda omnia peccata, ad aperiendum thesauros Ecclesiae etc.; quae si debita unctione promantur, animos solent vehementer commovere et ad bonam confessionem exitare.

9. Finita allocutione cantatur *Vexilla Regis.* Interim (nisi id jam

antea factum sit), ad nutum concionatoris affertur vel erigitur crux. Pergatur in hymno usque ad stropham *O Crux ave* exclusive.

9. Ad stropham *O crux* interrumpitur cantus et missionarius crucem benedicit.

Vide *Formulare* sub n. XVI.

10. Post crucis erectionem incitentur ad faciendam bonam confessionem, exponantur qualitates bonae confessionis etc. horror injiciatur a confessione sacrilega etc.

Si vero crux erigitur ad perpetuandam memoriam missionis, decet ut crux ipsa vel feretrum, si adhibetur, floribus etc ornetur et processionaliter ad suum locum deferatur. Sub hac processione variae possunt fieri stationes ad quas verba fiant ad varia genera auditorum; ad parentes, filios, etc. — quibus doceantur quae ipsis haec crux in memoriam vocare debet.

§ 3. In missionis renovatione.

11. In missionis renovatione non est omittenda haec solemnitas. Plures forsan in praecedente missione ei non interfuerunt, vel eam minus bene intellexerunt; ceterum retinet semper suam efficacitatem.

12. Assumatur eadem crux, (nisi Parochus ei novam substituere vellet,) sed ei affigatur secunda inscriptio indicans diem et annum praesentis missionis.

13. Ritus illam erigendi erit idem qui supra est descriptus, omissa tamen, si libet, benedictione.

14. In exhortatione renovetur memoria praecedentis missionis et gratuletur illis qui in bonis propositis perseverarunt et suae fidelitatis praemium jam sunt assecuti; alii excitentur ut se in bono confirment etc. Deflendos dicet qui in bonis propositis non perstiterunt et eos animet ut hac nova gratia tandem bene utantur, ne crux illa pro ipsis in futuro judicio sit ad majorem confusionem et condemnationem sed sit signum majoris gaudii quod nunc saltem ad meliorem frugem redierint.

—

CAPUT XIV.

Actus reparationis.

1. Apposite haec solemnitas peragetur ad concludenda exercitia primae hebdomadae; quamvis etiam inservire posset ad confirmandos animos in bonis propositis, sed tunc formula aliquantisper est mutanda.

2. Finis est, offerre Deo aliquam reparationem pro peccatis et scandalis in genere et in specie pro irreverentiis in ecclesiis, pro injuriis Sacramento amoris illatis etc.

3. Fit sermo praeparatorius de necessitate satisfaciendi justitiae Dei. Prima satisfactio est suimet accusatio et humilis veniae petitio etc.

4. In fine hujus concionis cantetur *Miserere* — vel *Parce, Domine*, — qui versiculus etiam intercalari potest in psalmo *De profundis* cantato in sexto tono.

5. Interea clerus superpelliceo indutus ferens candelas accensas in manu venit coram altari ornato et exponitur Sanctissimum in ostensorio si licet (vide supra p. 101.)

6. Cantu absoluto, alloquitur concionator divinum Salvatorem, piissimum Samaritanum, bonum pastorem etc., — exponit finem hujus caerimoniae, agit gratias de sua misericordia quod non fecerit nobis secundum iniquitates nostras. Iniquitates illae enumerantur, ostenditur earum gravitas, foeditas praesertim ex amore quo dilexit nos Deus Pater, Filius, et Spiritus S., ex beneficiis quibus nos cumulavit. Imploratur misericordia et venia pro variis peccatorum classibus pro iis qui jam conversi sunt, pro iis qui manent indifferentes, obstinati.

7. Exemplar hujusmodi actus habetur in *Formulari* sub n. XVII. Sed satius erit ut missionarius eum juxta circumstantias locales componat et ex tempore proferat.

8. Si vero cum hac caerimonia conjungatur reconciliatio inimicorum, transitum faciet missionarius in memoriam revocando, quod reconciliatio cum Deo fieri nequit absque reconciliatione cum proximo, ut ipse Salvator pluries monet. „*Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*" Matth. VI: 15, etc. Facta hac reconciliatione datur ad jussum concionatoris benedictio cum SS. Sacramento. — In exitu, *Laudate Dominum.*

9. Licet actum reparationis vel consecrationis lingua vernacula facere exposito Sanctissimo. *Revue d. Scienc. Eccl.* 1881 *p.* 562.

—

CAPUT XV.

Inimicorum reconciliatio.

1. Missionarii sint persuasi, se parum vel nihil stabile perficere, si non quae existant odia et inimicitias extinguant, jurgiis et dissidiis finem imponant. Unde missionarii antiqui id semper in summo pretio habuerunt. Vide *Nampon*, *Ch. III Art. II* § 2.

2. Hoc opus exigit summam charitatem, prudentiam et dexteritatem.

3. Antiqui missionarii varias ad id praestandum iniere vias. S. Alphonsus hoc munus uni ex missionariis volebat demandatum, qui tamen viro in juribus perito adjutore uteretur. P. Brydaine aliquod tribunal constituebat, ad quod omnes causae deferendae erant. *Nampon. ibid.*

4. Videat Praeses, num expediat, ut ad hoc efficiendum aliqua solemnitas instituenda sit, in qua fideles publice protestantur, se sibi invicem omnia — ex toto corde — in perpetuum condonare, postquam missionarius illos ad hoc praeparavit, ostendendo necessitatem, utilitatem et meritum hujus condonationis.

5. Quidquid fiat, missionarii omni conatu in concionibus, in confessionibus et ubi opus fuerit colloquiis privatis ad hoc allaborabunt.

—

CAPUT XVI.

Communio generalis adultorum.

1. Est magnae aedificationi si congrua cum solemnitate fiat.

2. Ritum vide supra cap. XII § I p. 237.

3. Ut devotio excitetur praefigatur aliquis finis particularis, v. gr. ad lucrandam indulgentiam missionis etc. in refrigerium defunctorum .... ad obtinendum aliquem favorem coelestem etc.

4. In fine recitentur in communi 5 *Pater* et *Ave* ad intentionem

Summi Pontificis ad lucrandam indulg. plenariam, prius dicta oratione sequenti.

Zie mij hier, vide *Formulare* sub n. XXXII.

—

CAPUT XVII.

Exercitium viae crucis.

§ 1. Praestantia et utilitas ejus.

1. Exercitium viae crucis praebet opportunam occasionem percurrendi passionem Domini, quae ad convertendos atque confirmandos animos tantam vim habet et efficaciam.

2. Hac occasione explicabit missionarius hujus devotionis originem. Quum loca sancta minus commode possint visitari, Summi Pontifices approbarunt ut illa stationibus repraesentarentur, ac fidelibus eas devote percurrentibus easdem indulgentias concesserunt ac si in ipsa Terra Sancta idem peragerent.

Eam igitur summopere fidelibus commendabit utpote quae insuper maxime conducat ad perseverantiam; nihil enim aptius ad deprimendum vincendumque respectum humanum etc.... Audiatur Ben. XIV in Const. 30 Aug. 1741: „Cum tanta sit passionis, crucis et mortis Domini N. J. C. vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum conscientiae vulnera, quibus infirmitas humana quotidie per peccatum sauciatur, nec non ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam quam passionis, crucis, mortis, atque vulnerum ejusdem Redemptoris nostri sedula meditatio; ut christifideles in hac nobis totius causa beatitudinis occupati quotidie sese alacrius exercerent, nec Catholicae Ecclesiae Patres, nec Romani Pontifices Praedecessores Nostri unquam destiterunt, quin assiduis monitis exhortationibusque et profusis coelestium thesaurorum elargitionibus persuaderent, allicerent, ac locupletarent". *L. Ferr. Bibl. V.* Indulg. *Art. V n.* 60.

3. De indulgentiis declarat Ben. XIII in Const. *Inter plurima* V Non. Mart. 1726: Fideles exercitium viae crucis peragentes .... frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti

fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent: atque ita ab omnibus asseri, et censeri debere volumus. *Ferr. Ibid. n.* 59.

4. Monet tamen Instructio Clem. XII, data 3 Apr. 1731, confirmata a Ben. XIV 10 Maii 1742: Non publicetur ex pulpitis, aut alia forma, multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum, quia pluries innotuit indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut acquivocatione sive ex devotionis impetu alterari ac confundi; ac propterea sat erit dicere, quemcumque Dominicae Passioni meditandae hoc sancto exercitio daturum operam ex concessione Summorum Pontificum consequuturum easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes viae crucis in Jerusalem. Monit. 9^m. *Schneid. Decr. Auth. n.* 100.

Aliqui contenderunt concessas esse omnes indulgentias quae omnibus locis totius terrae sanctae affixae sunt, sed S. C. rescripsit „standum esse declarationi Clementis XII, 3 Apr. 1731 superius citatae." 26 Mart. 1881. *Schneid. p.* 266. Ergo lucrantur solummodo indulgentiae 14 stationibus Urbis Jerosolumae adnexae.

Has reperire est apud „Analecta Juris Pont. 1855 Série I p. 612 et Luc. Ferr. v. *Indulg.* Art. V n. 8. Documenta tamen authentica perierunt, quare eas publicare prohibitum est. *Amort de Indulg. p.* 217. Ex monumentis privatis vero constat plures indulgentias plenarias et partiales concessas esse.

5. Indulgentiae sunt applicabiles fidelibus defunctis. Ben. XIII. *Inter plurima*, V Non. Mart. 1726 § V. *Ferr. Ibid. n.* 59.

6. Notanda tamen declaratio S. C.: „Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio viae crucis concessas eodem die toties lucrari, quoties praefatum pium exercitium iteratur". 10 Sept. 1883. *Schneid. Resc. Auth. n.* 443. *p.* 679. et *Ablässe p.* 744, ubi, quod probaliter tamen pluries in die indulg. partiales acquiri possint, quod confirmatur. Instr. p. 67.

7. Obtineri tamen possunt aeque diei ac noctis tempore. 1 Mart. 1819. *D.* 245.

8. „Si stationes erectae sunt in ecclesiis, publicis oratoriis, coemeteriis aliisve locis publicis, indulgentias lucrari possunt omnes fideles; si

vero in locis non publicis, tunc a solis personis quae designantur in rescripto et quidem juxta stylum usitatum, si hujusmodi loca sint monasteria, conservatoria vel alia loca itidem pia, ab omnibus habitantibus, vel eo scholae aut religionis causa adventantibus; si autem agatur de oratoriis domesticis ac cellis domorum privatarum, lucrifieri possunt indulgentiae ob oratoribus eorumque consanguineis et affinibus ac familiaribus cohabitantibus tantum." Instr. p. 68.

§ 2. Exercitium publicum viae crucis.

1. Modus hoc exercitium peragendi describitur in monitis Clem. XII sub n 5. „Hoc exercitium ubique sit uniforme, nil prorsus immutando quod hactenus servatum fuit in conventibus Ordinis: i. e. Via crucis peragatur vel *processionaliter* ab universo populo sub ductu unius vel plurium sacerdotum, vel *privatim* etc. Si primo modo, processio ita disponatur, ut viri incedant separati a feminis, i. e. illi praecedant, hae vero sequantur, uno aut pluribus sacerdotibus inter eos incedentibus, et ad singulas stationes aliquis clericus vel sacerdos alta voce legat considerationem mysterio seu stationi correspondentem, et recitato *Pater* cum *Ave*, et actu contritionis elicito ulterius procedatur, inter unam aliamque stationem interposito cantu *Stabat Mater* vel alterius orationis." *D.* 100.

2. Solet anteferri crux specialis, ornata lancea et reliquis instrumentis passionis.

3. Si ob augustiam loci motus ab una statione ad aliam non ab omnibus fieri potest, concessum est ut „observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione, ibique recitans particulares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus." S. C. 23 Jul. S. S. 6 Aug. 1757. *D.* 210.

4. In hac methodo essentiale est, 1°. ut sacerdos cum duobus clericis vel cantoribus (vel acolythis) stationes percurrat. Indulgentiae non acquiruntur quando sacerdos non circuit sed in pulpito genuflexus preces praelegit; ita S. C. 8 Maii 1873. *Nouv. Rev. Théol. T. XV, p.* 115 et *Communic.* 1884 *Dioec. Buscod. p.* 54.

Modo tamen sacerdos cum duobus .... circumeat, potest alius sacerdos recitare preces in suggestu. Rescr. S. C. de Prop. Fide 1 Mart. 1884. *Congr. Past. Dioec. Buscod.* 1844. § *VII.*

2°. Requiritur, insuper, ut populus aliquem motum faciat v. g. si genuflexus est, surgat et se vertat versus stationem coram qua stat sacerdos; si vero stet, genuflectat etc. S. C. 10 Mart. 1868. *Schneid. Rescr. auth. n.* 407 in fine et *Ablässe*, *p.* 267. Haec servanda, nisi indultum speciale obtentum sit quod dispensat a motu faciendo ut videre est in Decreto 10 Mart. 1868 mox citato, ubi S. C. tamen addit: id fieri „de speciali gratia in exemplum non afferenda."

5. *Ritus in missionibus erit sequens:*

1°. Missionarius, qui faciet considerationes ad singulas stationes, se teneat in suggestu, ut facile ab omnibus audiatur. Preces solitas vel ipse faciat, vel sacerdoti circumeunti relinquat. Contineat illa meditatio brevem considerationem affectu plenam mysterii propositi contritionis actum et propositum seu conclusionem practicam.

Vide *Formulare* sub n. XVIII, ubi quatuordecim illa mysteria describuntur, addita brevi consideratione, quam evolvere missionarius vel cui aliam considerationem substituere potest.

2°. Alius sacerdos superpelliceo indutus, comitante clero similiter vestito, aut saltem a duobus clericis etc. associatus percurrat singulas stationes, praeeunte crucifero cum duabus candelis accensis.

3°. Antequam inchoetur exercitium, moneat populum requiri ad indulgentias lucrandas: 1°. statum gratiae; propter quod actus contritionis recitatur; 2°. considerationem passionis; 3°. motum aliquem ad singulas stationes, ut supra n. 4 dictum est.

§ 3. Instructio ad populum de rite peragenda via crucis privatim.

Ut quis lucretur indulgentias requiritur:

1. Ut sit in *statu gratiae.* Si est in statu peccati, eliceat actum contritionis perfectae cum proposito quantocius confitendi. *Breve metodo etc. Venezia* 1881.

Licet multae indulgentiae plenariae concessae sint, confessio nec communio praescripta sunt. *Schneid. p.* 270 *n.* 3.

2. „Secluso impedimento omnes stationes singulatim sunt *visitandae;*

quare ab ea peragenda fideles abstineant tempore divinorum officiorum etc." Monit. 7m *D.* 100.

Absque corporis motu de loco ad locum indulgentiae non acquiruntur nisi adsit speciale indultum. 26 Febr. 1841. *D.* 287. „Transeundum est ab una statione ad aliam in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant aut augustia loci. 30 Sept. 1837. *Ibid.; Raccolta, p.* 90 (94); *Schneid. p.* 267.

Omnes visitandae sunt. Visitando unam alteramve stationem indulg. non acquiruntur. 3 Aug. 1842 ad 5. *Prinz. D.* 535; *Schneid. p.* 267.

Uno tractu i. e. sine morali interruptione visitandae sunt. Nec judicavit S. C. expedire ut huic legi derogaretur. S. C. 14 Dec. 1857. S. S. 22 Jan. 1858. *D.* 385. Attamen qui „exercitium ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad confessionem faciendam etc. indulgentias lucrantur si illud prosequuntur." 16 Dec. 1760 ad 4. *D.* 223. Nam in hoc casu non divergitur ad actus extraneos, in quo tantum casu dicitur actio discontinuata. (1)

3. Requiritur et sufficit *meditari*, quantumvis breviter, *passionem Domini*, quod est opus injunctum. Monit. 6m *D.* 100.

Sufficit vero meditatio de passione *in genere*, i. e. non requitur ut meditatio fiat de mysterio proposito in specie. — S. C. 16 Febr. 1839 ad 1 *Prinz. D.* 487 contrarium videtur innuere, id tamen sumendum est in sensu, quod consulit hoc facere, non praecise quasi id pertineret ad necessario requisita. *Schneid. p.* 269. Praeterea Decretum illud deest in nova editione P. Schneider.

Non opus est, ut quis ad hanc meditationem faciendam utatur libro aut precibus ad id compositis, 16 Febr. 1839 ad 3. *Prinz. D.* 487.

Nec ℣. *Adoramus te Christe; Pater, Ave* ℣. *Miserere nostri* etc. sunt de essentia, sed piae consuetudinis. *Ibid. Schneid. p.* 269 *et* 270.

Nec 6 *Pater* et *Ave* post quatuordecim stationes necessario sunt recitandae, 20 Jun. 1836 ad 2. *D.* 257. „Est laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas

(1) Interruptio concessa a Leone XIII pro via crucis prope urbem Romans quae requirit tres horas, est casus particularis. 18 Sept. 1880. *Acta XIII p.* 320.

viae crucis indulgentias" etc. 2 Jun. 1838. *D.* 259. Requiruntur autem quando privatim domi ope crucifixi via crucis peragitur ut § seq. dicetur.

„Nihil obstat, quominus cum S. Leonardo dicatur, personas simplices, quae nesciunt meditari vel contemplari distincte singula stationum mysteria, lucrari indulgentias, modo sciant cruces vel imagines, quas visitant, repraesentare loca illa sanctissima, ubi Filius Dei ex amore nostri gravissima sustinuit tormenta, et elaborent, ut hac cogitatione in se excitent compassionis affectum erga patientem Redemptorem." *Instr. p.* 62.

§ 4. Instructio pro iis qui domi viam crucis peragunt.

Si quis facultate caret benedicendi cruces ad hoc necessarias, satius erit hanc rem non attingere.

Facultas ope alicujus crucifixi ad hoc benedicti domi indulgentias viae crucis lucrandi, concessa est a Clem. XIV 26 Jan. 1773. *D.* 387; facultatem benedicendi hujusmodi crucifixos dat solus Magister Gen. Ord. S. Francisci. *Instr. p.* 73. Benedictio cadit in imaginem Christi. Ibid. p. 74 et supra p. 176.

Ad lucrandas domi indulgentias viae crucis requiritur:

1. Ut quis habeat *crucifixum*, (crucem cum imagine Salvatoris) in hunc finem specialiter benedictum.

Crux potest esse lignea sed imago Christi debet esse ex materia non facile fragili quod in concessione indicatur per verbum *di ottone* S. C. 8 Aug. S.S. 16 Sept. *D.* 387. Vide supra p. 176 n. 3 et p. 180 n. 10.

Crucifixi ejusmodi non possunt vendi etc. *Supra p.* 178.

Signum crucis sufficit ad hanc benedictionem. *Schneid. p.* 287.

2. Requiritur ut quis legitime sit *impeditus*, quominus adeat viam crucis publicam seu in ecclesia etc. existentem.

Clem. XIV hanc gratiam concedit iis, qui sunt „infirmi, navigantes, carceribus detenti, et qui morantur in partibus infidelium, aut legitime impediuntur.". . . . *D.* 387.

Raccolta: o pure che sieno nella vera impossibilità. *p.* 91 (97)

P. Schneider ob legitimum impedimentum; ita in rescriptis recentioribus (vide Reser. auth. n. 352). Ergo itinerantes, ruri commorantes

in loco relative longe distante, vel qui alia de causa difficile ecclesiam adire possent. *Die Ablässe p.* 284.

Auctor vero instructionis dicit: sufficere putamus incommodum *mediocriter* grave, seu motivum vere rationabile quacumque ex causa. *Instr. p.* 77.

3. Ut crucifixum *manu teneant.* Clem. XIV ut supra „et juxta formam rescriptorum S. C. Indulg. corde saltem contrito ac devote 20 *Pater*, *Ave* et *Gloria*, unum nempe pro qualibet statione, quinque in sanctorum D. N. J. C. vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Sanctitatis Suae recitare debeant." S. S. 8 Aug. S. C. 16 Sept. 1859. *D.* 387. In concessione Clem. XIV habetur: „recitando 14 *Pater* et *Ave* et in fine 5 *Pater* et *Ave*"; sed Pius IX voluit ut servaretur consuetudo supra descripta.

In concessione, quam dat P. Gener. Franciscanorum benedicendi has cruces, habetur sequens *commutatio* facienda: „iis vero, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis 20 *Pater*, *Ave* et *Gloria* impares sint, ex benigna concessione nobis facta a S. P. Pio IX, per litteras in forma brevis sub die 18 Dec. anni 1877, indulgemus, ut eorum loco semel recitent *actum contritionis*, vel invocationem: „*Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*" *Schneid. p.* 285, et *Rescr. auth. n.* 447 *p.* 632. *Nota.*

4. Viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria* sine interruptione morali sunt recitandi. *Schneid. p.* 288.

5. Olim indulgentiae illis crucifixis adnexae, erant stricte personales. 29 Maii 1841 ad 12. *D.* 291. Sed Leo XIII jam concessit: „ut christifideles qui legitimo impedimento prohibentur, quominus in ecclesia viam crucis peragant, una cum persona quae tenet crucifixum indulgentias viae crucis lucrari queant. 19 Jan. 1884. *Resc. auth. n.* 447 *p.* 682. Olim quisque suam crucem habere debebat, jam sufficit ut una persona talem crucifixum habeat et manu teneat, ut omnes impediti qui adsunt et exercitium peragunt indulgentias lucrentur.

Instructio aliqua (*Gand*, *van Schelle* 1836) consultum judicat, ut ad singulas stationes fiat, si fieri potest, aliquis motus et quidem ab oriente per septentrionem ad occidentem; item ut si possibile sit, fiat meditatio passionis Domini, ut *Pater* et *Ave* recitentur genibus flexis,

addaturque brevis actus contritionis. Citat Decretum S. C. 22 Aug. 1852. Sed deest in decretis authenticis, nec alibi quidquam hujusmodi praescribitur; quare haec de consilio sunt ad magis excitandam devotionem.

6. Potestas benedicendi hujusmodi crucifixos roganda est a Praep. Gen. in Ara coeli; olim gratis dabatur, hodiedum datur eleemosyna ½ fr. pro Terra sancta. *Schneid. p.* 287.

7. PP. Redemptoristae a S. Sede habent facultatem cruces sine imagine Salvatoris benedicendi, quibus indulgentias viae crucis lucrari possunt omnes qui legitime fuerint impediti quominis viam crucis visitent ut sunt infirmi, longe ab ecclesia distantes vel in locis commorantes ubi via crucis non habetur. Hi indulgentias lucrari possunt quin crucem manu teneant, et ipsorum arbitrio relinquitur vel 14 *Pater*, *Ave*, *Gloria* recitare, vel passionem Domini meditari. *Schneid. p.* 288.

—

CAPUT XVIII.

Erectio et conservatio viae crucis.

Si Nostri vocentur ad erigendam viam crucis, sese debita facultate muniant et exacte observent quae hic ex Decretis et Rescriptis authenticis referimus, ne opus irritum peragant. Christifideles enim non gaudent indulgentiis quando via crucis non debita forma fuit erecta.

§ 1. De facultate requisita.

1. Primo requiritur debita facultas, quae primarie est penes Ministrum Gen. Fratrum Minorum strictioris observantiae (Observantium nempe, Reformatorum, Recollectorum et Discalceatorum idque privative quoad alios Ordines etiam S. Francisci, qui illi Magistro non sunt subjecti. Monit. 1m *D.* 100. et 25 Apr. 1735. *D.* 108. (1) Confer *Rescr. auth.*

(1) Haec facultas jure ordinario non competit Cappucinis. Vide Resc. 13 Sept. 1737 ubi conceditur de consensu tamen FF. Minorum de Observantia *n.* 112; *D.* 137 d. 28 Nov. 1742 concessio generalis eis denegatur; *D.* 182 d. S. C. 9 Febr. S. S. 13 Febr. 1745. Eorum erectiones sanantur; *D* 229 8 Febr. 1762. Concessio restricta. P. Schneider p. 280 affirmat Superiores Cappucinorum jam posse eam erigere in propriis ecclesiis.

Patres Passionistae eam erigere possunt in capellis interioribus domorum suarum etiam monialium, 17 Maii 1783. *Rescr. auth. n.* 321.

n. 166, 187, et praesertim *n.* 448. *p.* 684. Quinam ex Patribus hanc facultatem exercere et delegare valeant dicitur in Instr. 1884 § II. n. 11—14.

2. Ea facultas obtinenda est per Secretariam Brevium vel Memorialium a S. Sede, aut a Mag. Gen. FF. Minorum. Saepe etiam Episcopis, Vicariis Apost., ac Missionum Praefectis a S. Sede vel a Magistro Gen. facultas facta est ad hanc potestatem suis subditis subdelegandam, quod tamen facere nequeunt Episcopi per Vicarium suum Generalem. 24 Maii 1883. *D.* 321. „Cum vero Episcopo data sit facultas ab Apost. Sede subdelegandi parochos indiscriminatim, idem Episcopus potest subdelegare parochum quemvis non modo in sua respectiva parochia, sed in qualibet ecclesia parochiali prout in Domino opportunum judicaverit. 23 Sept. 1839. *D.* 276.

3. Qui obtinuit facultatem, attendat ad limites et restrictiones in indulto appositas. Facultas quae a Ministro Generali datur, est sequentis tenoris.

„.... facultatem elargimur, qua (praevia Ordinarii licentia) sacras viae crucis stationes benedicere ac erigere valeat in 20 ecclesiis, aut publicis oratoriis, aut coemeteriis, aut aliis locis publicis, ubi R^mo^ Episcopo visum fuerit expedire ut erigantur, cum adnexis indulgentiis lucrandis ab omnibus quidem fidelibus eas devote visitantibus; *vel:* praeterea in oratoriis privatis, Apostolico tamen Brevi erectis, cum iisdem indulgentiis acquirendis a consanguineis et affinibus postulantium ac eorum familiaribus cohabitantibus tantum; *vel demum:* in conservatoriis et aliis locis piis, quamvis indulto celebrandi Missam non munitis, cum iisdem pariter indulgentiis lucrandis ab omnibus cohabitantibus vel eo scholae aut religionis causa adventantibus. Servatis omnibus de jure servandis, et relicto peractae erectionis testimonio propria erigentis manu subscripto. Volumus autem, ut haec facultas pro iis dumtaxat locis valeat ubi conventus nostri Seraphici Ordinis desunt, aut Fratres nostri eo commode vocari non possunt." *Schneid. p.* 279.

NB. *a.* „Nomine *ecclesiarum publicarum* in hujusmodi concessionibus intelligenda sunt etiam *oratoria* auctoritate Episcopi instituta et per viam publicam ingressum habentia (Decr. Auth. n. 365 ad 1.) Non

autem oratoria hospitalium, conservatoriorum, aliorumve locorum itidem piorum sed destinata dumtaxat ad usum illarum personarum, quae in dictis locis piis commorantur, ita ut aliis non pateant nisi forte raro ratione alicujus festivitatis extraordinariae." *Instructio p.* 29.

b. „Nomine vero *oratoriorum privatorum* non comprehenduntur nisi quae gaudent privilegio in eis celebrandi Missam." *Ibid.*

c. „In oratoriis vero non habentibus praefatum privilegium, destinatis sc. dumtaxat ad orandum, nec non in cellis domesticis nulla Ordini S. Francisci competit auctoritas erigendi viam crucis. Ut igitur pro iis locis stationes concedi valeant, requiritur indultum S. Sedis, quae tamen ordinarie remittit preces ad R. P. Ministrum Gen. Ord. cum facultatibus necessariis et opportunis." *Ibid. p.* 25.

4. *Consensus Episcopi* est de essentia.

a) Qui habet facultatem a S. Sede (aut a Magistro Gen.) erigendi viam crucis, debet eam exhibere Ordinario, etiamsi de hac re in concessione nulla mentio facta sit. S. C. 5 Febr. 1841 ad 2. *D.* 286. Et haec obligatio est distincta ab obligatione obtinendi licentiam Ordinarii loci etc. de qua infra sub litt. c. Regularibus autem sufficit testimonium sui Praelati mentionem facientis Rescripti quo concessa est delegatio. *Instr. p.* 31.

Attamen adverte sequentem declarationem a R. P. Procuratore Ord. S. Fr. Min. Observ. datam die 14 Mart. 1887 (*Arch. Prov.*) ad sequentem quaestionem „Q. VI. Si quis religiosus Ordinis exempti facultatem habet erigendi stationes, an hic indiget licentia Ordinarii, quando fit erectio viae crucis *a*) in domo aliqua suae religionis (Ordinis); *b*) in domo, oratorio, etc. quae non est suae religionis (Ordinis)." R. Ad sextum affirmative, si agatur de erectione in ecclesia publica; negative, si agatur de erectione in oratorio domus religiosae (sc. exemptae). Ad ultimum, negative. Si agatur de oratorio cum privilegio Missae, necessaria est delegatio Ministri Generalis Ord. S. Francisci; si vero agatur de oratorio in quo Missa celebrari nequit, necessaria est facultas S. Congregationis Brevium.

b) Consensus Episcopi obtinendus est *in scriptis* idque sub poena nullitatis. Ben. XIV „Cum tanta" 30 Aug. 1741. *Ferr. v. indulg. Art.* V n. 60. Idque etiam tunc quando facultas a S. Sede obtenta

est. „Circa erectionem stationum viae crucis, impetratis antea ab Apost. Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia et singula, quae talem erectionem respiciunt, *scripto* fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis concessio, quarum instrumentum in codicibus seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium (nempe: quod fuit erectum) saltem in codicibus paroeciae vel loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes, inseratur". 25 Sept. 1841. *D.* 294. (1)

c) „Consensus Ordinarii in scriptis requiritur sub poena nullitatis *in singulis casibus* pro unaquaque stationum erectione, nec sufficit, ut sit generice praestitus pro erigendis stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum, sine specifica designatione loci." S. C. 20 Jun. S. S. 21 Jun. 1879 ad 3. *D.* 445. Et in eadem audientia SS. D. *sanavit* praefatas erectiones cum generico consensu peractas. *Ibid.*

d) Licet facultas ipsa obtenta fuerit ab ipso Ordinario (oretenus), nihilominus is consensum in scriptis dare debet. 21 Oct. 1883. *Nouv. Rev. Théol.* 1884 *p.* 254. SS. D. etiam has erectiones sine consensu in scriptis factas sanavit. *Ibid.*

5. Quoad *consensum aliorum* S. C. „die 30 Jul. 1748 censuit praescribendum esse, quod in erigendis in posterum ejusmodi stationibus, tam sacerdotis erigentis deputatio ac superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii vel Antistitis et parochi, necnon superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi ejusmodi erectionem fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia ut praefertur, in *scriptis* et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae. S. S. 3 Aug. 1748. *D.* 175. Item 28 Aug. 1752 ad 2. *D.* 194.

„Erectiones vero factae in hospitalibus, ecclesiis, capellis ac domibus Congregationum Sororum, de jure haud exemptis a parochiali jurisdictione, sed de facto administratis independenter a parocho, per capellanum nominatum ab Episcopo, non sunt nullae licet sine consensu in scriptis parochi sint factae." S. C. 20 Jun. S. S. 21 Jun 1879 ad 1. *D.* 445.

---

(1) Prinz. D. 470 ad 2 d. 27 Jan. 1838 habet: oralem consensum stricto jure sufficere. At hoc decretum omissum est in nova editione, et non amplius sustinetur.

6. Quoad *loca* ubi erigi potest via crucis advertendum.

a) Via crucis erigi potest non solum in ecclesiis, oratoriis, capellis privatis aeque ac publicis, sed etiam extra ea, in coemeteriis, in agris, in cubiculis, in valetudinario, in ambulacris etc. (1) modo locus sit decens nec ad profanos usus adhibeatur v. gr. ad recreationes peragendas, aegrotos curandos etc. „Loca ubi via crucis est erecta nullo anni tempore ad alios usus converti possunt". Clem. XIII. 4 Aug. 1767. *D.* 236. Vide tamen supra p. 253, n. 3. NB. *c.*

b) Videat igitur subdelegatus in concessione obtenta quibus in locis viam crucis erigere potest. Cui vero data est facultas eam erigendi in ecclesiis publicis, potest etiam eam erigere in oratoriis auctoritate Episcopi institutis et per viam publicam ingressum habentibus. S. C. 5 Mart. S. S. 12 Mart. 1855 ad 1. *D.* 365. Ita enim respondit S. C. ad Q. „utrum his verbis: „*in publicis ecclesiis*," excludantur ecclesiae seu oratoria hospitiorum, seminariorum, communitatum, institutionum etc. quae ad usum tantum personarum intra septa illa degentium aedificata sunt, et publico usui exterorum nonnisi quandoque et per accidens inserviunt". Vide supra p. 252 n. 3, NB. *a*, *b* et *c*.

Qui vero habet facultatem limitatam ad ecclesias et oratoria publica vel privata non potest valide eam erigere extra ea, v. gr. in coemeteriis, in claustris etc. 14 Dec. 1857 ad 3. *D.* 382.

c) Olim via crucis non poterat erigi in locis ubi reperiebantur conventus FF. Minorum nisi in ecclesiis Ordini Seraphico subjectis. Ben. XIV 10 Maii 1742. *D.* 133. Quod decretum confirmatur et explicatur 14 Dec. 1857. *D.* 382. Sed Pius IX in audientia 14 Maii 1871 „benigne indulsit, ut stationes viae crucis cum adnexis indulgentiis etiam in locis, ubi conventus praefati Ordinis Minorum sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum existunt, quamvis in ejusdem Ordinis ecclesiis, sacris aediculis, piisque locis erectae reperiantur, nulla habita superius expressae limitationis ac distantiae ratione, servatis tamen aliis de jure servandis, erigi possint et valeant." *D.* 429.

d) Limitatur plerumque usus facultatis ad loca ubi FF. Minores non existunt, „per loca hic intelligendum civitas, oppidum, pagus cum

(1) In Dormitorio. *Rescr. auth. n.* 373; in domus contignatione. *ibid. n.* 387.

respectivis suburbiis, sive locis eis adjacentibus. Si in his ab alio quam a P. Franciscano erectio fiat, illa est irrita. 14 Dec. 1857 ad 1 et 4. *D.* 382.

c) In eodem loci ambitu plures viae crucis esse possunt. Schneid. p. 273 et *D.* 236. Imo (ait Monitum 4^m^ Clem. XII) „In eadem ecclesia aut pio loco ad majorem populi commoditatem utile erit duas vias crucis erigere, unam nempe pro viris, alteram vero pro feminis. Quum vero una extra ecclesiam erigitur, altera quoque erigatur semper in ecclesia ....".

§ 2. Servanda circa tabulas stationum.

1. „Stationes sint numero quatuordecim, et cruces vel capellae repraesentent mysteria passionis". Monit. 3. *D.* 100. Repraesentationes mysteriorum pictae etc. non sunt de essentia 13 Nov. 1837. *D.* 258; et 20 Sept. 1839 ad 1. *D.* 275; sed si adhibentur non debent alia mysteria exhibere quam quatuordecim consueta sc : I. Jesus damnatur ad mortem etc., quae nempe eaedem sunt quae in Jerusalem visitantur. S. C. 16 Febr. 1839 ad 2. *Prinz. D.* 487.

2. Ideo non opus est, ut tabulae benedicantur, imo juxta S. C. solae cruces sunt benedicendae; etenim indulgentiae crucibus tantum sunt adnexae minime vero imaginibus S. C. 30 Jan. 1839. *D.* 270; et 28 Sept. 1838 ad 4 „imagines numquam benedicuntur". *D.* 264. Attamen in formula erigendi viam crucis exhibita in Appendice Ritualis Romani p. CXL ponitur benedictio tabularum, sed est formula communis ; vide Rit. Rom. p. 309.

3. „Prima statio ponitur in cornu evangelii; hoc tamen non est de necessitate praecepti, sed est consuetudo et praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus. 13 Mart. 1837". *Analecta Jur. Pontif. III.* 772 et *Schneid. p.* 279.

4. „Pro consequutione indulgentiarum, in erectione viae crucis in oratoriis et capellis publicis, requiritur aliqualis distantia inter unam et aliam stationem. 28 Aug. 1752 ad 1. *D.* 194. Sed non requiritur distantia aequalis viae crucis jerosolymitanae nec determinata." 3 Dec. 1736. *D.* 119.

§ 3. Servanda circa cruces.

1. *Cruces* sunt proprie pars essentialis et integralis viae crucis, ita ut solae sufficiant ad constituendam viam crucis habentem indulgentias adnexas. Sint numero 14, si una deesset, invalida esset via. Confer S. C. 22 Aug. 1712. *D.* 44. Ubi quod si absunt cruces, non acquiruntur indulgentiae, licet adsint tabulae. 20 Jun. 1838. *D.* 261.

2. Debent esse *ex ligno* sub poena nullitatis. S. C. 15 Nov. S. S. 23 Nov. 1878 ad 1. *D.* 442. Si ex ferro, sunt invalidae, et substituendae sunt ligneae. Ibid. Idem tene de crucibus lapideis, pictura adumbratis etc. Idque licet antea nihil circa hoc erat statutum. *Acta XI p.* 403.

3. Ex consuetudine sint *sine imagine* Salvatoris.

4. Sint *visibiles*, ita ut ab omnibus conspici possint. Si igitur cruces essent ferreae non sufficit, ut cruces ligneae ex parte adversa crucium ex ferro apponantur. S. C. 15 Nov. S. S. 23 Nov. 1878 ad 2 et 3. *D.* 442. Possunt quidem ornari et deaurari modo maneant visibiles. *Schneid. p.* 276; sed non metallo contegi.

5. Non est necesse, ut cum tabulis unum corpus efficiant et possunt poni supra vel infra tabulas. 15 Nov. 1845 ad 2. *D.* 332.

6. Debent esse *benedictae*, „sed benedictio dari potest ante vel post ipsarum affixionem. S. C. 20 Jun. S. S. 21 Jun. 1879. *D.* 447.

§ 4. Observanda circa ritum erigendi stationes viae crucis.

1. Sequenda est quidem methodus FF. Minorum. Vide *Formulare* sub n. XIX. Sed rubricae ibi notatae non omnes obligant sub poena nullitatis.

2. Antequam benedictionem incipiat „*brevi sermone . . . . populum alloquetur*" . . . non est de essentia.

3. *Benedictio tabularum* potest omitti. Supra § 2. n. 2.

4. Ad Q. „Utrum erectio et benedictio stationum etc. ita fieri possit, ut ante caerimoniam, vel etiam die praecedenti, 14 cruces cum tabulis pictis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a sacerdote ad eas ante aram converso, quibus expletis, sacerdos ad singulas cruces genuflexus eas incensat, et orat more solito; vel utrum expositio et suspensio fieri debeat durante caerimonia,

quod quidem esset difficillimum? R. die 31 Jan. 1848 „servandam esse in omnibus consuetudinem." *D.* 346 et *D.* 447 benedictionem dari posse ante vel post affixionem vidimus supra § 3. n. 6.

Et D. 311. „benedictione tabularum et crucium facta, non tenetur ipse Sacerdos tabulas collocare et stationes percurrere, ut valida sit erectio, sed alter quicumque potest eas collocare privatim sine caerimoniis et etiam alio tempore. 22 Aug. 1842 ad 1 et 2, D. 311 et 20 Mart. 1846. *Prinz. D.* 573.

NB. Instructio anni 1884 requirit, ut qui cruces benedixit, etiam moraliter adsit quando affiguntur. *Ibid. p.* 42.

Juxta haec decreta interpretanda est rubrica: „Sacerdos accedens ad locum primae stationis, osculatur crucem et tabulam, easque vel per se vel per laicum decenti habitu indutum, collocat in loco ad id praeparato, deinde legit meditationem etc." Quae omnia pertinent solummodo ad solemnitatem, non ad essentiam.

5. Ad *essentiam* igitur pertinent solummodo sequentia:

1°. Debita facultas seu deputatio in scriptis. Supra p. 363.

2°. Licentia et consensus Episcopi specificus item in scriptis. Supra p. 253, n. 4.

3°. Consensus superioris loci etiam in scriptis. Supra p. 254 n. 5.

4°. Ut cruces sint ligneae etc. et benedicantur. Supra p. 257 § 3.

5°. Ut hae affigantur in loco in concessione determinato. Supra p. 255 n. 6 litt. b.

6°. Ut testimonium de erectione scripto relinquatur p. 253 n. 4. litt. b.

6. „Si via crucis erigenda sit in aliquo sanctimonialium monasterio, vel conservatorio, non est opus erigentem ingredi clausuram, sed sufficit ut Religiosus ejusdem Ordinis (vel alius facultatem habens) maturae aetatis et qualificatus (1) ut dictum est in tertio monito de licentia Ordinarii benedicat cruces ad crates, breviterque moniales aliasque in monasterio vel conservatorio degentes instruat circa modum, quo visitandae sunt cruces ad lucrandas indulgentias, fructumque exinde pro animabus referendum." Monit. 8^m^. *D.* 100.

7. Peracta caerimonia, conficiatur *testimonium erectionis* quod ab

(1) «Qui tamen sit aut concionator, aut saltem confessarius approbatus.» *D.* 100.

erectore est subscribendum et saltem in codicibus paroeciae seu loci inseratur. 25 Sept. 1841. *D.* 294. „Tempus vero ad hoc documentum conficiendum non est determinatum; sed ratio per se patet, ut quantocius hoc fiat, ne dubium in posterum oriatur circa praedictam canonicam erectionem." 10 Febr. 1844. *D.* 325. Ubi mos est, copia hujus documenti mittatur ad curiam episcopalem et uno alterove teste subscribatur. *Schneid. p.* 281.

Tenor hujus testimonii potest esse prout exhibetur in formulari sub n. XVIII.

§ 5. Sanatio defectuum.

1. Ad preces Ministri Gen. Ordinis Minorum Leo XIII, omnes sacrae viae crucis stationes hucusque (i. e. ad diem 31 Jul. 1883) invalide erectas convalidare ac ratas habere dignatus est, omnesque defectus benigne sanavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex secret. S. C. indulg. die 31 Julii 1883. *Schneid. Resc. auth. n.* 442. *p.* 678.

2. Leo XIII Resc. 15 Mart. 1885 sanavit erectiones a FF. Minoribus forsan invalide peractas in oratoriis privatis seu domesticis, quae gaudent privilegio celebrandi in eis Missam. *Instructio* 1884 *p.* 21.

§ 6. Mutationes quae tollunt vel non tollunt indulgentias.

I. Mutationes loci.

1. Licet cruces et imagines meliori ordine disponere, modo maneant in eadem ecclesia vel loci ambitu. 20 Sept. 1839 ad 3 *D.* 275.

2. Licet eas de loco in locum transferre modo sit in eadem ecclesia etc. 22 Aug. 1842 ad 4. *D.* 311; et 20 Aug. 1844. *D.* 328.

3. Licet eas ad tempus e loco suo amovere idque ad paucum sive ad longum tempus, *Schneid. p.* 276, modo denuo eidem loco restituantur. 20 Sept. 1839 ad 1. *D.* 275. Et tunc non opus est ut cruces suis pristinis stationibus restituantur, ita ut crux quae ante ablationem in prima statione inveniebatur, nunc iterum ad primam stationem restituatur et sic deinceps juxta dicta hic n. 1.

Nec cruces iterum sunt benedicendae quando suo loco restituuntur. 28 Sept. 1838 ad 4. *D.* 264.

4. Non amittuntur benedictio et *indulgentiae si una vel altera tantum crux removeatur* a pariete ecclesiae ad illam dealbandam; sed si simul omnes cruces removeantur, ut postea iterum ponantur in dicta ecclesia; fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam vel oratorium translatae sint sine apostolica facultate. 20 Jan. 1836 ad 1. *D.* 257.

Indulgentiae in hoc casu non possunt acquiri in loco unde stationes amotae sunt. 16 Dec. 1760 ad 2. *D.* 223. Ratio patet, quia ibi absunt cruces, quibus solis indulgentiae adnexae sunt. 30 Jan. 1839 ad 3. *D.* 270.

Nec in loco ubi sunt repositae si locus hic sit diversus ab ecclesia ubi erectae fuerant, 16 Dec. 1760 ad 3. *D.* 223, quia deest tunc canonica erectio. Ut in illo novo loco indulgentiae acquiri possint requiritur nova canonica erectio. 30 Jan. 1839 ad 4. *D.* 270. Indulgentiae enim non adhaerent loco, sed crucibus in loco ubi canonice stationes fuerunt erectae. Ibid. ad 2.

5. Hinc indulgentiae pereunt si stationes pro semper in alium locum transferuntur, nisi ibi fiat nova *erectio. Schneid. p.* 277 et supra 20 Jun. 1836 ad 1. *D.* 257.

6. Attamen ecclesia restaurata et ad elegantiorem formam redacta dici non debet ecclesia nova. 16 Sept. 1723. *D.* 85. Imo ecclesia renovata fere in eodem loco et sub eodem titulo aedificata retinet indulgentias veteris ecclesiae. 9 Aug. 1843 ad 1. *D.* 323. Ideo via crucis transferri potest ad novam talem ecclesiam, quia tunc non transfertur ad locum diversum. Aliud esset, si ecclesia nova aedificaretur in loco diverso aut alium titulum acciperet. *Instr. p.* 54.

Q. I. Quid censendum, si agitur de translatione viae crucis *domesticae* seu in domibus privatis erectae?

a. Translata sede habitationis e domo in domum, privilegium viae crucis eo ipso cessat, ita ut requiratur nova erectio canonica, fit enim translatio ad locum diversum. An vero simul requiratur novum Rescriptum concessionis, vide infra qu. II. *Instr. p.* 54.

b. Idem videtur dicendum non solum quando fit translatio ab aedificio ad aedificium aliud sed etiam si fit de una contignatione (verdieping) ad aliam ejusdem aedificii, si nempe plura habitationis loca actualiter altera ab alteris distincta constituunt. *Ibid.*

c. Num autem etiam tamquam loca diversa sint judicanda cellae vel oratoria distincta ejusdem domus, incertum est. *Ibid.*

Q. II. An in casu etiam novum rescriptum concessionis requiratur?

a. Nihil de ea re in documentis authenticis decisum invenimus. Doctores autem censent, novum rescriptum non requiri si privilegium adnexum est oratorio privato, quia tunc privilegium est personale, ideoque sequitur personam, quocumque figat habitationem.

b. Excipitur casus quo in rescripto privilegium clare restringitur ad locum, cum tunc persona censeatur privilegiata tantum in illo loco. Ibid p. 55. Verum generatim loquendo simplici loci designatione v. g. parochiae N. viae crucis privilegium in casu ad locum non restringitur." Ibid. p. 56.

c. Privilegium personale autem stat vel cadit cum primario concessionario. Ibid. p. 56.

II. Mutationes tabularum seu iconum.

7. Siquidem tabulae non sunt de essentia, possunt mutari, renovari etc. modo cruces maneant in majori numero. 20 Aug. 1844. *D.* 328. et 13 Nov. 1837. *D.* 258. Et cruces possunt a vetustis tabulis ad novas transferri. 15 Nov. 1845 ad 1. *D.* 332; cum iis coalescere vel non. Vide supra § 2.

Hinc ad Q.: An quando in priorum tabularum locum aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et viam crucis erigendi. R. Negative, dummodo substitutio non sit majoris partis *crucium.* 22 Aug. 1842 ad 3. *D.* 311.

III. Mutationes crucium.

8. Si cruces primitus benedictae *omnino* pereunt, iterum canonica erectio et benedictio necessaria est; sed si pereant *ex minori parte*, licet illis alias substituere absque ulla benedictione. 30 Jan. 1839 ad 5. *D.* 270; et 20 Sept. 1839 ad 2. *D.* 275. (1) Idem, „si vetustate labentes renovari debeant." 13 Nov. 1837 *D.* 258. Idem si tollantur,

(1) »Exercitium viae crucis igitur indulgentias amisisse judicandum videtur, si ex crucibus *primitus* benedictis pereunt vel tolluntur *ad minus septem*, sive simultanee hoc fieri contingat, sive *successivé*. *Instr. p.* 31.

ut eis aliae substituantur. 20 Sept. 1839 ad 1. *D.* 275, et 22 Aug. 1842 ad 3. *D.* 311. „Si vero cruces non in majori numero perseverent, nova erectio, novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate. 20 Aug. 1844. *D.* 328. Confer et *D.* 223 ad 1. *Impetrata .... potestate* h. e. „benedictio haec nova peragenda est ab eo qui viae crucis erigendae facultatem habet sive ordinariam, sive delegatam." *Instr. p.* 51.

Nota. „In omnibus casibus, in quibus juxta exposita requiritur nova viae crucis erectio canonica, ad amussim observanda sunt omnes conditiones ad legitimam viae crucis constitutionem necessariae, non secus ac in prima erectione." *Instr.* p. 57.

—

CAPUT XIX.

Renovatio promissorum baptismalium.

1. Antiqui missionarii hanc caerimoniam magni faciebant, utpote quae aptissima esset ad animos in bonis propositis confirmandos. Imo Clemens PP. XI eam Missionariis a S. Spiritu nuncupatis praescripserat numquam omittendam.

2. Peragebatur vero maxima cum pompa, ut videre est apud P. Nampon Ch. 3. § 8, ubi methodus describitur quam P. Brydaine sequebatur. Quum vero haec methodus pro nostris regionibus minus apta videatur, satius erit ut missionarius ipse nomine omnium promissa baptismalia renovet postquam auditores ad id apto sermone praeparavit. Specimen hujus renovationis habetur in *Formulari* sub. n. XX.

3. Methodus autem P. Brydaine erat sequens. (1)

1°. On dressait d'ordinaire une chapelle magnifique, quand la mission se donnait dans un lieu où l'opulence des habitants permettait d'offrir ainsi leur hommage à l'auteur de toute richesse. Le fond de cette chapelle était tendu de damas blanc; et cette couleur, symbole de la pureté, dominait dans toute la parure. Les fonts baptismaux parais-

(1) Vie du P. Brydaine par l'abbé Carron. Avignon, Seguin ainé 1884. p. 231 et suivantes.

saient au milieu. (Si id fieri nequit ponatur ibi liber Evangeliorum). Un nombreux luminaire, plusieurs vases de fleurs, de doux parfums qui s'exhalaient dans les airs, tout rappelait alors l'idée de cette bonne odeur de Jésus Christ, que respirent les nouveaux nés à la grâce. —

2°. Le P. Brydaine environné des pasteurs de l'endroit, paraissait la croix à la main; et d'abord dépeignait tout ce qu'a d'affligeant la naissance de l'homme, enfant de colère mort à la grâce, l'objet d'horreur aux yeux de Dieu, mais il laisse bientôt ce portrait sombre et l'on voyait découler des lèvres du saint homme toute la tendresse du Seigneur pour l'âme regénérée dans les eaux du baptême; les grâces dont il l'enrichit, l'héritage inestimable qu'il lui destine, puis il ajoutait ces mots: „Mais des promesses aussi magnifiques, d'aussi grandes avances du côté de votre Dieu ne sont pas faites sans quelque engagement de votre part; à qui puis je mieux m'adresser qu'aux pasteurs de vos âmes que je vois ici?"

„Sages dépositaires de ce prétieux dépôt, fidèles pasteurs, à qui Jésus-Christ a confié son troupeau, répondez-moi: Quand vous administrates le Sacrement de baptême à ces enfants de colère, quelles obligations leur furent imposées pour qu'ils devinssent les fils adoptifs du Seigneur? A quoi s'engagèrent-ils?" Les pasteurs répondent d'une voix distincte et élevée: „Ils s'engageaient à renoncer au démon, au monde, à ses pompes et à ses oeuvres."

3°. A l'instant Brydaine, reprenant la parole, faisant une énumération vive et pressante des grâces marquées par les cérémonies du baptême, montrait cette robe blanche que le régénéré avait promis d'offrir pure et sans tache au trône du Dieu vivant; présentait ce flambeau allumé, le symbole de cette charité, dont les nouveaux chrétiens doivent toujours bruler .... il marquait des traits les plus odieux l'ingratitude de celui, qui les avait violés: bientôt sa voix tonnante tour à tour ou pleine d'onction, ses réflections pénétrantes faisaient couler les larmes en abondance; et à ce spectacle de douleur universelle, adoucissant les couleurs de son pinceau, conviant ses auditeurs à recourir au Dieu de la miséricorde, à le conjurer de leur rendre les avantages précieux que le baptême leur avait procurés, mais dont le péché les avait dépouillés:

„C'est à vous, continuait-il, fidèles pasteurs, à qui je m'adresse: quelles promesses faites-vous au Seigneur pour ce peuple qui temoigne son juste repentir"?

Les pasteurs ayant répondu à voix haute, que, pour leurs troupeaux et pour eux-mêmes, ils promettaient une fidélité constante, et qu'ils renonçaient pour jamais à ce qui pourrait les séparer du Seigneur. „A genoux, peuple ingrat," s'ecriait-il. Alors d'une voix majestueuse et dont son zèle augmentait l'étendue: „y renoncez-vous aussi? Renoncez-vous à la vengeance, à l'impureté, à la médisance, qui ont si souvent donné la mort à vos âmes?" Alors mille voix se faisaient entendre à la fois; les voutes du temple retentissaient de ces paroles: „Oui, nous y renonçons;" les échos les répétaient longtemps; et avec eux les cris de regrèt poussés de toutes parts.

—

CAPUT XX.

Promulgatio Legis.

1. Pro renovatione promissorum baptismalium aliqui instituebant caerimoniam, quae promulgatio Legis nuncupatur. Desumpta est ex iis quae Josue egit cum populo israelitico et describuntur capite XXIV libri sui nominis.

1°. In memoriam revocat quae Dominus pro ipsis fecerit, beneficia enumerat. ℣. 1—13.

2°. Hortatur eos: „Nunc ergo timete Dominum et servite ei perfecto corde atque verissimo". ℣. 14. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet". ℣. 15.

3°. Responditque populus et ait: absit a nobis, ut relinquamus Dominum et serviamus diis alienis. ℣. 16.

4°. Opponit Josue: „non poteritis servire Domino". ℣. 19 vel non perseverabitis; missionarius enumeret pericula perversionis..... et inducat populum ut reponat:

5°. „Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino serviemus ℣. 21 et obedientes erimus praeceptis ejus". ℣. 24.

6°. Et Josue ad populum: „Testes inquit vos estis, quia ipsi

elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei". ℣. 23. Responderuntque: „Testes".

7°. Percussit ergo Josue in die illo foedus et proposuit populo *praecepta* et judicia in Sichem. ℣. 25.

Hic recitari possunt praecepta decem et mandata Ecclesiae et ad singula vel in fine recitationis respondeat populus: „Domino Deo nostro serviemus et obedientes erimus praeceptis ejus".

2 Plura ad hunc sermonem exornandum reperiuntur in libro Deuteronomii cap. XXVIII—XXX ubi Moyses enumerat benedictiones et maledictiones, quae supervenient populo, prout servaverit vel non servaverit praecepta Domini. Deinde concludit (XXX: 11, seq.):

„Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie non supra te est... sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum: ut diligas Dominum Deum tuum etc. Si autem aversum fuerit cor tuum... praedico tibi hodie, quod pereas.... Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam ut et tu vivas et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus et illi adhaereas (ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum) ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis Abraham, Isaac et Jacob, ut daret eam illis".

—

CAPUT XXI.

Dedicatio parochiae B. V. Mariae.

1. Solet haec oblatio et dedicatio totius parochiae fieri in conclusione missionis post concionem de B. V. et de mediis perseverandi.

2. In instructione belgica sequentia commendantur: „ornetur ecclesia, quo meliori modo fieri potest, quin tamen expensae sint majores. Construatur altare altum et pulcherrimum, quod sit velut thronus B. V. Mariae, unde placido vultu cunctos suos filios materne quasi aspiciat In posteriore parte ponatur crux missionis monumentum perenne hujus caerimoniae. Altare praeterea ita sit dispositum, ut

recipere possit SS. Sacramentum, quod sub Laudibus illuc solemniter si fieri potest deferendum est, ne dicamur Matri majorem honorem tribuere quam Filio. Accendantur quam plurima luminaria ita tamen disposita ut omne periculum incendii prorsus absit, de qua re ante solemnitatem praeses se certiorem reddet. Si videbitur, populus adhortandus est, ut ipse in testimonium grati animi thronum illum candelis floribus et tapetis exornet. Si fieri potest maneat illud altare usque ad Dominicam sequentem".

3. Formula consecrationis procedat ex abundantia cordis. In ea gratiae aguntur pro acceptis beneficiis — auxilium petitur pro variis necessitatibus spiritualibus et temporalibus; — Populus et Pastor speciali protectioni et favori B. V. commendantur, descendendo ad particularia et percurrendo varios hominum status. Per decursum vero hujus allocutionis Beatam Virginem honorificentissimis encomiis exornet.

4. His peractis cantetur *Magnificat* nisi populus noverit aliquod canticum huic caerimoniae adaptatum, quo finito cantetur coram altari antiphona *Sub tuum praesidium* ℣. *Ora pro nobis S. Dei genitrix!* etc. cum oratione *Concede* ex officio B. V. Vide *Formulare* sub n. XXI.

5. Post haec coronidis gratia datur benedictio papalis de qua capite sequenti, et terminabitur tota solemnitas per cantum *Te Deum*. Vide *Formulare* sub n. XXII. n. 9.

—

CAPUT XXII.

Benedictio papalis.

1. Benedictio haec cum indulgentia plenaria est eadem quam Summus Pontifex impertiri solet *Urbi et Orbi* in Coena Domini atque in Paschate Resurrectionis ad S. Petri, in Ascensione Domini ad S. Joannis Lateranensis; in Assumptione B. V. ad S. Mariae Majoris.

2. Ad lucrandam hanc indulgentiam requiritur: confessio, communio, praesentia moralis ad benedictionem et preces ad intentionem Pontificis. *Schneid. p.* 309. Adverte tamen:

a) Confessionem missionis valere etiam pro hac indulgentia (vide p. 76.) modo status gratiae perseveret.

b) Communionem paschalem non excludi ab hac indulgentia. 19 Mart 1841. *D.* 288.

c) Praesentiam moralem adesse, si quis eam accipit per fenestram domus quae respicit plateam ubi illa benedictio datur. Idem tamen dici non potest de monialibus, quae ex localitatis natura i. e. ob clausuram eo casu ut absentes habendae sunt. 7 Jan. 1839. *D.* 266 et *Rescr. auth. p.* 701.

3. Cum vero haec gratia nostris concessa est ob missionum exercitia, putarem in hoc casu juxta mentem Pontificis concedentis insuper requiri, ut aliquis saltem quibusdam exercitiis interfuerit. —

4. Haec benedictio a nostris dari potest „in exitu *missionum*"; excluduntur igitur exercitia communitatibus religiosis data. (Vide supra *p.* 28)

5. Potest tamen dari in ecclesia vel extra eam e suggestu vel ad altare. Rubrica enim „ad altare" non obligat sub poena nullitatis, nec opus est ut extra ecclesiam ad id altare aliquod erigatur. *Schneid. p.* 310.

6. Licet lege ordinaria haec facultas subdelegari non possit, 6 Nov. 1764. *D.* 232, nostris tamen concessum est, ut possint sibi substituere parochum vel alium virum ecclesiasticum insigniorem a missionis praeside designandum. Pius IX 4 Maii 1851. *N. Bull. App. p.* 18.

7. Quoad ritum et formam qua haec benedictio est danda, adverte:

a) Decretum Clem. XIII quoad *Regulares:* „Districte dilectis filiis praecipimus et mandamus, quod in illius exercitio, in omnibus ritum et formam a fel. rec. Ben. PP. XIV per ejus epistolam encyclicam sub die 19 Martii anni Domini 1748 .... praescriptum servare. *Falise Resol. S. C. Induly. p.* 175. Hanc encyclicam reperire est apud Schneid. *Decr. auth. Append. n. XVI. p.* 485. Ritum illum vero dabimus in *Formulari* sub n. XXI. Differt a formula qua utuntur Episcopi, quam praescripsit Clem. XIII: *Inexhaustum*, III Nonas Sept. 1762. *Schneid. Decr. auth. Append. n. VII p.* 456.

Et votum S. C. Indulg. et S. Rit. fuit: „Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim,"

(nempe pro iis qui non sunt Episcopi nec praelati activa in clerum et populum jurisdictione gaudentes). Leo XIII approbavit et confirmavit S. C. 18 Mart. S. S. 22 Mart. 1879 ad 6. *D.* 444. (1)

b) Praescribitur tum Episcopis tum regularibus aliisque „ut alta voce *legantur litterae Apostolicae* quibus haec facultas conceditur, ut de delegatione adstantibus constet et concessio *ex latino sermone in vulgarem* ad populi intelligentiam translata recitetur". Pro Episcopis Clem. XIII: *Inexhaustum. Decr. auth. p.* 460 et *Pontificale Rom. Part. III p* 352 *ed. Mechl.* 1873. — Pro aliis Bened. XIV: *Exemplis. Decr. auth. p.* 488.

Attamen de more erat in ecclesia Lemovicensi a multis annis vigente, ut loco litterarum apostolicarum legeretur *latino et vernaculo* idiomate formula: „*Attentis facultatibus etc.* vide Pontif. Rom. Part. III p. 352; S. C. indulg. declaravit: „Ritum et formam de quibus in precibus, attenta rationabili causa (ne sc. populus diutius in ecclesia retineatur) revera sufficere ad lucrifaciendam indulgentiam Apost. Benedictionis, dummodo per formulam „*Attentis facultatibus etc.*" fidelibus constet ex pontificia delegatione tantum impertitam fuisse. 30 Jun. 1840. *D.* 282.

Ad Q. vero: „Utrum responsum hoc generale sit, an non". S. C. Indulg. ℟. „Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. 24 Jul. 1885. *Nouv. Rev. Théol. T. XVII p.* 563 et Acta XVIII p. 158.

c) Nostris in specie a Pio IX injunctum est, ut benedictionem hanc dent non *manu* sed tenentes imaginem crucifixi in manibus. *Vide supra p.* 28.

Sive manu sive cum crucifixo detur, semper detur a non episcopis unico signo crucis; „trina siquidem benedictio Episcopo competit non sacerdoti". Ben. XIV: *Exemplis. Decr. auth. p.* 489.

d) *Confiteor* in hac benedictione nullibi praescribitur, ne quidem in formula pro Episcopis. Ergo est omittendum, praescribitur solummodo in rubrica de promulgenda indulgentia post missam vel concionem facienda ab Episcopo. *Vide caer. episc. l.* 1 *c.* 25.

---

(1) Post hoc decretum non video quomodo sustineantur verba P. Schneider „*Die Ablässe*" p. 310: „Der von Benedikt. XIV vorgeschriebene Ritus ist nicht unter der Strafe der Nichtigkeit, sondern nur als Richtschnur vorgeschrieben", nisi restringantur ad circumstantiam loci quo Ben. Pap dari potest, vide supra n. 5.

8. In eodem die non licet bis eam benedictionem impertiri. S. Rit. Congr. 11 Sept. 1790. *Schneid.* p. 601.

9. Per hanc benedictionem nulla prorsus absolutio conceditur a censuris et poenis ecclesiasticis. Clem. XIII: *Inexhaustum. Falise Resol. I. C. indulg. p.* 175.

10. Diebus et locis ubi Episcopi hanc benedictionem largiuntur, regulares „ab effundenda benedictione penitus abstinere respective debent". Clem. XIII ut supra et S. Rit. C. 7 Maii 1882. *Schneid. p.* 601; et 18 Mart. 1879. *D.* 444; *p.* 411. *n. II.*

Et in Bulla: *Decet Romanos Pontifices*, diei 30 Aug. 1763 voluit Clem. XIII ut regulares potestate concessa dandi Ben. Pap. non uterentur nec elargitionem ejusdem publicarent nisi postquam ad id licentiam ab Ordinario eamque scriptam obtinuerint. *Schneid. p.* 601.

Alia decreta huc spectantia.

11. Clem. XIII concessit Episcopis petentibus, ut eis liceat benedictionem papalem bis in anno impertiri sc. in Paschate Resurrectionis Domini, alioque festo solemni eorum respective arbitrio designando. *Falise*, *Resol. S. C. Indulg. p.* 174.

12. Episcopus qui habet facultatem dandi hanc benedictionem intra missarum solemnia, eam dare non potest extra ea etiamsi ex rationabili causa est impeditus. S. R. C. 8 Aug. 1835. *F. p.* 38.

13. In anno jubilaei suspensa est indulgentia plen. occasione benedictionis solemnis ab Episcopis impertiri solitae in aliquibus diebus solemnioribus. S. C. 19 Dec. S. S. 22 Dec. 1824 ad 1. *D.* 225 et 8 Apr. 1875. *Schneid. p.* 600.

14. Regularibus quibus competit facultas dandi Pontif. Ben. statutis anni diebus, eam dare possunt dumtaxat in ecclesiis suorum conventuum, non in ecclesiis monialium suarum tam Ordini quam Ordinario locorum subjectis, nec in ecclesiis aliis ex eo capite quod confraternitates dictorum Ordinum ibi sunt erectae. 4 Febr. 1754 ad 1 et 2. *D.* 199.

15. Quando moniales participant indulgentias alicujus Ordinis, qui fruitur facultate accipiendi et in ecclesiis suis impertiendi Ben. Pap.

tunc plerumque illa benedictio in ecclesiis monialium data solummodo valet pro monialibus, exclusis aliis. 16 Dec. 1749 ad 2. *D.* 184.

16. Si moniales jus habent ad Ben. Pap. a religioso tamen sui Ordinis impertienda, tunc capellanus aut confessarius non sui Ordinis eam elargiri non potest. 29 Aug. 1864. *D.* 411.

17. Rectores ecclesiarum, in quibus existunt confraternitates, quae inter alia privilegia a Praepositis Ordinum ad quos spectant respectivae Archiconfraternitates etiam illud habent, quod Apost. Ben. certis quibusdam diebus possit effundi, non possunt illam Ben. impertiri. 4 Nov. 1764. *D.* 232.

Ritus eam impertiendi.

Describitur in *Formulari* sub n. XXII.

—

CAPUT XXIII.

Monita danda in conclusione missionis.

§ 1. Generalia.

1. „Ut qui ex loco calido ad locum frigidum egreditur, facile fieri potest, ut cito frigefiat, nisi diligentem curam adhibeat retinendi calorem; ita qui exercitiis peractis redit ad communem vitam et conversationem, nihil est facilius, quam ut fervorem ac lumen conceptum brevissimo tempore perdat; praesertim quia quidquid boni acquisivit, nondum est confirmatum per modum habitus, sed est passio quaedam, quae facile remittitur, vel etiam tota amittitur. Quod si contingit, omnis fructus, et labor exercitiorum evanescit." *Direct. in Exerc. Spir. Cap. XL. n.* 1.

2. „Quare hoc primum commendandum est ei, qui exercitia absolvit, ut magni aestimet hoc principium et quasi fundamentum vitae bonae et spiritualis, quod per Dei gratiam jecit in exercitiis; idque a Deo accipiat tamquam beneficium, et quidem maximum: et omnia lumina, omnemque cognitionem, quam in exercitiis acquisivit, credat sibi a

Domino Deo donata particulari quodam amore, et ut talia ea conservare et tueri studeat. Praeterea timorem concipiat, ne si deinceps non vixerit, ut intellexerit esse vivendum, gravius a Deo puniatur ob ingratitudinem; et quia scienti bonum et non facienti, majus judicium est ipsi." *Ibid. n.* 2.

3. „Secundo loco intelligat, se adhuc nihil aliud fecisse, nisi quod bonum semen in ejus anima a Deo seminatum est. Unde nisi hoc semen foveatur, et excolatur, et ad maturitatem perducatur, ut det fructum in tempore suo, per se quidem aut nihil, aut parum est. Itaque hoc primum cavere debet, ne ejusmodi semen, vel a volucribus i. e. a daemonibus rapiatur, vel a spinis suffocetur, nempe a cogitationibus et cupiditatibus terrenis et vitiosis. Ideoque non solum peccata, sed etiam eorum *occasiones* evitet, et illa praesertim ad quae ante exercitia inclinatus fuit: nam contra haec potissimum se armare debet, quia facillime recidere potest." *Ibid. n.* 3.

4. „Tertio hortandus est ad conservandum et alendam devotionem jam conceptam, piis et spiritualibus exercitationibus, inter quas haec potissimum commendari poterunt:

1°. „Primo ut conservet usum meditandi quotidie per dimidiatam horam aut etiam integram, si fieri poterit." *Ibid. n.* 4.

Seu potius ut fideliter preces matutinas et vespertinas devote in spiritu fidei persolvant, ut retineant vel instaurent piam consuetudinem recitandi preces vespertinas in communi quae tamen diutius protrahi non debent..... Ut fideliter trinam salutationem Angelicam „*Angelus Domini*" recitent.... ut bona intentione quotidie opera etc. Deo offerant et aliquoties per diem mentem ad Deum elevent.....

2°. „Ut singulis diebus faciat examen conscientiae per quartam horae partem." *Ibid.*

Vel saltem ante decubitum considerent num in aliqua re Deum offenderint, nec omittant actum contritionis et quidem perfectae si in aliquod peccatum lethale inciderint cum proposito quamprimum confitendi..... Hic animet relabentes, ut cito surgant.....

3°. „Ut octavo quoque die confiteatur et communicet." *Ibid.*

Hortetur ad frequentem usum Sacramentorum.....

4°. „Eligat aliquem confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem

hujus spiritualis itineris, et cum eo tractet omnia quae ad suam animam pertinent." *Ibid.*

Animet populum ad fiduciam in confessario contra omnem falsum timorum eos armet, ne in confessiones sacrilegas relabent.

5°. „Legat saepe pios libros, et habeat bonorum hominum conversationem, malorum autem fugiat summopere." *Ibid.*

Commendet piam consuetudinem legendi ad mensam diebus Dominicis et festis evangelium diei, et hiemis tempore aliquid ex historia utriusque Testamenti vel e vitis sanctorum etc.... Fugiant blasphematores turpia loquentes etc. deserant tabernas ubi talia impune permittuntur;..... Potius se domi recreent...

6°. „Curet proficere quotidie in virtutibus, praesertim in humilitate, patientia et charitate. Et in summa, nitatur ipse quoque ad eam summan perfectionem, quam in suo statu, et juxta mensuram divinae gratiae acquirere poterit." *Ibid.*

Invitet eos ad virtutum exercitium, quod etiam pars est justitiae Christianae..... „*Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*" I Petr. IV: 11.

5°. „Haec autem sunt fere generalia monita, quae omnibus dari poterunt. Alia sunt deinde quae juxta cujusque professionem aut statum, aut particularem indigentiam addi poterunt; imo haec ipsa augeri et intendi ex majori aliquorum devotione et progressu spirituali. Quod facile advertet bonus et prudens Instructor, adjutus gratia et lumine Domini et Salvatoris nostri Dei: cui sit gloria et honor in saecula. Amen." *Ibid n.* 5.

§ 2. Monita particularia. (1)

Ad parochianos. Fideliter et devote intersint officiis divinis, intersint quantum fieri potest Missae majori, Vesperis aut Laudibus. — Pastori exhibeant reverentiam, obedientiam, sustentationem, eum juvent in cura pro ecclesiae ornatu, pro scholis, pro pauperibus.....

Ad patres et matres familias. Magnam curam gerant de educatione prolis — suos ad bonas scholas mittant.... eis invigilent.... eos

(1) Nampon. Formulaire n. XXXV. p. 459.

corrigant.... bono exemplo praeeant.... preces vespertinae in communi fiant.... impios, libidinantes etc. domo arceant.... famulos non nisi bonos et pios admittant, his invigilent, male moratos ejiciant, familiarites inter se vel cum filiis suis ne permittant;.... prolem efformari ad aliquam vitae professionem vel statum curent... procantes ne solos relinquant....

Ad filios, filiasque familias. Ut parentes revereantur eis subditi sint et obediant; — pacem inter se custodiant, — atque laboris sint amantes.

Ad sponsos. Mutuus amor, fidelitas, se invicem supportent, consensus animorum, pax et unio.

Ad viros. Amor justitiae; injuriarum condonatio, horror a duplicitate et fraude, ab ebrietate, blasphemia turpiloquio;... praecepta Ecclesiae observent.... rem catholicam promoveant (1).

Ad feminas. Mansuetudo; patientia, cura rei domesticae; pietas, misericordiae opera. Ab imprecationibus in pueros abstineant, uti et a detractione etc.

Ad juvenes. Fugiant perversas personas, loca etc.; vespere tempestive domum redeant, vitent nocturnas cursitationes, ebrietatem, ludorum immoderationem, impuritatem, turpiloquium, blasphemias, imprecationes.... folia, libros acatholicorum ne legant, respectum humanum vincant; pietatem, religionem intrepide profiteantur.

Ad puellas. Modestia, humilitas, pudicitia; abstineant a verbis levibus, a lenociniis, a lectionibus frivolis; — rebus domesticis incumbant, matres juvent, B. Virginem cultu speciali honorent; — petitiones ad matrimonium ad parentes deferant vel remittant, et antequam consensus detur, confessarium consulant.

Ad omnes. Hortetur eos ad pietatem, ad charitatem, ad vigilantiam, ad diffidentiam sui, ad fiduciam in Deum.

6. Videat missionarius an aliqua sodalitas vel confraternitas sit instituenda ad unum alterumve vitium v. gr. blasphemandi consuetudinem, turpiloquium, ebrietatem etc. exstirpandum.

---

(1) Si tamen expediat, ut hanc materiam attingat.

CAPUT XXIV.

Solemnis commemoratio Fidelium Defunctorum.

1. Dum conclusio missionis annuntiatur, petatur venia a Fidelibus Defunctis parochiae, quod hucusque nihil pro ipsis factum sit; annuntiatur missio pro mortuis, qui licet hinc discesserint, nihilominus vi communionis sanctorum nobiscum manent uniti et conjuncti.....

2. Indicatur igitur Missa solemnis, eaque si per rubricas licet de Requiem, pro omnibus Defunctis parochiae. Quoad absolutionem animadvertendum, eam fieri non posse in duplicibus extra Missas, ut caerimonia separata, ita saltem S. Rit. C. die 12 Sept. 1857 ad 21. (5251).

3. Hac occasione missionarius excitabit devotionem pro animabus in Purgatorio detentis, quae passim oblivioni traduntur, quum tamen nonnisi ab iis, qui adhuc in terris degant, adjuvari possint. Moneat Fideles ut, dum tempus habent, sedulo media adhibeant, quibus poenae temporales in hac vita dilui possunt; „*Venit enim nox quando nemo potest operari*" Joan. IX: 4; item, ne susceptionem Sacramentorum exeuntium diutius differant.

4. Ubi licet et commode fieri potest, haec concio habetur in coemeterio; et tunc in fine invitantur Fideles ad recitandum in communi 5 *Pater* et *Ave* et *Requiem aeternam* vel *De profundis.*

—

CAPUT XXV.

Pia missionis vel exercitiorum recordatio.

1. Nonnulli missionarii solent ad finem exercitiorum ad eorum memoriam perpetuandam nonnullas pagellas distribuere, quae continent quosdam sententiosos versus ex Scriptura Sacra; quaedam monita salutaria, aliquam orationem ad perseverantiam obtinendam. Ornetur si fieri potest aliqua imagine devota, vel praedicta imprimantur in parte alba alicujus imaginis. Forma sit talis ut facile in libris precum conservari possit.

2. Animadvertendum, precum formulas, quibus adnexae sunt indulgentiae, verti quidem posse in aliam linguam, sed versionem debere esse fidelem. „Ut autem constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio S. C. Indulg. per Em. Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus indulgentia concessa fuit". 29 Dec. 1864. *D.* 415.

3. Sententiae esse possent sequentes vel similes:

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis. Eccli. VII : 40.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Hebr. IX : 27.

Quasi a facie colubri fuge peccata. Eccli. XXI: 2.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli. III: 27.

Quid prodest homini .... Matth. XVI: 26 et 27.

Quaerite primum regnum Dei .... Matth. VI: 33.

Vince teipsum. Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris.

4. Monita desumi possunt ex capite XXIII.

5. Oratio pro perseverantia esse posset sequens ex *Raccolta* p. 23 (25).

O Pater misericordiarum, fons omnis boni, te supplex exoro per sacratissimum, tuique amantissimum Cor Jesu, dilectissimi Filii tui, Domini et Redemptoris nostri, in quo tibi semper bene complaces; dignare concedere mihi gratiam vivae fidei, firmae spei et ardentis charitatis erga te et proximum meum; insuper gratiam vere dolendi de omnibus peccatis meis una cum firmissimo proposito te in posterum numquam offendendi; ut secundum divinum beneplacitum tuum semper vivere, voluntatem tuam sanctissimam corde magno et animo volenti in omnibus adimplere, et in amore tuo usque ad finem vitae meae perseverare valeam. Amen.

Ad B. V. Mariam.

O beatissima Virgo Maria, Mater Domini et Redemptoris mei, te quaeso, te precor, fac per misericordiam tuam, ut in omnibus periculis et necessitatibus animae meae ad te confugiam, te orem, te invocem in auxilium mihi.

Pius VII Decr. 21 Apr. 1818 concessit recitantibus has orationes

1°. Indulg. 40 *dierum* semel in die, et 2°. qui id per integrum mensem fecerint, *indulg. plen.* in die pro libitu, modo confessi et S. Comm. refecti aliquam ecclesiam visitaverint ibique ad mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium oraverint.

Alias orationes vide apud *Schneid. p.* 735.

III. FORMULARE

CONTINENS VARIAS ORATIONES PRO BENEDICTIONIBUS, QUAE IN HOC LIBRO RECENSENTUR ET PIAS ALIQUAS PRAXES. (1)

I. BENEDICTIO AD OMNIA.

Ad pag. 170.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, benedictionem tuam effunde super creaturam istam (*vel* creaturas istas): et praesta, ut quisquis ea (*vel* eis) secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi Nominis tui, corporis sanitatem, et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam (vel illas) sacerdos aspergit aqua benedicta.

Haec benedictionis formula adhiberi potest a quovis sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano. (Rit. Rom. Append. p. XCVIII.)

(1) Formulas varias hic congessimus ut possint ad facilitatem missionarii separatim compingi.

II. BENEDICTIO CRUCIS.

Ad pag. 185. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut digneris bene✝dicere haec signa (hoc signum) crucis tuae, ut sint (sit) remedium salutare generi humano, sint (sit) soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sint (sit) solamen et protectio ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

III. BENEDICTIO IMAGINUM JESU CHRISTI, B. V. MARIAE ET ALIORUM SANCTORUM, SEU STATUARUM ET NUMISMATUM.

Ad pag. 185. (2)

Oremus. (3)

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (sive effigies) sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; hanc quae-

---

(1) Rituale Romanum p. 308.

(2) Rituale Romanum p. 309.

(3) *Quando non praecessit benedictio crucium, praemittitur:* v. Adjutorium nostrum etc. et v. Dominus vobiscum etc.

sumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, — *vel* Beatissimae Virginis Mariae, Matris Domini nostri Jesu Christi, *vel* beati N. Apostoli tui, *vel* beati N. Martyris, Confessoris aut Pontificis, *vel* beatae N. Virginis *vel* Viduae *vel* Martyris — adaptatam bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris: et praesta, ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum — *vel* Beatissimam Virginem *vel* gloriosum Apostolum, Martyrem, Confessorem, *vel* gloriosam Virginem etc. — suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

—

IV. BENEDICTIO CORONARUM, ETIAM S. BIRGITTAE.

Ad pag. 185. (1)

℣. Adjutorium nostrum etc.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum, Dominum nostrum, Jesum Christum, pro redemptione nostra de coelis in terram descendere, et de beatissimae Virginis utero, angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut has coronas (hanc coronam) in honorem et laudem Genitricis Filii tui ab ecclesia tua fideli dicatas (dicatam) bene✝dicas, et sancti✝fices, eisque (eique) tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque eas (eam) portaverit, vel recitaverit, aut domi reverenter tenuerit, ab omni hoste et adversitate semper et ubique liberetur, indulgentias lucrari possit juxta

(1) P. Schneider, Die Ablässe, p. 698.

mandatum sanctae Romanae Ecclesiae, et in exitu mortis suae a beatissima Virgine tibi plenus meritis praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii ✝ et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

V. BENEDICTIO ROSARIORUM B. MARIAE V.

propria Ordinis Praedicatorum.

Ad pag. 185. (1)

Rosaria benedicenda debent omnino 5 *vel* 10, *vel* 15 *decenariis coalescere. Sacerdotes autem deferant regulariter stolam ea benedicendo.* (*Nova editio Facultatis.*)

℣. Adjutorium etc. — ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine, exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum de coelis in terram descendere, et de beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sacratissimo, angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli; obsecramus immensam clementiam tuam; ut haec signa Rosarii, in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui

(1) Append. Rit. Rom. p. CLIII.

ab Ecclesia tua fideli dicata, bene†dicas, et sancti†fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te, secundum hujus sanctae societatis instituta, divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum quae eidem societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria, Dei Genitrice, tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Ita in libello authentico „Facultates, benedictiones et indulg. Confr. SS. Rosarii. Romae 1882."

Ibi non reperitur quod apponit P. Schneider „Deinde aspergat rosaria aqua benedicta dicens: In nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti. Amen.

Haec formula est de essentia ad applicandas indulgentias Rosariis S. Dominici concessas. Supra p. 177 et 188.

VI. BENEDICTIO HABITUS, AC RECEPTIO CONFRATRUM B. V. MARIAE DE MONTE CARMELO (1).

Ad pag. 212.

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad Poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam indulgentiam a Paulo V concessam lucrari valeat.

---

(1) Habetur etiam in Rituali Rom. Append. p. CLV.

Si fieri potest, scapulare benedicendum est ad altare B. V. Mariae de Monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat una cum stola albi coloris.

Genuflexo, qui habitum recipit, sacerdos stans dicat: (1)

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos (salvas) fac servos tuos (ancillas tuas),

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eos (eas).

℣. Nihil proficiat inimicus in eis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Suscipiat vos Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, vos suscipimus in orationibus nostris. Concedat vobis Deus, per Unigenitum suum, mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae hereditatem feliciter perveniendi: et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere

(1) Sumimus formulam Ritualis Carmelitici sub rubrica: *si plures simul sint recipiendi, quod plerumque evenit.*

dignetur in coelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aeterne Pater, et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuae largitatis bene✝dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo gestari sanxerunt; et sic ipsum bene✝dicere digneris, ut quicumque eo usi fuerint, induere mereantur ipsum Dominum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hos habitus servis tuis (ancillis tuis) imponendos, bene✝dictio tua benigna descendat, ut sint bene✝dicti, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

Aspergat sacerdos habitus aqua benedicta, et singulis confratribus vel consororibus suum imponens cuilibet dicat: Accipe, vir devote etc.

---

(1) Sequitur benedictio scapularis.

Ita ex ritu ordinario; sed ex Indulto Pii IX nobis concesso missionarius hic jubeat ut quisque suum scapulare imponat, ita ut una pars tergum, altera pectus tegat et dicit:

Accipite devoti viri et mulieres hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferatis sine macula, et vos ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. Amen.

Sin autem singulis imponat, dicet:

Accipe vir devote (*vel* devota mulier) hunc habitum benedictum: precans sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. Amen.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos, quos (*vel* hunc famulum, quem, *vel* has famulas tuas, quas, *vel* hanc ancillam tuam, quam) sodalitati sanctae Religionis Carmelitarum sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito in omni sanctitate tibi valeant (*vel* valeat) famulari.

Protege, Domine, famulos tuos (*vel* famulum tuum, *vel* ancillas tuas, *vel* ancillam tuam) subsidiis pacis, et Beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes (*vel* confidentem) a cunctis hostibus redde securos (*vel* securum, *vel* securas, *vel* securam).

Bene✝dicat vos (*vel* te) Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui vos (*vel* te) eligere dignatus est, ad Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo Societatem et Confraternitatem: quam precamur, ut in hora obitus vestri (*vel* tui) conterat caput serpentis, qui vobis (*vel* tibi) est adversarius, et tandem tamquam victores (*vel* victor) palmam et coronam sempiternae haereditatis consequamini (*vel* consequaris). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus, incipitur a ℣. Adjutorum nostrum, *usque ad orationem* Suppliciter *inclusive.*

Deinde aspergat confratres aqua benedicta et subjungat:

Ego auctoritate, qua fungor et mihi concessa, recipio vos (*vel* te) ad confraternitatem sacrae Religionis Carmelitarum et investio, ac participes vos (*vel* participem te) facio omnium bonorum spiritualium ejusdem ordinis, in nomine Patris, et Fi✝lii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

His expletis, describatur cujusque confratris nomen in codice confraternitatis, et paucis sed efficacioribus verbis eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere ac veluti singularem ac dulcissimam Matrem prosequi fas erit.

—

VII. RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI SCAPULARE COERULEUM IN HONOREM CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS IMMACULATAE.

Ad pag. 220. (1)

Qui suscepturus est scapulare genuflectat, et sacerdos superpellicco et stola alba indutus, capite detecto, dicat absolute:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuam largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae,

(1) Rituale Roman. Suppl. p. CLXIII.

nec non ut illo induti exorent in hominum pravorum morum reformationem, institutum fuit, bene†dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit, (*vel* haec famula tua, quae eo usa fuerit; *vel* hi famuli tui, qui eo usi fuerint; *vel* hae famulae tuae quae eo usae fuerint), eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur (*vel* mereantur). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos, nihil dicendo aspergit scapulare aqua benedicta; deinde illud imponit dicens:

Accipe, frater (*vel* soror) scapulare Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae, ut ea intercedente veterem hominem exutus (*vel* exuta), et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si in plurali vult adhibere formulam juxta dicta superius p. 284 *dicat:*

Accipite scapulare Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae, ut ea intercedente, veterem hominem exuti, et ab omni peccatorum inquinamento mundati, ipsum perferatis sine macula et ad vitam perveniatis sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea subjungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (*vel* vos) ad participationem bonorum omnium spiritualium, quae in Clericorum Regularium Congregatione ex gratia Dei fiunt, et quae per sanctae Sedis Apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Patris et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Describat nomen ejus (vel nomina eorum) in libro consueto, et dicat trina vice flexis genibus, orationem sequentem vulgari sermone una cum adscripto (vel adscriptis):

Laudes ac gratiae sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento. (1)

Et benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatae Virginis Mariae (Matris Dei). (2)

Lof en dank zij ten allen tijde aan 't hoogheilig en goddelijk Sacrament.

En gezegend zij de heilige en onbevlekte Ontvangenis der gelukzalige Maagd en Moeder Gods Maria.

Hortetur fideles, ut haec elogia saepius repetant ad indulgentias iis adnexas consequendas.

VIII. RITUS SERVANDUS IN RECEPTIONE CONFRATRUM ET IMPOSITIONE HABITUS SOCIETATIS SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Ad pag. 223. (3)

Sacerdos indutus superpelliceo et stola alba dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni coelestis perduceres,

---

(1) Pro primo elogio: *Laudes* etc. concessit Pius VI Rescr. 24 Mai 1776 1°. 100 dies semel in die; 2°. 100 dies ter in die Iovis et per octavam Corporis Christi; 3°. indulg. plen. semel in singulis mensibus, si eam quis quotidie recitaverit et confessus et s. comm. refectus oraverit pro S. Matre Ecclesia etc.

Pius VII vero concessit insuper 100 dies si dicitur ad signum campanae indicans vel benedictionem vel aliam solemnitatem in honorem SSmi. Decr. 30 Jun. 1818; et insuper quoties quis eam recitat in Missa sub elevatione s. specierum. Decr. 7 Dec. 1819. *Raccolta p.* 82 (88).

(2) Pro secundo: *Benedicta*, Pius VI concessit d. 21 Nov. 1793 toties quoties 100 dies. *Raccolta p.* 184 (199). Leo XIII vero Brevi 10 Sept. 1878 concessit qualibet vice 300 dies si adjiciantur verba «*Matris Dei*» *Acta XI p.* 587.

(3) Rituale Rom. Append. edit. novissima, p. CLXXXI.

respice quaesumus, super hanc familiam servorum tuorum in nomine beatissimae Virginis septem Doloribus sauciae congregatam, de cujus gremio hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) esse cupit, (*vel* hi famuli tui, *vel* hae famulae tuae esse cupiunt), ut augeatur numerus tibi fideliter servientium et omnibus saeculi et carnis perturbationibus liberatus (*a*, *i*, *ae*), et a laqueis diaboli securus (*a*, *i*, *ae*) intercessione ejusdem beatae Mariae Virginis, beatorum Augustini et Philippi et septem nostrorum beatorum Patrum Ordinis Fundatorum vera gaudia possideat (possideant). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergit habitum aqua benedicta, dicens: Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.

Deinde benedicit rosarium septem Dolorum B. M. V. (si habet potestatem) dicens: vide infra n. IX.

Sacerdos imponit habitum et cuilibet coram se genuflexo dicit:

Accipe, carissime frater (*vel* carissima soror), habitum beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos in vita et morte unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus (*vel* induta) sub ejus patrocinio perpetuo vivas. ℟. Amen.

In plurali: Accipite habitum beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos in vita et morte unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita induti sub ejus patrocinio perpetuo vivatis. ℟. Amen.

Reddit rosarium (si est benedictum) dicens ut infra notatur. n. IX.

Hortetur adscriptum, ut regulas observet ad sacras indulgentias assequendas; denique datur benedictio.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Fi✝lii et Spiritus Sancti, descendat super te (*vel* vos) et maneat semper. ℟. Amen.

—

IX. BENEDICTIO CORONAE SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Ad pag. 223. (1)

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum, Jesum Christum, pro redemptione nostra de coelis ad terram descendere, carnem suscipere et crucis tormentum subire voluisti; obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc coronam (*vel* has coronas) in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam (*vel* dicatas) bene✝dicas, sancti✝fices et ei (*vel* eis) tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicumque eam recitaverit, ac secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo a beatissima Virgine Maria tibi bonis operibus coronatus praesentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sacerdos aspergat coronam aqua benedicta. Postea eam porrigens dicat:

Accipe coronam beatae Mariae Virginis, in memoriam septem Dolorum suorum contextam, ut dum eam ore laudaveris, ejus poenas toto corde compatiaris. Amen.

Deinde benedicens dicat:

Benedictio Dei omnipotentis, *ut supra p.* 288.

(1) Rituale Rom. Append. p. CLXXXI.

X. BENEDICTIO ET IMPOSITIO SCAPULARIS SS. TRINITATIS.

Ad pag. 230. (1)

Sacerdos indutus superpelliceo et stola albi coloris dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam; ut hoc genus vestimenti, quod sancti patres ad innocentiae et humilitatis indicium abrenuntiantes saeculo ferre sanxerunt, tu ita bene✝dicere digneris, ut hi famuli tui, qui hoc induti fuerint vestimento (*vel* hae famulae tuae, quae hoc indutae fuerint vestimento, *vel* hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit vestimento, *vel* haec famula tua, quae hoc induta fuerit vestimento), te quoque induere mereantur (*vel* mereatur). Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟ Amen.

Postea aspergit aqua benedicta.

Modus imponendi dictum scapulare.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut hos famulos tuos, quibus (*vel* has famulas tuas, quibus, *vel* hunc famu-

(1) Rituale Roman Append. p. CXXXVI.

lum tuum, cui, *vel* hanc famulam tuam, cui), in tuo nomine habitum Religionis Sanctissimae Trinitatis imponimus, tu ita bene✝dicere digneris; ut te largiente devoti persistant et vitam consequi mereantur aeternam. (*Vel* devotae persistant et vitam consequi mereantur aeternam, *vel* devotus persistat et vitam consequi mereatur aeternam, *vel* devota persistat et vitam consequi mereatur aeternam). Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Nunc imponitur sacrum scapulare a sacerdote dicente:

Accipe habitum Sanctissimae Trinitatis in augmentum fidei, spei et charitatis: in nomine Patris et Filii ✝ et Spiritus Sancti. ℟. Amen. (1)

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, (*vel* famulabus tuis, *vel* famulo tuo, *vel* famulae tuae) in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem: quaesumus; ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniantur (*vel* muniatur) adversis.

Deus qui per sanctos Joannem et Felicem Ordinem Sanctissimae Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, coelitus instituere dignatus es: praesta quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae, te adjuvante, liberentur hi famuli tui. (*Vel* hae famulae tuae. *vel* liberetur hic famulus tuus, *vel* haec famula tua). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(1) Si fideles sibi imponunt scapulare dicatur: Accipite habitum etc.

Suscipiat vos (te) Sanctissima Trinitas in numerum confratrum, consororumque confraternitatis nostrae: et licet vos (te) indigne suscipimus, in orationibus tamen nostris precamur, ut vobis (tibi) Sanctissima Trinitas concedat tempus bene vivendi, constantiam perseverandi; et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in coelis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Datur benedictio, dicendo:

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, et Fi†lii et Spiritus † Sancti descendat super vos (super te) et maneat semper. ℟. Amen.

—

XI. BENEDICTIO SCAPULARIS RUBRI, PRETIOSI SANGUINIS J. C.

Ad pag. 236. (1)

Sacerdos sit superpelliceo et stola rubra indutus et dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aeterne Pater, et omnipotens Deus, qui unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere, et sanguinem suum pretiosum pro mundi salute effundere voluisti; obsecramus clementiam tuam, ut hoc genus vestimenti quod in signum

(1) Ex pagella Roma missa.

devotionis fidelium erga salutis nostrae pretium institutum est, bene✝dicere et sanctifi✝care digneris; ut quicumque eo usus fuerit, induere mereatur eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Formula impositionis non datur, nec necesse est ut a sacerdote imponatur.

Habetur etiam benedictio vestium votivarum quas confratres more romano gerere possunt in processionibus et aliis functionibus sacris ut signum distinctivum vel tesseram confraternitatis. Formulam benedictionis omittimus utpote in nostra regione vestes ejusmodi ignotae sunt. Vestes ejusmodi debent esse nigrae cum ornamentis rubeis. Monita n. 4 Rescr. auth. p. 550.

Benedictio cingulorum seu vittarum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Redemptorem, ac ejus Sanguine placari voluisti, da nobis tuae dilectionis augmentum, et super hos funiculos (vel super has vittas) bene✝dictionem tuam effundere digneris, ut quicumque eis cinctus fuerit suorum delictorum contritionem in terris habere mereatur, et ab omni carnis labe, cunctis periculis mentis et corporis liberatus, ad vitam perveniat aeternam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio coronarum Pretiosi Sanguinis. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo,
℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.
℣. Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni,
℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum de coelis in terram descendere, et de Beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sacratissimo, Angelo annuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam; ut has coronas in honorem et laudem pretiosi Sanguinis ejusdem Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatas bene✝dicas et sancti✝fices, eisque tantam infundas virtutem ✝ Spiritus Sancti, ut quicumque harum quamlibet secum portaverit, aut in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et post exitum suum, meritis ipsius pretiosissimi Sanguinis, ad aeternam beatitudinem feliciter perveniat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

(1) Rituale Rom. Append. p. CLI.

XII. FORMULA BREVIS BENEDICENDI ET IMPONENDI SCAPULARIA SS. TRINITATIS, B. M. V. DE MONTE CARMELO, IMMACULATAE CONCEPTIONIS ET SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Ad pag. 236. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, omnium caput fidelium, et humani generis Salvator, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut indumenta haec in obsequium Sanctissimae Trinitatis instituta nec non in honorem Beatae Virginis Matris tuae sine labe conceptae, doloresque tuos ac vices peramanter dolentis, et Carmeli Ordinem suo patrocinio decorantis, ita bene✝dicere et sancti✝ficare digneris, ut qui (*vel* quae) ea assumpserint, eadem Genitrice tua intercedente, Te quoque Salutare nostrum corpore et anima induere mereantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergit aqua benedicta, et illa imponit, dicens:

Si plures sint, omnes primo induantur, deinde formula pronuntietur super omnes simul.

1. Accipite *habitum Ordinis Sanctissimae Trinitatis* in fidei, spei et charitatis augmentum, ut induatis novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.

---

(1) Juxta pagellam Roma a S. C. de Propag. Fide missam Patribus SS. Redemptoris 14 Sept. 1857. NB Scapulare B. V. de Monte Carmelo jam semper et a Nostris post 27 Aprilis 1897 separatim ab aliis scapularibus, sua formula propria est imponenda. Vide Supra p. 26.

2. Accipite *habitum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo*, ut ejus patrocinio ab omni errore et adversitate liberati Domino fideliter serviatis.

3. Accipite *scapulare devotorum Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae*, ut ejus intercessione ab omni inquinamento mundati ad vitam perveniatis aeternam.

4. Accipite habitum *servorum Beatae Mariae Virginis septem Dolores ejus devote recolentium*, ut dolores ipsos assidue recogitantes, Passio Domini nostri Jesu Christi sit in corde et corpore vestro.

Admissio in confraternitates.

Ego ex facultate apostolica mihi delegata recipio vos in participationem bonorum spiritualium et indulgentiarum, quibus praedicti Ordines seu Congregationes pollent, in nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quibus in tuo nomine sacros habitus imposuimus, ita bene†dicere di-

generis, ut tuae gratiae cooperantes vitam consequi mereantur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

NB. 1. *Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personae sint scapularia imponenda.*

2. *Scapulare B. V. montis Carmeli post* 27 *Aprilis* 1897 *separatim est imponendum juxta formulam supra descriptam.*

3. *Similiter agendum cum scapulari Pretiosissimi Sanguinis, usque dum obtineatur formula in qua et hoc scapulare commemoratur.*

—

XIII. RENOVATIO PROMISSIONUM BAPTISMALIUM.

Ad pag. 238.

Pro pueris.

1. Exponat missionarius dona et privilegia maxima et pretiosa (I. Petr. II: 4) quae nobis in sacrosancto baptismate sunt collata. Quantopere igitur deceat, ut pro tanto beneficio Deo gratias referamus, et omni studio allaboremus, ut dona nobis collata non solum integra servemus sed etiam cum eis exoptatos fructus producamus. In memoriam revocet verba prolata cum capiti nostro linteolum album imponebatur: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ad tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam.* Et illa quae proferebantur cum candela accensa porrigebatur: *Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum.* Exponi posset parabola de talentis. Matth. XXV : 14 etc.

2. Hortetur eos ut sedulo donum fidei et pietatis conservent juxta illud divini Salvatoris: „Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur". Marc. XVI : 16. — Hinc

prima interrogatio: *Quid petis ab Ecclesia Dei?* et responsum fuit: *Fides.*

℣. En gij mijne kinderen wat begeert gij van de Kerk Gods?

℟. Het geloof.

℣. Legt belijdenis af van uw geloof.

Et recitent simul Symbolum Apostolicum faciendo pausas ad signum missionarii post singulos articulos; *vel* missionarius proponat singulos articulos in forma interrogatoria quibus pueri respondent: „Ik geloof"; *vel* proponat sequentes interrogationes ex Rituali:

℣. Gelooft gij in God den Vader almachtig, Schepper van hemel en aarde?

℟. Ik geloof.

℣. Gelooft gij in Jesus Christus, zijnen eenigen Zoon, onzen Heer die voor ons geboren is en geleden heeft?

℟. Ik geloof.

℣. Gelooft gij in den H. Geest, ééne heilige Katholieke Kerk, de gemeenschap der Heiligen, de vergiffenis der zonden, de verrijzenis des vleesches en het eeuwige leven?

℟. Ik geloof.

De twaalf artikelen des geloofs.

1. Ik geloof in God, den Vader almachtig, Schepper van hemel en aarde.

2. En in Jesus Christus, zijnen eenigen Zoon, onzen Heer;

3. Die ontvangen is van den H. Geest, geboren uit de Maagd Maria;

4. Die geleden heeft onder Pontius Pilatus, is gekruist, gestorven en begraven;

5. Die is nedergedaald ter helle, ten derden dage verrezen van de dooden;

6. Die is opgeklommen ten hemel, zit aan de rechterhand van God den Vader almachtig.
7. Van daar zal hij komen oordeelen de levenden en dooden.
8. Ik geloof in den Heiligen Geest;
9. De Heilige Katholieke Kerk, gemeenschap der Heiligen;
10. Vergiffenis der zonden;
11. Verrijzenis des vleesches;
12. Het eeuwige leven. Amen.

℣. Wat geeft u het geloof?
℟. Het eeuwige leven.
℣. Wilt gij dan ingaan tot het leven, onderhoudt de geboden.
℣. En welke zijn die geboden?

Et recitent pueri, interpositis pausis, decalogum et praecepta Ecclesiae juxta formulam quam didicerunt.

Vel missionarius post verba „onderhoudt de geboden" pergat: *Gij zult den Heer uwen God liefhebben uit geheel uw hart, en uit geheel uwe ziel, en uit al uw verstand; en uwen naaste als u zelven.*

De tien geboden Gods.

1. Ik ben de Heer uw God. Gij zult geene vreemde goden voor mijne oogen hebben. Gij zult u geen gesneden beeld of gelijkenis maken. Gij zult die niet aanbidden of godsdienst aandoen.
2. Gij zult den naam van den Heer uwen God niet ijdel gebruiken.
3. Wees indachtig, dat gij den Sabbatdag heiligt.
4. Eer uwen vader en uwe moeder opdat gij lang moogt leven op aarde.
5. Gij zult niet doodslaan.
6. Gij zult geen overspel bedrijven.
7. Gij zult niet stelen.

8. Gij zult tegen uwen naaste geen valsche getuigenis geven.
9. Gij zult uws naasten huisvrouw niet begeeren.
10. Gij zult zijn huis niet begeeren, noch zijn land, noch zijnen dienstknecht, noch zijne dienstmaagd, noch zijnen os, noch zijnen ezel, noch iets van alles wat hem toebehoort.

Of wel, naar oud gebruik, als volgt:

1. Boven al bemin éénen God.
2. IJdelijk zweer noch spot.
3. Vier de heilige dagen des Heeren.
4. Vader en moeder zult gij eeren.
5. Met wil of met werken sla niemand dood.
6 Doe geen overspel of onkuischheid snood.
7. Wacht u voor stelen en onrechtvaardig leven.
8. Gij zult geen getuigenis der valschheid geven.
9. Begeer ook niemands echtgenoot,
10. Noch iemands goed, het zij klein of groot.

De vijf geboden der H. Kerk.

1. De geboden heilige dagen zult gij vieren.
2. Dan ook Mis hooren met goede manieren.
3. Geen geboden vastendagen zult gij breken.
4. Gij zult ten minste eens 's jaars uwe biecht spreken.
5. En nuttigen omtrent Paschen het lichaam des Heeren.

Dixitque illi: „Recte respondisti, hoc fac et vives." Luc. X: 28; evolvet sensum horum verborum.

Addi posset sequens oratio ex Rituali:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hos famulos tuos, quos ad

rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eis expelle, disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerant colligati; aperi eis Domine, januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbuti, omnium cupiditatum foetoribus careant, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laeti tibi in Ecclesia tua deserviant, et proficiant de die in diem. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

—

XIV. AKTE VAN TOEWIJDING AAN DE ALLERH. MAAGD.

Ad pag. 239.

—

1. Pro pueris.

Allerheiligste Maagd en Moeder Gods Maria, ik N. alhoewel onwaardig onder het getal uwer Dienaren (Dienaressen) opgenomen te worden, betrouwende nochtans op uwe wonderbare goedheid en gedreven door de begeerte om U te dienen, verkies U heden voor mijne Moeder en Meesteres; ik neem mij vastelijk voor U alle de dagen van mijn leven te eeren en te dienen. Daarom smeek ik U ootmoedig, o goedertierenste Moeder, mij onder het getal van uwe kinderen op te nemen, en mij van God de genade te verkrijgen van zoo te leven, dat noch in mijne gedachten, noch in mijne woorden, noch in mijne daden ooit iets gevonden worde, wat Uwen Goddelijken Zoon of U kan mishagen. Sta mij bij alle de dagen van mijn leven, maar vooral in het uur van mijnen dood. Amen.

—

2. Kortere toewijding. (1)

O mijne Koningin, o mijne Moeder, ik draag mij geheel

(1) O Domina mea.

en al aan U op, en om U te toonen dat ik U toebehoor, wijd ik U heden mijne oogen, mijne ooren, mijnen mond, mijn hart, ja geheel mijn bestaan. Daar ik dan, o goede Moeder, geheel de uwe ben, zoo bewaar mij, bescherm mij als uw eigendom en uwe bezitting.

3. Voor kleineren.

O mijne Koningin, o mijne Moeder, gedenk dat ik U toebehoor. Bewaar mij, bescherm mij als uw eigendom en uwe bezitting. (1)

Of wel:

Heilige Maria, Moeder van mijn God en ook onze Moeder, bescherm ons, uwe kleine kindertjes, alle de dagen van ons leven en vooral in het uur van onzen dood. Amen.

Addi posset, nisi sequatur benedictio, sequens oratio.

Oremus.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer, insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

—

XV. RITUS PUEROS BENEDICENDI.

Ad pag. 239.

1. Ostendat missionarius quantopere Jesus parvulos diligat; in hunc finem potest praelegere sequens Evangelium.

(1) Ad preces Praep. Gen. Soc. J. Pius IX in Audientia 5 Aug. 1851 concessit 1° iis qui praefatam orationem sub n. II et III (a P. Succhi nuncupatam) quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, mane et vespere post dictam cum fervore et corde saltem contrito Salutationem Angelicam recitaverint Indulg. *100 d.* semel in die; 2° iis vero qui singulis diebus per mensem id praestiterint *plenariam semel in mense* acquirendam eo die quo vere poenitentes confessi et S. Comm. refecti aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique . . . . oraverint. 3°. Et quoties in quavis tentatione aspirationem sub n. III tantum recitaverint toties 40 dierum Indulg. (Fid. Def. applicabiles). Arch. Prov., Racolta p. 193 (208).

EVANGELIE

volgens den H. Marcus, het Xe hoofdstuk van het 13e tot het 16e vers.

En men bracht kinderen tot Hem (Jesus) opdat Hij die zoude aanraken. De leerlingen nu berispten degenen, die ze brachten. Maar toen Jesus hen (zoo) zag (handelen), nam Hij het zeer kwalijk en zeide tot hen: laat de kindekens tot mij komen, en verhindert hen niet; want voor dezulken is het rijk van God. Voorwaar, zeg Ik u: Alwie het rijk Gods niet ontvangt, gelijk een kind, hij zal het niet ingaan. En Hij nam hen in zijne armen, legde hun de handen op, en zegende hen.

2. Si vero adsint adulti, addi posset evangelium de non scandalizandis parvulis.

EVANGELIE

volgens den H. Mattheus, het XVIIIe hoofdstuk van het 5e tot het 14e vers.

En wie één zoodanig kind op mijnen naam ontvangt, ontvangt Mij, doch wie één van deze kleinen, die in Mij gelooven, ergert, het is hem beter, dat een ezels-molensteen aan zijnen hals gehangen en hij in de diepte der zee verdronken worde. Wee der wereld wegens de ergernissen! Want het is noodzakelijk, dat er ergernissen komen, nochtans wee dien mensch, door wien de ergernis komt! . . . .

Ziet toe dat gij niet één van deze kleinen veracht! want Ik zeg u, (1) dat hunne Engelen in den hemel altijd zien het aangezicht mijns Vaders, die in den hemel is; (2) want de Zoon des menschen is gekomen om zalig te maken wat verloren was. (3) Wat dunkt u! Zoo iemand honderd schapen heeft, en één van deze verdoolt, laat hij niet de negen en negentig op de bergen, en gaat hij niet het verdoolde opzoeken?

En gebeurt het dat hij het vindt, voorwaar, zeg ik u, dat hij zich meer over hetzelve verheugt, dan over de negen en negentig, die niet verdoolden. Evenzoo is het de wil niet van uwen Vader die in den hemel is, dat er één van deze kleinen verloren ga.

Uitlegging.

(1) Eerste beweegrede waarom wij zorgen moeten de kleinen niet te ergeren. Hunne beschermengelen behooren tot de voornaamste dienaren van den Allerhoogste, en zouden alzoo gemakkelijk Gods straffende hand kunnen doen neerkomen over dezulken, die ergernis geven aan hunne beschermelingen.

(2) Tweede beweegrede: doel van de genaderijke komst des Verlossers....

(3) Derde beweegrede: het groot belang wat God stelt in de zaligheid van allen. (Volgens Beelen).

1. Benedictio infantis. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum in terram.
℣. Deus noster miseretur,
℟. Custodiens parvulos Dominus.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ante omnia saecula genitus, in tempore tamen infans esse voluisti, et hujus aetatis diligis innocentiam; qui parvulos tibi oblatos amanter complexus es, eisque benedixisti: infantes istos (infantem

(1) Rit. Rom. Append. p. LXXVIII.

istum) praeveni in benedictionibus dulcedinis, et praesta; ne malitia mutet intellectum eorum (ejus); eisque (eique) concede; ut proficientes (proficiens) aetate, sapientia et gratia tibi semper placere valeant (valeat). Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde infantem aspergat aqua benedicta in modum crucis dicens:

Pax et benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii ✝ et Spiritus Sancti descendat super vos (te), et maneat semper. ℟. Amen.

Si fuerint plures, oratio et benedictio dicantur in numero plurali.

2. Benedictio pueri ad obtinendam super ipsum misericordiam Dei. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum in terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui dixisti: sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum; super hos pueros tuos (hunc puerum tuum) virtutem bene✝dictionis tuae infunde, ac ad Ecclesiae et parentum illorum (illius) fidem ac devotionem respice; ut virtute ac sapientia apud Deum et homines proficientes (proficiens) ad optatam perveniant (perveniat) senectutem, et salutem consequantur (consequatur) aeternam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Psalmus 112.

Laudate, pueri, Dominum, * laudate nomen Domini.

(1) Rit. Rom. Append. p. LXXIX.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * et super coelos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem * et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper *, et in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, *dicitur secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti, descendat super vos (te), et maneat semper. ℟. Amen.

3. Benedictio puerorum cum praesertim in ecclesia praesentantur. (1)

Die et hora constitutis, pueri conveniant in ecclesiam, quos ibi a parentibus vel magistris associari maxime deceret, ut in silentio et modestia facilius se componant. Quibus per ordinem dispositis, et pueris a puellis, si adsint, separatis, sacerdos ad ipsos accedat, et brevissimo ac simplici sermone eos alloquatur, prout opportunum sibi visum fuerit.

Deinde stans versus eos dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

1) Rit. Rom. Append. p. LXXX.

Antiphona. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Psalmus 112 *incipitur a secundo versu:* Sit nomen Domini benedictum, ut supra.

Et repetitur antiphona: Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Qui psalmus cum sua antiphona, si paucis tantum, aut minus solemniter conferatur benedictio, omitti poterit.

Finito psalmo et repetita antiphona, sacerdos dicit:

℣. Sinite parvulos venire ad me,
℟. Talium est enim regnum coelorum.
℣. Angeli eorum,
℟. Semper vident faciem Patris.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos et ad te venientes complexus es, manusque super illos imponens benedixisti eis, atque dixisti: sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos, talium est enim regnum coelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei; respice, quaesumus, ad puerorum (*vel* puellarum, *si solae adsint puellae*) praesentium innocentiam, et ad eorum parentum devotionem, et clementer eos (vel eas) hodie per ministerium nostrum bene✝dic, ut in tua gratia et misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, et mandata tua custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant, per te, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea manu dextera producens signum crucis super pueros, benedicit eos, dicens:

Benedicat vos Deus, et custodiat corda vestra et intelligentias vestras, Pater et Filius ✝, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Deinde aspergat pueros aqua benedicta in modum crucis.

—

Sequitur in Rituali Benedictio puerorum aegrotantium.

Si forte danda est benedictio pueris in solemnitate, quae in sodalitate Sacrae Infantiae bis in anno celebratur, sequens formula est adhibenda.

4. Formula benedictionis puerorum atque puellarum in festis Sanctae Infantiae.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Quaesumus, omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene✝dicere dignare, et per virtutem Sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam sancti-

fica, castimoniam promove, sensus eorum bonis operibus unice intentos custodi, prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, et ab omnibus diabolicis atque humanis insidiis tua protectione et virtute semper defende, ut, te miserante, Paradisi requiem tandem feliciter assequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. ℟ Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos, et ad te venientes, complectebaris (*hic ponat manus super capita puerorum*) manusque super illos imponens, eis benedicebas dicens: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos, talium est enim regnum coelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei; respice, quaesumus, ad puerorum et puellarum praesentium devotionem, et benedictio tua copiosa super illos descendat, ut in tua gratia et charitate proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, mandata tua custodiant, et ad exoptatum finem perveniant, per te, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti descendat super vos, custodiat, atque dirigat vos, et maneat semper vobiscum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

XVI. RITUS BENEDICENDI CRUCEM MISSIONIS.

Ad pag. 246.

Dum affertur crux intonatur hymnus: Vexilla Regis, quem chorus vel clerus prosequitur, usque ad: O Crux ave.

HYMNUS.

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Inpleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Beata cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

Benedictio crucis. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic, Domine Jesu Christe, hanc crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate daemonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. (*Hic aspergat*

(1) Rit. Rom. p. 309.

aqua benedicta) Sanctificetur hoc signum crucis in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti; ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante crucem devote adoret et osculetur, et idem faciant quicumque voluerint.

Crucis erectio.

Ad cantum: O crux, ave, erigatur crux.

O crux, ave, spes unica,
In hac triumphi gloria
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.
Te, fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

Si videbitur addi potest antiphona: O Crux, splendior, ex primis vesperis in Exaltatione Crucis 14 *Septembris cum Magnificat. — Quibus dictis vel omissis dicatur:*

℣. Hoc signum crucis erit in coelo,
℟. Cum Dominus ad judicandum venerit.

Oremus.

Deus, qui nos hodierna die exaltationis sanctae crucis solemnitate laetificas: praesta quaesumus: ut cujus mysterium in terra cognovimus, ejus redemptionis praemia in coelo mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Vel

Respice quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus

tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Publicentur indulgentiae. Et eae quae in decursu anni lucrandae sunt in tabula aliqua exarandae essent, quae juxta crucem ponatur. Vide supra p. 75.

Aflaten geschonken wegens het missie-kruis.

I. *Op den dag der wijding of oprichting.*

1. Paus Leo XII r. g. heeft aan allen die bij de plechtige inwijding van het missie-kruis godvruchtig tegenwoordig zijn, verleend een vollen aflaat, mits men biecht, communiceert en eene kerk bezoekt en aldaar eenigen tijd bidt volgens de meening van Z. H. (1)

2. Daarenboven heeft dezelfde Paus Leo XII verleend een tweeden vollen aflaat te verdienen onder dezelfde voorwaarden als zoo even vermeld zijn binnen de zes maanden welke nu volgen. Dus van . . . . . tot . . . . . (2)

3. Z. H. Leo XIII heeft bovendien een aflaat verleend van 300 dagen aan allen die de plechtige wijding van het missie-kruis godvruchtig bijwonen. (3)

II. *Aflaten die vervolgens elk jaar te verdienen zijn.*

1. Een volle aflaat onder boven vermelde voorwaarden:

a. Op den verjaardag der oprichting van het missie-kruis of zoo deze in de week valt, op den Zondag daarop volgende.

b. Op den feestdag der Kruisvinding. (3 Mei).

c. Op den feestdag der Kruisverheffing. (14 Sept.)

Alle deze aflaten zijn verleend door Z. H. Pius IX, den 19 Dec. 1875. (4)

d. Nog een volle aflaat verleend door Z. H. Leo XIII, te verdienen in de maand December op een dag naar verkiezing, mits men driemaal

---

(1) In Prov. Neerl., Belg. et Helvet., vide supra p. 79.
(2) Ibid.
(3) Die 22 April. 1882; supra p. 76.
(4) Universae Societati; vid. supra p. 73.

in de maand voor het missie-kruis gebeden heeft driemaal het *Onze Vader* en *Wees gegroet* met *Eere zij den Vader* enz. ter gedachtenis van de drie uren welke Jesus in doodstrijd heeft doorgebracht. (1)

2. Gedeeltelijke aflaten:

Voor het zooeven vermeld gebed, elken dag éénmaal 5 jaren, verleend door denzelfden Paus. (2)

XVII. AKTE VAN EERHERSTELLING. (3)

Ad pag. 242.

Goddelijke Jesus, onze Verlosser en Heer, gedoog dat wij, ofschoon nietig stof en asch, tot U naderen. Neergebogen voor den troon uwer barmhartigheid, belijden wij met de bitterste droefheid des harten voor U, en verfoeien wij in uwe tegenwoordigheid, onze bedrevene misdaden en gruwzame ondankbaarheid. Van den eersten stond onzes levens hebt Gij niet opgehouden ons met weldaden te overladen . . . . Toen wij van U waren afgedwaald, hebt Gij ons opgewacht en opgezocht; gij voorkwaamt ons met uwe genade, zelfs toen wij ons uwer genade alleronwaardigst maakten; maar wij boden weerstand aan die genade, wij versmaadden uwe aanzoekingen tot inkeer, en wij hebben van alle gaven, ons door U geschonken, een schandelijk misbruik gemaakt. Het geduld, waarmede Gij ons in onze afdwalingen hebt opgewacht, vermeerderde slechts onzen trots, en maakte ons stoutmoediger en vermeteler om U te beleedigen. Zoo hebben onze zonden zich vermenigvuldigd in het oneindige, zoo hebben onze snoodheden met alle recht uwen wrekenden arm gewapend

---

(1) Die 12 April. 1882, vid. supra p. 75.

(2) Eodem rescripto, vid. p. 76, n. 3; cf. p. 78, n. 8.

(3) Naar die van Mgr. de Belsunce, Bisschop van Marseille, ter gelegenheid dat de stad door eene gruwzame pest geteisterd werd. Nampon, p. 403.

(waarvan wij reeds voor een gedeelte de zwaarte ondervonden hebben.) (1)

Doordrongen van een innig leedwezen (dat wij U alzoo gedwongen hebben, ons zoo zwaar te straffen) nemen wij onze toevlucht tot uwe barmhartigheid; als de verloren zoon keeren wij tot U onzen Vader terug, want wij kennen uwe goedertierenheid. Bezield met de oprechtste gevoelens van smart, komen wij allen te zamen, herder en schapen, op dezen plechtigen dag van verzoening en genade, U allerootmoedigst vergiffenis vragen en aan uw goddelijk Hart in het allerheiligst Sacrament eerherstelling brengen, voor alle verguizingen, beleedigingen, versmaadheden en onteeringen, die Gij in dat liefdesacrament hebt ondergaan hier en elders.

Vergeving, o Jesus, vergeving voor zoo vele onwaardige communiën en heiligschennissen, voor alle goddeloosheden, voor alle zonden van oneerbaarheid, van woeker en onrechtvaardigheden, van eerroof en laster. (2)

In één woord vergeving, o Jesus, voor al onze misdaden en snoodheden.

Wij hebben U beleedigd, o Heer, omdat wij zondige menschen zijn, doch vergeef Gij ons, omdat Gij God zijt. Zijt Gij niet altoos een Vader van barmhartigheid die niet den dood des zondaars verlangt, maar dat hij zich bekeere en leve? Dat uw heilig Hart, waarvan wij reeds zoo menigwerf de grootste blijken van goedertierenheid ondervonden hebben, dat uw Hart, onuitputtelijke bron van genade, zich late verteederen door onze boetvaardigheid, onze verzuchtingen en onze tranen!

---

(1) De woorden tusschen haakjes kunnen weggelaten worden, als hebbende betrekking op eene bijzondere omstandigheid.

(2) *Enumera peccata publica magis communia.* Vloeken, verwenschen, dronkenschap ..... spotten met den godsdienst etc., haat, nijd etc., *peccata per omissionem:* verzuim van mis hooren, van paaschplicht, van de plichten van zijn staat; ouders, meesters, kinderen, dienstboden; rijken, armen; het ontheiligen van Zon- en Feestdagen, *peccata aliena:* het geven van ergernis, het verleiden tot zonden enz.

Spaar, o Heer, spaar uw volk! . . . . Bij de verdiensten van uw kostbaar bloed en de goedertierenheid van uw goddelijk Hart, smeeken wij U, wend de verdiende straffen van ons af, doe onze harten tot U terugkeeren, niet zoo zeer door de vreeze voor de gestrengheden uwer oordeelen en gerechte wraak, maar veeleer door de lieflijkheden uwer genade en de zoetaardigheid van uw Hart. Verdelg in ons al wat zondig is, geef ons een nieuw hart, dat voortaan niets anders méer betracht dan de bedrevene zonden te verfoeien, U te behagen, U te dienen, en de eeuwige gelukzaligheid te verwerven, waarvoor Gij ons geschapen hebt. Amen.

—

XVIII. EXERCITIUM VIAE CRUCIS.

Ad pag. 247.

1. Missionarius ascendit suggestum et annuntiat quid sit acturus.

2. Cantantur 1ª et 2ª stropha hymni *Stabat Mater*. Interim clerus accedit ad altare, praeeunte cruce cum ceroferariis. Vide supra p. 246.

3. Missionarius excitat compassionem erga Christum Dominum, dolorem de peccatis quae sunt causa passionis, et zelum ad emendandam vitam.

Vidimus eum et non erat aspectus. Isaias, VIII: 2. — Propter scelus populi mei percussi eum. Ibid. 8. — Scito et vide quia malum et amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum. Jer. II: 19. — Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum et plorabo die ac nocte. Jer. IX: 1.

4. Tendit clerus ad 1ªm stationem sub cantu strophae sequentis hymni *Stabat Mater*. Vide hymnum pag. 325.

Missionarius facit ad singulas stationes considerationem super mysterio proposito cum conclusione practica juxta fines supra n. 3 indicatos.

Sacerdos visitans stationes vel ipse missionarius praemittit singulis meditationibus;

℣. Wij aanbidden u, o Christus, en wij loven u,
℟. Omdat Gij door uw kruis de wereld verlost hebt.

Et post considerationem.

℣. Onze Vader.
℟. Geef ons heden enz.
℣. Wees gegroet.
℟. H. Maria enz.
℣. Ontferm u onzer, Heer.
℟. Ontferm u onzer.
℣. O God wees ons, arme zondaars, genadig. ℟. Amen.

Ie Statie.

Jesus wordt door Pilatus ter dood veroordeeld.

Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Matth. XXVII: 26.

O Jesus, wij zijn de schuldigen, Stipendia peccati mors. Rom. VI: 28 . . . Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam quum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. V: 8.

Ergo: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem. Rom. VI: 19.

IIe Statie.

Jesus neemt het kruis op zijne schouders.

Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum. Joan. XIX: 17.

O Jesus, hoe zwaar viel U dat kruis maar hoeveel zwaarder vielen U mijne zonden . . . . A saeculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea et dixisti: non serviam. Jer. II: 20 . . . . Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris, jugum meum suave est, et onus meum leve. Matth. XI: 29 et 30.

III^e Statie.

Jesus valt de eerste maal onder het kruis.

Ach, hoe dikwijls ben ook ik in zonden hervallen, hoe roekeloos hebben wij zonden op zonden gestapeld. Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis. Prov. I: 24 et 25 . . . Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Eph. V: 14.

IV^e Statie.

Jesus ontmoet zijne lieve Moeder.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. II : 35. Welke ontmoeting! Wie beschrijft de smart . . . . Ne vocetis me Noemi id est pulchram, sed vocate me Mara id est amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens. Ruth I : 20 . . . . Benedicta tu . . . pro quibus non pepercisti animae tuae . . . . Sed subvenisti ruinae ante conspectum Dei nostri. Judith XIII : 23—25. — Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.

V^e Statie.

Simon van Cyrene wordt gedwongen Jesus' kruis te dragen.

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Matth. XXVII : 32.

Zoo dan lieve Jesus, zijt gij onmachtig uw kruis verder te dragen! Geen wonder . . . Zoo wildet Gij voor mijne onwilligheid voldoen . . . Et dixi nunc coepi. Ps. LXXVI : 11 . . . . Geef kracht en genade, want te recht hebt Gij gezegd: Qui non bajulat crucem suam post me, non potest esse meus discipulus. Luc. XIV : 27.

VI^e Statie.

Veronica reinigt het gelaat van Jesus.

Veronica, eene der weinigen die den versmaden Jesus getrouw waren gebleven, wilde hem nog een laatste blijk van hare liefde geven. Toen de stoet haar huis voorbij ging, drong zij onverzaagd

door de menigte heen en wierp zich voor de voeten van den goddelijken Meester neder. Zijn gelaat met zweet en bloed overdekt ziende, neemt zij haren sluier om het daarmede af te drogen. Jesus drukte den doek tegen zijn gelaat en liet daarin tot aandenken het afbeeldsel van zijn heilig aangezicht achter.

O Jesus, druk de gedachtenis van uw smartvol lijden zoo levendig in mijn hart, dat het mij immer, maar vooral in de bekoringen voor den geest staat.

Haec est victoria quae vincit mundum fides nostra. Joan. V : 4.

Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet quum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum Angelorum. Luc. IX : 26.

VII^e^ Statie.

Jesus valt ten tweeden male onder het kruis.

Het kruis wordt Hem zwaarder en zwaarder . . . voortdurend bloedverlies . . . de mishandelingen zijner beulen putten zijne laatste krachten uit . . . Hij bezwijkt andermaal . . . daar ligt Hij zieltogend onder het kruis.

O Jesus, uw herhaalde val herinnert mij aan mijn voortdurend hervallen in de zonden . . Schaamte en rouw vervult mij het hart . . Ach ik bid U schenk mij nogmaals de genade om op te staan en te volharden ten einde toe.

Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem . . . proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem: Hebr. VI : 7 et 8.

Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Matth. XVIII : 26.

VIII^e^ Statie.

Jesus ontmoet de weenende vrouwen.

Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum quae plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiae Jerusalem, nolite flere super me sed super vos ipsas flete et super filios vestros . . . . quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet. Luc. XXIII : 27—31.

O Jesus, doe mij nacht en dag gelijk deze vrouwen over uwe smarten weenen; maar doe mij vooral over mijzelven en over mijne zonden weenen. Want ik was tot nu toe een dor hout... ik die boom...

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua (Ecclesia...) et venit quaerens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineae: ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodeam circa illam et mittam stercora; et si quidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam. Luc. XIII : 6—9.

IXe Statie.

Jesus valt ten derden male onder het kruis.

Jesus valt ten derden male onder het kruis, uit smart over hen, die verstokt blijven in de boosheid.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. I Tim. I : 15.

Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes virtuti suae. Eccl. XVI : 8.

Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas... Quare moriemini Domus Israël, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite. Ezech. XVIII : 30—32.

Xe Statie.

Jesus wordt ontkleed en met gal en edik gelaafd.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum et quum gustasset noluit bibere... diviserunt vestimenta ejus. Matth. XXVII : 34 et 35.

Zoo dan, lieve Jesus, moet Gij alle soorten van pijnen ondergaan, omdat ik op alle wijzen gezondigd heb; om mijne verkleefdheid aan aardsche goederen wordt Gij van uwe kleederen beroofd, en tot boeting mijner onmatigheden laat Gij u met bittere gal laven.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur his contenti simus Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem, etc. I Tim. VI : 8 et 9.

Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in coelis est unde etiam Salvatorem expectamus D. N. J. C. qui reformabit, etc. Phil. III : 18—21

XI^e^ Statie.

Jesus wordt aan het kruis genageld.

Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. XXI : 17.

O Jesus, wat schromelijke pijn hebt Gij op dat oogenblik niet geleden.....

Doch wat mij het hart vermorzelt, is dat ik mijne handen en voeten zoo dikwerf heb misbruikt tot zondige werken, en dat daarom uwe handen en voeten nu zoo wreedelijk worden doorboord. — Wat mij van droefheid overstelpt, is dat ik zoo dikwerf heb behoord tot hen waarvan Paulus zegt:

Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei et ostentui habentes. Hebr. VI : 6.

Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Rom. VI : 6.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Gal. V : 24.

O lieve Jesus zeg ook voor mij: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. XXIII : 34.

XII^e^ Statie.

Jesus sterft aan het kruis.

Quum ergo accepisset Jesus acetum, dixit consummatum est Et inclinato capite, tradidit spiritum. Joan. XIX : 30.

Et ecce velum templi scissum est .... et monumenta aperta sunt ... Matth. XXVII : 51 et 52.

Geen wonder dat de geheele natuur in ontzetting geraakt..... Auctorem vitae interficistis. Act. III : 15....

Zullen wij ongevoelig blijven?

Consummatum est. Joan. XIX : 30.

Majorem hac dilectione nemo habit, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. XV : 13.

Vix enim pro justo quis moritur .... Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. V : 7—9.

Quid retribuam?

XIIIe Statie.

Jesus wordt afgenomen van het kruis.

Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, et depositum involvit sindone. Luc. XXIII : 50—53.

Het ontzielde lichaam van Jesus op den schoot van zijne Moeder Maria!

O, hoe was het op dit oogenblik in haar hart gesteld, toen zij meer van nabij al die gapende wonden kon tellen, peilen....

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exaequabo te et consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui. Tren. II : 8.

Ik zal u, o bedroefde Moeder, troosten door christelijke boetvaardigheid, verstorvenheid en nauwe plichtbetrachting te beoefenen en alzoo wil ik even als Nicodemus balsem storten in de wonden van uwen Zoon.

Venit autem Nicodemus... ferens mixturam myrrhae et aloës quasi libras centum. Joan. XIX : 39.

O, moge ik behooren tot den buit hem toegezegd: Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. Is. LIII : 12.

XIV^e Statie.

Jesus wordt in een nieuw graf gelegd.

Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi... posuerunt Jesum. Joan. XIX : 41 et 42.

Doch weldra zal dat graf verheerlijkt worden. Et erit sepulcrum ejus gloriosum. Is. XI : 10.

Ook wij zullen eenmaal begraven worden: Statutum est omnibus hominibus semel mori. Hebr. IX : 27.

Maar moge mijn graf ook eenmaal verheerlijkt worden door eene glorierijke verrijzenis; en dat ik dan, o mijn lieve Jesus, nu mijn Verlosser en dan mijn Rechter, uit uwen mond deze troostvolle woorden verneme: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Matth. XXV : 24.

Ex consuetudine 6 *Pater et Ave.*

XIX. METHODUS PRO ERIGENDIS STATIONIBUS VIAE CRUCIS.

Ad pag. 257. (1)

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, uno saltem clerico adhibito, qui ei opportuno tempore porrigere possit vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et thuribulum cum incensi navicula, ascendit altare, ibique stans brevi sermone super praestantia et utilitate pii exercitii viae crucis (2) *populum alloquitur. Deinde genuflexus in infimo gradu intonabit hymnum: Veni Creator Spiritus, etc.*

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

(1) Vide supra Cap. XVII, p. 251. Cf. Rit. Rom. Append., p. CXL.
(2) Vide supra Cap. XVII, p. 244.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, populum istum (vel familiam istam) ab omni adversitate: et toto corde tibi prostratum (vel prostratam), ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio tabularum pictarum.

Si adsunt. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; has, quaesumus, imagines, in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi adaptatas, bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris; et praesta, ut quicumque coram illis unigenitum Filium tuum suppliciter colere, et honorare studuerit, illius meritis et obtentu, a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(1) Vide supra, p. 256 § 2.

Benedictio Crucium.

Quae ex ligno esse debent. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritus tuo.

Oremus.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus: ut digneris bene✝dicere haec signa crucis tuae, ut sint remedia salutaria generi humano; sint soliditas fidei, bonorum operum profectus et redemptio animarum; sint solamen et protectio, ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Bene✝dic, Domine, has cruces, quia per crucem sanctam tuam eripuisti mundum a potestate daemonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Tunc sacerdos eas aspergens, dicat:

Sanctificentur ista crucis signa in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante istas cruces, inveniant sanitatem animae et corporis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen

Deinde cantatur hymnus Vexilla Regis, *vide supra p.* 310.

Loco versus: „Hoc passionis tempore", qui dicitur tempore Passionis, tempore Paschali dicitur: Paschale quae fers gaudium; alio tempore: In hac triumphi gloria. Postea cantatur Stabat Mater.

---

(1) Vide supra. p. 237, § 8.

Stabat Mater.

Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem.
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati poenas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret,
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara:
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem.
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriae.
Quando corpus morietur,
Fac ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

Sacerdos accedens ad locum primae stationis, osculatur crucem et tabulam, easque, vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum, collocat in loco ad id praeparato; deinde legit meditationem et preces

huic stationi correspondentes quod et fiet in caeteris stationibus (1). *Quibus finitis cantatur*

Te Deum.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur:

Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi coeli et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te, per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae,

Et rege eos, et extolle illos, usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

---

(1) Vide tamen supra p. 243, § 2

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus: tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc sacerdos benedicit populum cum cruce.

Formula ad fidem faciendam de erectione Viae Crucis. (1)

Vigore facultatis mihi commissae ego . . . Viam Crucis cum annexis indulgentiis erexi in loco ut supra in precibus etc. juxta regulas a S. Indulgentiarum Congregatione die 10 Maii 1742 praescriptas. In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi hac die etc.

Alia formula. (2)

Testor ego infra scriptus N. N. deputatus a N. N. me hac die .... anni . . . . praevia Ordinarii N. licentia et praehabito parochi N. vel Superioris N. consensu in scriptis, sacras Viae Crucis stationes cum adnexis indulgentiis pro devote illas visitantibus erexisse in ecclesia *vel* oratorio, *vel* pio loco, *vel* coemeterio N. eaque in erectione omnia et singula servasse respectiva Summorum Pontificum Decreta, et praesertim regulas et admonitiones jussu et approbatione Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731 (3), tum Benedicti XIV die 10 Maii 1742 (4) editas. In quorum fidem hoc manu propria testimonium exaravi. N.

—

(1) Vide supra p. 238 n. 7.
(2) P. Schneider, die Ablässe p. 281.
(3) Vide D. 100 et supra Cap. XVIII passim.
(4) Vide D. 133.

XX. VERNIEUWING DER DOOPBELOFTEN.

Ad pag. 262. (1)

Pro adultis.

Heilige Drieëenheid, Vader, Zoon en H. Geest, ik werp mij voor uw aanschijn neder, om U de hulde mijner aanbidding te brengen, en U mijnen dank te betuigen voor de veelvuldige weldaden en barmhartigheden, waarmede Gij mij sedert mijn bestaan op deze wereld met zoo veel goedheid overladen hebt. Ik dank U in het bijzonder voor de onschatbare genade van het H. Doopsel. Welke erkentelijkheid kan zulk eene genade evenaren? Door den H. Doop toch ben ik overgebracht uit de macht der duisternis in het rijk van uwen welbeminden Zoon: door den H. Doop ben ik ingelijfd in zijne Kerk om daar van zijn leven te leven van zijnen Geest bezield en geleid, met zijn vleesch gevoed te worden, om daar ter verwezenlijking zijner bedoelingen en inzichten werkzaam te zijn, zijne deugden in mij weer te geven, en een wederbeeld te worden van Hem zoo als Hij was tijdens zijn sterfelijk leven op aarde.

Dat immers zijn de verplichtingen mij in mijn Doopsel opgelegd, dat de voorwaarden waaronder Gij mij tot uw heilig verbond hebt toegelaten. Wel is waar, toen mij de H. Doop werd toegediend, was ik van dat alles onbewust; doch wel verre van die heilige verbintenissen nu te willen verbreken, wil ik integendeel van ganscher harte in uwe tegenwoordigheid deze nu vernieuwen, bevestigen, bekrachtigen, en steunende op het vertrouwen dat de hulp uwer genade mij niet zal ontbreken, neem ik mij vastelijk voor alle krachten in te spannen om alles te volbrengen wat in

(1) Nampon p. 410. Extrait des Heures des Congréganistes.

mijnen naam door mijn peter en meter beloofd en bedongen is.

Ja, mijn God, ik verzaak voor altijd den duivel met al zijne bedriegerijen, — Gij, Gij alleen o mijn Heer, zijt mijn Koning, U alleen zal ik dienen.....

Ik verzaak den duivel met zijne pomperijen. — Weg met de ijdelheden, de valsche vermaken, de schijngoederen en grondbeginselen der wereld!.... Uwe genade met uwe liefde is mij genoeg.

Ik verzaak den duivel met al zijne werken, dat is met alle zonden en zondige begeerlijkheden..... Ik wil liever sterven, Heer, dan met voorbedachten rade er een enkele te bedrijven.... Ik verzaak de dronkenschap ..... etc. Mijn eenig streven zal zijn om, zooals in mijnen naam U beloofd is, U alleen, o mijn God en mijn al, aan te hangen, U alleen te beminnen, U alleen te dienen uit geheel mijn hart, uit geheel mijne ziel, uit al mijne krachten. Uwe geboden zal ik onderhouden als ook die van onze Moeder de H. Kerk, uwe Bruid, en met verzaking van alle vrees voor menschen en wereld zal ik mijn geheel leven schikken naar uwe leer, mij voorgehouden door de Heilige, Katholieke, Apostolische, Roomsche Kerk, die Gij gesteld hebt tot zuil en grondvest der waarheid. (I Tim. III : 15.)

Eeuwige Vader, die U gewaardigd hebt mij in Jesus Christus onder uwe kinderen op te nemen, en mij deelgenoot hebt gemaakt van uwe erfenis, verlevendig in mij de genade van het goddelijk kindschap, en terwijl ik niet dan voor U en voor den hemel herboren ben, geef dat ik voortaan ook voor niets anders leve dan voor uwe verheerlijking, voor niets anders arbeide dan voor de goederen des hemels.

Jesus, ééngeboren Zoon des Vaders, die mij in uw mystiek lichaam hebt ingelijfd, met uw bloed hebt rein gewasschen, met uwe genade hebt geheiligd, voltrek in mij uw werk,

genees wat in mij nog overblijft van den hoogmoed en den val van Adam; — herschep in mij uwe beeltenis met hare grondtrekken, liefde, ootmoed, reinheid en verdere deugden.

Heilige Geest, aanbiddelijk beginsel van de genaderijke aanneming tot kinderen Gods, wees ook het beginsel van mijn leven, van mijn doen en laten, van alle de begeerten en bewegingen van mijn hart, opdat alles in mij een kind van God, een lidmaat van Jesus waardig zij.

Heilige Drieëenheid, die mij het voorrecht hebt geschonken van U in de eenheid van uwen naam en de drievuldigheid van personen te mogen aanbidden, die mij uwen dienst hebt toegewijd; geef, ik smeek het bij uwe grenzelooze barmhartigheid, dat ik U alle de dagen van mijn leven aanbidde in geest en waarheid, dat ik U altijd in liefde diene, U immer meer nabij kome door het verlangen naar, door de zoete hoop op de eeuwige gelukzaligheid. Amen.

—

XXI. POST DEDICATIONEM PAROCHIAE B. M. V.

Ad pag. 265.

Antiphona. Sub tuum praesidium confugimus sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosae beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari

tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

—

XXII. RITUS DANDI BENEDICTIONEM PAPALEM JUXTA FORMAM BENEDICTINAM.

Ad pag. 266. (1)

1. „*Admoneatur populus de indulgentia a Sede Apostolica concessa, — de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, — de die, quo visitanda est designata ecclesia, — de hora denique qua dabitur pontificia benedictio. De quibus, quatenus opus sit etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat.*"

2. „*Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam advenerit, — alta voce legantur Apostolicae Litterae, seu Decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; — et concessio, ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa, pronuntietur.*"

Hic igitur missionarius dicat:

Krachtens eene gunst door Z. H. den Paus Pius den Negende, roemrijker gedachtenis, aan de Sociëteit van Jesus verleend, zullen wij u thans in naam van Z. H. N. N. (2) den pauselijken zegen geven, waaraan een volle aflaat is verbonden, welke verdiend wordt door hen die de missieoefeningen gevolgd, eene rouwmoedige biecht gesproken hebben, gisteren of van daag waardiglijk tot de tafel des Heeren zijn genaderd en daarenboven zullen bidden volgens de intentie van den H. Vader.

Het Decreet waarin deze gunst is toegestaan, luidt als volgt: Praepositus Generalis Societatis Jesu ad pedes Sanctitatis

---

(1) Rituale Rom. p. 342.
(2) Naam van den regeerenden Paus.

Tuae provolutus, considerando sacras missiones in variis Europae et extra Europam regionibus magno animarum bono notabiliter extendi, supplicat Beatitudinem Tuam: ut in exitu missionum concedere liceat benedictionem, quae papalis dici solet; nimirum benedictionem Fidelibus istis tamquam a Summo Pontifice impertitam, (quae gratia concessa olim Societati fuit atque hodiedum alii quoque missionarii fruuntur.) (1)

Quid de gratia?

Romae die decima nona Januarii, anni millesimi octingentesimi quinquagesimi primi.

Benigne annuimus pro gratia; et benedictio ut supra detur cum imagine Domini nostri Jesu Christi.

Dat is vertaald:

De Overste Generaal der Sociëteit van Jesus aan de voeten van Uwe Heiligheid neergeknield, in overweging nemende, dat het heilwerk der missiën in verschillende landen, zoo binnen als buiten Europa, tot groot voordeel der zielen merkelijk heeft toegenomen; richt tot Uwe Heiligheid nederig de bede, dat het geoorloofd zij om bij het eindigen der missiën den zegen te geven, welke de pauselijke pleegt genoemd te worden, namelijk een zegen als door den Paus zelven gegeven. (Deze gunst was reeds vroeger aan de Sociëteit toegestaan, en heden ten dage zijn ook andere zendelingen in het genot daarvan.) (2)

Aldus het verzoekschrift ingediend te Rome den 19 Januari 1851.

En het antwoord luidde:

Goedgunstig staan Wij het verzoek toe, doch de bovengemelde zegen worde gegeven met een kruisbeeld van onzen Heer Jesus Christus.

---

(1) Quae in parenthesi pronuntur possunt omitti.
(2) Omitte, si videtur.

3. „*Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur.*"

Posset hic recitari actus contritionis postquam sacerdos populum monuerit, puritatem animi requiri ad percipiendum omnem fructum hujus benedictionis.

4. „*Post quae sacerdos nullis circumstantibus ministris* (i. e. sine diacono et subdiacono, imo sine assistente, sed solus) *stola et superpelliceo indutus, ut in Rituali hoc praescribitur, quum agitur de benedictionibus quae extra Missam presbyteris permittuntur, ante altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret:*"

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

„*Deinde stans sequentem recitet orationem.*"

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

5. „*Post quam ad cornu epistolae accedat*, (*ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis Part. IV. Benedicet in ecclesia, ad altare*), (1) *et stans in cornu epistolae, non trina, hoc est, triplici signo crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo crucis, benedicat, proferens alta voce*

(1) Vide tamen dicta supra p. 267 n. 5.

haec verba: (et nostri, si in fine missionis datur benedictio, tenentes crucifixum ambabus manibus ante se.)

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, † et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Id est: elevando crucem et dimittendo eam infra pectus ad vocem „Pater"; elevando eam ad oculos dicendo „et Filius", ducendo illam ad humerum sinistrum dicendo „et Spiritus"; et reducendo illam usque ad humerum dextrum dicendo „Sanctus".

6. *Publicetur indulgentia plenaria dicendo. Supra p. 75, II:*

Bidden wij nu tot intentie van Zijne Heiligheid den Paus vijf Onze Vaders en vijf Wees Gegroeten om den vollen aflaat te verdienen voor ons zelven of voor de geloovige zielen.

In fine addat: *Gloria Patri.*

7. Si hic missio terminetur, animet iterum populum ad perseverantiam, et publicet indulgentias pro precibus ad perseverantiam obtinendam effusis concessas.

Zijne Heiligheid de Paus Gregorius XVI heeft bij Breve van den 7 Juli 1843 aan allen, die de missie-oefeningen hebben bijgewoond, welke door de Paters der Sociëteit van Jesus zijn gegeven en gedurende 40 dagen, te beginnen op den dag door den Overste der missie te bepalen, eenig gebed zullen verrichten, bv..... om volharding te verkrijgen, verleend:

1°. Een aflaat van 200 dagen voor elken dag waarop zij gedurende die 40 dagen dat gebed zullen bidden; en

2°. Eéns in die 40 dagen een volle aflaat op den dag dat zij, na rouwmoedig gebiecht te hebben, tot de heilige tafel des Heeren zullen naderen.

Alle deze aflaten zijn toepasselijk op de geloovige zielen. (1)

8. Revocet iterum in memoriam alias indulgentias.

(1) Vide supra p. 73, 3 et p. 76, 1.

1. Een volle aflaat voor het bijwonen der missie (voor hen die ten minste *viermaal* de oefeningen hebben bijgewoond) op een dag naar verkiezing, onder de gewone voorwaarden. Supra p. 79, I.

2. De aflaten voor het missie-kruis. Supra p. 312.

Acclamationes.

Coronidis gratia possent addi acclamationes vel preces:

Pro Summo Pontifice qui tot gratiis missionis exercitia ditavit qui ... etc. et cantetur.

℣. Oremus pro Pontifice Nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Oremus. (1)

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pro Episcopo qui summa cum benevolentia missionariis amplissimas facultates communicavit, qui.....

℣ Oremus pro Anstistite nostro N.,

℟. Dominus conservet eum etc. *ut supra.*

Oremus.

Deus omnium fidelium pastor et rector famulum tuum N. quem pastorem ecclesiae N. praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praest, proficere: ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. (Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.)

Pro Parocho, clero etc. Gratias agat Parocho, clero, et omnibus

(1) Addatur haec oratio vel omittatur, secundum libitum, quod etiam valet de reliquis orationibus hic additis.

qui ad bonum missionis successum aliquid contulerunt .... vel primum dicat gratias Parocho, et dein aliis.

℣. Oremus pro Parocho nostro,

℟. Dominus conservet eum, etc. *ut supra.*

Oremus. (1)

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: praetende super famulum tuum et super congregationem illi commissam, spiritum gratiae salutaris: et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. (Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.)

Pro aliis.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris,

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.

Oremus. (2)

Deus, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum fidelium cordibus infundisti: da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut te tota virtute diligant, et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. (Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.)

Pro populo. Et ipsi gratiae agi possunt pro benevolentia, patientia etc.; iterumque admoneri potest ad perseverantiam.

℣. Oremus pro populo sancto Dei,

℟. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.

---

(1) Ex Missali inter orationes diversas, in numero singulari, vel in plurali si plures parochi adjuvarunt in audiendis confessionibus.

(2) Ex Missali inter orationes diversas.

Oremus. (1)

Deus, qui justificas impium, et non vis mortem peccatoris: majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut famulos tuos de tua misericordia confidentes, coelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves; ut tibi jugiter famulentur, et nullis tentationibus a te separentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tandem gratiae agendae quam maximae Deo, summo omnium bonorum largitori. Vere, miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors. Ps. CII : 8.

Ergo confitemini Domino quoniam bonus etc. Ps. CXVII, vel: Benedic anima mea Domino etc. Ps. CII, et cantatur cum omni solemnitate Hymnus *Te Deum*. Vide pag. 326.

Versiculi et orationes post Te Deum.

Quando *Te Deum* cantatur sine processione, sufficiunt versiculi *Benedicamus Patrem* etc.; *Benedictus es* etc. *Domine exaudi* etc. cum unica oratione: *Deus cujus misericordiae* etc. S. R. C. 11 Sept. 1847. *Schneid. p.* 717. Quare illi versiculi notantur asterisco.

℣. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum,
℟. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.
*℣. Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu,
℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
*℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,
℟. Et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.
℣ Benedic anima mea Domino,
℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.
*℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟ Et clamor meus ad te veniat.
*℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

(1) Ex Missali inter orationes diversas.

Oremus.

* Deus cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. (Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. *Si haec sola oratio dicitur.*)

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus; te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

XXIII. RITUS SOLEMNIS ADMITTENDI IN SODALITATEM.

Ad pag. 273.

1. *Cantetur Veni Creator, vel aliquod canticum conveniens.*

2. *Exponantur scopus, media statuta etc. sodalitatis, et ubi utile vel necesse sit, historia ejus erectionis, allegando documenta erectionis, aggregationis; publicentur indulgentiae et privilegia, clare indicando conditiones ad eas acquirendas, et in fine sermonis fiat, si videbitur, in nomine recipiendorum quaedam promissio vel oblatio. Deinde dicat:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. (1)

Suscipiat vos Christus in numerum confratrum nostrorum et suorum famulorum. Concedat vobis tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi: ut sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter conjungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus conjungere dignetur in coelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Distribuantur hic schedulae admissionis vel signa sodalitatis, numismata vel cruces etc. quae quidem a facultatem habente prius essent benedicenda juxta formulas supra datas p. 278.

Postea dicit, si tamen habet potestatem admittendi ordinariam vel legitime delegatam:

Ego auctoritate mihi concessa vos recipio et adscribo confraternitati N. N. et vos participes facio omnium gratiarum, indulgentiarum, privilegiorum, bonorumque spiritualium ejusdem confraternitatis. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti.

Dein subjungit:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis,
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domini exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

(1) Ex Ritu imponendi scapulare B. V. de Monte Carmelo et recipiendi fideles in Congregationem B. V. M.

Oremus.

Adesto Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos, quos confraternitati N. N. aggregavimus, bene✝dicere dignare, et praesta, ut statuta nostra per auxilium gratiae tuae, sancte, pie et religiose vivendo, valeant observare, et observando vitam promereri sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat eos aqua benedicta dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius ✝ et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Deinde hortetur eos ad fidelitatem et ad perseverantiam, et cantetur canticum congruum aut Laudes inchoentur vel continuentur.

—

XXIV. RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICAE IN ARTICULO MORTIS A SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDAE.

Ad pag. 28. (1)

„*Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat:* Pax huic domui etc. *ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam:* Asperges me etc."

℣. Pax huic domui,

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. (2)

„*Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis;*

(1) Rituale Romanum, p. 344.

(2) De Herdt dicit: „Sine psalmo Miserere et sine repetione antiphonae, quia Ben. XIV de his non loquitur." *Praxis Rit. Rom. p. 214 VI.* Nec in Rituali quidquam aliud aperte additur, uti fit in Ordine administrandi s. Communionem. *Rit. Rom. p. 112.*

Idem: Pax huic domui etc. et aquae aspersio forte omitti possunt si in initio jam dicta et facta sunt; securius tamen repetuntur. *Ibid p. 216.*

de hujusce benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit.

Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam.

Sacerdos dicat (stando):

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae): neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam, *et sic deinceps*).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge: ut ejus

anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus Confiteor, *sacerdos dicat:* Misereatur *etc. Deinde:* (1)

* Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi: per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo.

In nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. (2)

Per sacrosancta (3) humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater † et Filius et Spiritus Sanctus. Amen. (4)

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut nempe confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Supplementum ad Rit. Rom. pro Archidioec. Ultrajecten. approbatum hic habet:

Periculo instante statim dicatur: * Dominus noster *etc.*

Aut dum proxime urget mors:

Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

---

(1) *Confiteor* non est omittenda, licet jam sit dicta. *Indulgentiam*, an adjungendum sit dubitatur. De Herdt, l. c. p. 215.

(2) Signat aegrotum vide Decr. Auth. p. 484 et De Herdt, l. c. quamvis † in Rituali omissum sit.

(3) *Sacrosancta* ita *Decr. Auth. p. 484. Rit. Rom. habet Sacrosanctae.*

(4) Signum † habet formula in Decr. Auth. p. 484. Deest in Rit.

XXV. FORMULA BENEDICTIONIS CUM INDULGENTIA PLENARIA PRO TERTIARIIS SAECULARIBUS, CETERISQUE OMNIBUS COMMUNICATIONEM PRIVILEGIORUM ET GRATIARUM CUM IISDEM, VEL CUM REGULARIBUS CUJUSCUMQUE ORDINIS HABENTIBUS.

—

„ *Tertiariis S. Francisci* impertiri potest per dies, qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Jesu Christi; II. die solemni Paschatis Resurrectionis; III. die solemni Pentecostes; IV. in festo SS. Cordis Jesu; V. item immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; VI. Josephi Sponsi ejus, die 19 Martii; VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris, die 17 Septembris; VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni coelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine, die 25 Augusti; IX. Elisabeth Hungaricae, die 19 Novembris. Et Indulgentia plenaria si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint." *Summ. Indulg. n.* 8. *Rescr. auth. p.* 608.

I. Formula publica. (1)

Antiphona. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

(1) Extra Sacramentum Poenitentiae.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meruimus, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis meremur averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicto deinde Confiteor *etc.*, Misereatur *etc.*, Indulgentiam *etc*, *sacerdos prosequitur:*

Dominus noster Jesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi et absolvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam passionem et mortem Domini Nostri Jesu Christi, precibus et meritis beatissimae semper Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris

nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus noster Jesus Christus *etc. et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Ita in *Decretis authenticis n.* 444 *p.* 413.

Formula *absolutionis generalis* pro Regularibus cujuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus, habetur ibidem p. 412. Eam omittimus utpote pro Nostris nullius usus.

NB. 1. „Benedictiones nomine Pontificis, et benedictiones cum indulg. plenaria *publice* impertiendae sunt ab ecclesiastico viro qui Tertiariis in id coadunatis praest. Benedictiones vero cum indulg. plenaria *privatim* et immediate post sacramentalem absolutionem dari possunt ab uniuscujusque Tertiarii confessario." S. C. Indulg. 10 Jun. 1886 ad 3 et 4. Acta XIV p. 45.

2. Leo XIII d. 16 Jan. 1886 indulsit: „ut Tertiarii praefati, si forte *legitima causa* impediantur, quominus ecclesias adeant, absolutionem seu benedictionem accipere valeant aliquo die festo *de praecepto*, qui intra octidua eorum profestorum dierum occurret, dummodo cetera exequantur quae praescripta sunt". *N. Rev. Théol. T.* 18 *p.* 177.

3. In confessionali dari potest haec benedictio Tertiariis S. Francisci pridie festi cui adnexa est indulgentia S. Indulg. C. 21 Julii 1888. *N. Rev. Théol. T. XX. p.* 467.

II. Formula brevis in confessionali.

Dominus noster Jesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi et absolvendi, ille te absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeas vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam passionem et mortem Domini nostri Jesu

Christi, precibus et meritis beatissimae semper Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri Francisci et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum tuorum tibi impertior, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

XXVI. MODUS BENEDICENDI AQUAM S. IGNATII, PRO SOCIETATE JESU APPROBATUS.

Ad pag. 25. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem nominis tui benignus assiste, ut intercedente beato Ignatio Confessore tuo, famulos tuos ab aegritudine liberatos et sanitate donatos, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae cum omni prosperitate restituas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

---

(1) Instit. Soc. Jesu tom III, append. p. 28. — Rit. Rom. p. CXCVIII.

Immergitur aquae numisma, seu reliquiarium Sancti Ignatii, et immersum tenetur usque ad finem hujus orationis.

Bene✝dic, Domine, hanc aquam, ut sit remedium salutare generi humano, et per intercessionem beati Ignatii, cujus numisma (*vel* reliquiae) in eam immergitur (*vel* immerguntur), praesta, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

Educitur ex aqua numisma vel reliquiarium.

Oremus.

Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Animentur, qui hac aqua usuri sunt, ad magnam fiduciam in S. Patrem nostrum, allegando unum alterumve miraculum pio hujus aquae usu patratum. Excitentur ut cum magno fervore peragant novenam, sub qua quotidie recitent litanias S. Patris nostri, vel dicant decies Pater et Ave aliasve preces in ejus honorem. Si fieri potest accedant ad S. Communionem. Consulatur iis ut in honorem ejusdem Sancti decem Dominicas ejusque festum celebrent.

—

XXVII. BENEDICTIO AQUAE S. FRANCISCI XAVERII.

Pro infirmis. (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

(1) Ex pagella Romana pro Missionariis Pretios. Sanguinis.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hanc creaturam aquae bene✝dicere et sancti✝ficare digneris: ut quicumque ex ea biberit, vel in quibuscumque infirmitatibus aut necessitatibus usi fuerint, per pretiosum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et per intercessionem sancti Francisci Xaverii Indiarum Apostoli, totius fortitudinis ac sanitatis dulcedine perfruantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones.

Deus, qui Indiarum gentes beati Francisci praedicatione et miraculis Ecclesiae tuae aggregare voluisti, concede propitius; ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde benedicitur aqua cum reliquiis seu numismate sancti Francisci.

XXVIII. BENEDICTIO CINGULORUM IN HONOREM S. JOSEPHI, SPONSI B. M. V.

Ad pag. 26. (1)

In dioecesibus, quibus a S. Apostolica Sede privilegium conceditur benedicendi cingula in honorem S. Josephi, Sponsi B. M. V., sacerdotes

(1) Rit. Rom. Append. p. CXXVII.

adhibere debent hanc formulam a S. Rit. C. approbatam die 19 *Sept.* 1859.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui virginitatis consilium et amorem ingeris atque castitatem praecipis: oramus clementiam tuam, ut haec cingula castitatis tesseram bene✝dicere et sancti✝ficare digneris; ut quicumque pro castitate servanda illis praecincti fuerint, intercedente beato Josepho, Sanctissimae Genitricis tuae Sponso, gratam tibi continentiam, mandatorum tuorum obedientiam servent, atque veniam peccatorum suorum obtineant, et sanitatem mentis et corporis percipiant, vitamque consequantur aeternam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Da, quaesumus, omnipotens aeterne Deus: ut purissimae Virginis Mariae, ejusque Sponsi Josephi, integerrimam virginitatem venerantes, eorum intercessionibus puritatem mentis et corporis consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctissimo viro Josepho purissimam Mariam semper Virginem, et puerum Jesum commisisti: te supplices exoramus, ut fideles tui qui his cingulis in honorem et sub protectione ejusdem sancti Josephi prae-

cincti fuerint, te largiente, et ipso intercedente, in castitate semper devote persistant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus, innocentiae restitutor et amator: quaesumus, ut fideles tui, qui haec cingula adhibuerint, intercedente beato Josepho, sanctissimae Genitricis tuae Sponso, in lumbis suis sint semper praecincti, et lucernas ardentes gestent in manibus suis; ac similes sint hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei, et in aeterna gaudia recipi mereantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde sacerdos, imposito thure in thuribulo, aqua benedicta aspergit cingula, dicens: Asperges me, *etc. postea incensat, et tandem dicit:*

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus misericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur, adsint nostris humillimis precibus tuae pietatis aures, et fideles tuos, qui in tuo sancto nomine cingulo benedicto in honorem et sub protectione sancti Josephi praecincti fuerint, a mundi

impedimento, vel saeculari desiderio defende; et concede eis, ut in hoc sancto proposito devoti persistere, et remissione percepta ad electorum tuorum valeant pervenire consortium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

—

XXIX. BENEDICTIO CANDELARUM IN FESTO S. BLASII, *Ep. et Mart.* 3 *Febr.* (1)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo Verbo creasti, et ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es et immensus, terribilis atque laudabilis ac faciens mirabilia: pro cujus fidei confessione gloriosus Martyr et Pontifex Blasius, diversorum tormentorum genera non pavescens, martyrii palmam feliciter est adeptus: quique eidem inter ceteras gratias, hanc praerogativam contulisti, ut quoscumque gutturis morbos tua virtute curaret: majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non inspectu reatus nostri, sed ejus placatus meritis et precibus, hanc cerae creaturam bene✝dicere ac sanctificare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo; ut omnes, quorum colla

(1) Rit. Rom. Append. p. XLV.

per eam bona fide tecta fuerint, a quocumque gutturis morbo ipsius passionis meritis liberentur, et in Ecclesia sancta tua sani et hilares tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in saecula saeculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Deinde sacerdos terminata Missa, deposita casula et manipulo, accensis duobus cereis ac in modum crucis aptatis, apponens illos sub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipsis ante altare genuflectentibus, dicat:

Per intercessionem sancti Blasii, Episcopi et Martyris, liberet te Deus, a malo gutturis, et a quolibet alio malo. In nomine Patris, et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

—

XXX. ORATIO: EN EGO, O BONE ET DULCISSIME JESU.

Ad pag. 243.

Zie mij hier, o goede en zoetste Jesus, voor uw aanschijn op mijne knieën neergebogen, met de grootste vurigheid mijner ziel bid en smeek ik U, dat Gij U gewaardigt levendige gevoelens van geloof, hoop en liefde, met een waar berouw over mijne zonden en den vasten wil om die te verbeteren, in mijn hart te drukken; terwijl ik met groote ontroering en droefenis des gemoeds, uwe vijf wonden bij mij zelven overweeg en in den geest aanschouw, mij voor oogen stellende de woorden, welke reeds de profeet David omtrent U, o goede Jesus, zich in den mond heeft gelegd: *Zij doorboorden mijne handen en mijne voeten; zij telden al mijne beenderen.* Ps. XXI : 17, 18.

Pius IX D. U. et O. 31 Jul. 1858 declaravit indulgentiam plenariam huic orationi ex concessione Clem. VIII etc. adnexam lucrari „ab

iis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, dictam orationem *En ego etc.* quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque SS. Crucifixi imaginem devote recitaverint, ac insuper per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. *D.* 386.

—

XXXI. FORMULAE AD PIE RECITANDUM ROSARIUM.

℣. Ik geloof in God den Vader, *enz.*

℟. Ik geloof in den H. Geest, *enz.*

℣. Eer zij den Vader, den Zoon, en den H. Geest,

℟. Gelijk het was in den beginne, en nu, en altijd, en in alle eeuwen der eeuwen. Amen.

Onze Vader.

Ik groet u, Dochter van God den Vader. *Wees gegroet.*

Ik groet u, Moeder van God den Zoon. *Wees gegroet.*

Ik groet u, Bruid van God den H. Geest. *Wees gegroet.*

Eere zij den Vader...

Onze Vader.

I. Formulae praemittendae singulis decadibus.

De blijde geheimen.

1. De Engel boodschapt aan Maria, dat zij tot Moeder Gods verkoren is; en het Woord is vleesch geworden.

2. Maria bezoekt hare nicht Elisabeth, die met den H. Geest vervuld wordt.

3. Jesus wordt in een stal geboren en door zijne Moeder in eene kribbe gelegd.

4. Jesus wordt door Maria in den tempel opgedragen, en door Simeon en Anna als de Verlosser begroet.

5. Maria en Joseph hebben na drie dagen Jesus in den tempel weergevonden, en hunne blijdschap was overgroot.

De droevige geheimen.

1. Jesus zweet water en bloed en valt in doodsangst ter aarde neder.

2. Jesus wordt wreedelijk met geesels geslagen en om onze zonden met wonden overdekt.

3. Jesus wordt op wreedaardige wijze met doornen gekroond, en door de soldaten schandelijk bespot.

4. Jesus draagt op de doorwonde schouders zijn kruis, en ontmoet zijne diep bedroefde Moeder.

5. Jesus hangt drie uren aan het smartvol kruis, geeft ons Maria tot Moeder en sterft voor ons.

De glorierijke geheimen.

1. Jesus is zegevierend uit den dood verrezen, en heeft het eerst zijne Moeder verblijd.

2. Jesus is glorierijk ten hemel opgevaren en heeft ons daar eene plaats bereid.

